

rum, &c. Judæi loca, quibus Domino sacrificabant, divinis habebant supplicationibus consecrata, &c. Si Judæi qui umbræ legis deserviebant, hæc faciebant, multo magis quibus veritas patefacta est, &c. & templa Domino ædificare debemus) & prout melius possumus, ornare, eaque divinis precibus, & sanctis unctionibus suis cum altaribus, & vasis, vestibus quoque, & reliquis ad divinum cultum explendum utensilibus devote, & solemniter sacrare, &c. *Felix IV. epist. 1. cap. 1. in fin. Burchard. lib. 3. cap. 57. & 58. Ivo part. 3. cap. 60. & 61.*

CAPUT III.

De conf. d. 1. cap. 43. Vasa, quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt, & patenæ. De quibus Bonifacius martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit: „ Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei sacerdotes au-

„ reis utuntur calicibus “. Zephirinus decimus, sextus Romanus Episcopus patenis vitreis missas celebrari constituit. Tum deinde Urbanus decimus octavus Papa omnia ministeria sacrata fecit argentea. In hoc enim, sicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum decus succrevit ecclesiarum, nostris enim diebus, qui servi patrisfamilias sumus, ne decus matris ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur, & amplifietur, statuimus, ut deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium corporis, & sanguinis Jesu Christi Domini nostri in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat, ne unde placari debet, inde irascatur Deus. *Triburiens. c. 18. Burch. lib. 3. c. 223. Ivo part. 3. c. 282. decr.*

CAPUT IV.

Zephirinus fecit constitutum de ecclesia, ut patenas vitreas ministri ante sacerdotes portant, dum Episcopus missam celebraret. *Damas. in Zeph.*

LIBER SEXTUS.

De Verbi Dei prædicatione.

TITULUS I.

DE DOCTRINA, ET VITA MINISTRO-
RUM VERBI DEI.

CAPUT I.

Presbyteros oportet scire canones, alioquin quomodo judicabunt ecclesiam? Quis fieri poterit medicus, si ignoret medicinam? *Greg. VII. in conc. Rom. anno incerto cap. 28.*

CAPUT II.

Presbyteri sint litterati, aliter enim, quomodo erunt magistri, qui non fuerunt discipuli? aut qualiter scient docere gregem sibi commissum, & exhortari? Isti sunt canes non valentes latrare. *Greg. VIII. in concil. Rom. anno incert. cap. 30.*

CAPUT III.

Ex his omnibus colligitur, quod origo totius mali ab ignorantia descendat, & ipsa sit omnium malorum mater, quæ incuria, & ignavia gignitur; negligentia vero alitur, & augetur, atque in sensibus hominum radicatur, dum amatur, quam si quis forte doceat, effugendam velut antiquis, & hæreditariis sedibus, moleste & indignanter avellitur. Et ideo paululum laborandum nobis est, ut indignantes ignorantie præsumptionem scientiæ ratione reseceamus, in his præcipue, qui in aliquibus minus rectis opinionibus præventi sunt, per quas, quasi sub specie alicujus scientiæ, ignorantia in his vehementius radicata est. Nihil enim est gravius, quam si id, quod ignorat quis, scire se credat, & defendat verum esse, quod falsum est, quod tale est, quale si quis ebrius sobrium se putet, & agat quidem cuncta ut ebrius, sobrium se tamen & ipse putet, & dici a ceteris velit. Ita sunt ergo & hi, qui ignorantes quod verum est, speciem tamen alicujus scientiæ tenent, & mala quasi bona gerunt, atque ad perniciem, quasi ad salutem festinant. Propter

quod ante omnia properandum est ad agnitionem veritatis, ut possimus, quasi lumine nobis inde accenso, errorum tenebras depellere. Grande enim malum est, ut diximus, ignorantia, sed quia substantiam non habet, facile ab his, qui studiosi sunt, effugatur; non enim aliud est ignorantia, nisi non cognovisse, quod expedit, ubi autem cognoveris, perit ignorantia. Quæri ergo magno opere debet veritatis agnitio, quæ nemo alius assignare potest, nisi verus propheta, hæc enim via est, vitam volentibus ingredi, & summum iter bonorum operum pergentibus ad civitatem salutis. *Clem. epist. 3. in med.*

CAPUT IV.

Justum est omnes in universo Romanorum orbe doctores legis ea, quæ legis sunt, recta sapere, & operari, & non regulas nascentis ecclesiæ confundere, aut fidem, aut doctrinam Apostolorum variis maculare doctrinis, nec fratres infestare, &c. Doceri omnes oportet, qui Domini sacerdotio funguntur, ut & ceteros instruant, & sibi proficiant. Scriptum est autem: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates; & alibi: Populus autem sciens Deum suum obtinebit, & faciet; & docti in populo docebunt plurimos.* Ipsa enim Veritas per se infert, & dicit: *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* [Ille proculdubio scandalizatur in Deum, qui recte non docet, & qui ejus scandalizat Episcopum, vel sacerdotem. Impie namque agentes sunt impii, neque intelligentes omnes impii, porro docti intelligent, &c. *Anaclet. epist. 1. in med. Ivo part. 6. cap. 245. decr.*

CAPUT V.

Percussor ille doctor dicitur, qui sermone in-

Dan. 12. a.

Dan. 11. f.

Matt. 11. a.

Luc. 7. d.

Diff. 93. b.

10.

Diff. 45. c.

ult. Sane.

Tim. 1. b.

tili conscientiam percutit infirmorum. Ideo tenere vos, & omnes fideles oportet eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit consolari in doctrina sana, & contradicentes redarguere, & recte viventes, atque rectam fidem tenentes consolidare, &c. *Anaclet. ep. 2. an. ref. ad Episcopos Italia.*

CAPUT VI.

Dist. 38. c. 3. Si vix in laicis tolerabilis videtur inficitia, quanto magis in eis, qui præsunt, nec excusatione est digna, nec venia? &c. *Leo ep. 22. in princ. ad Constantinopolitanos. Ans. lib. 7. cap. 107.*

CAPUT VII.

Imperatorem Persarum, & si non fuisse conversum doleo, vel tamen ei Christianam fidem prædicasse omni modo exulto, quia etsi ille ad lucem venire non meruit, vestra autem sanctitas prædicationis suæ præmium habebit. Nam & Æthiops in balneum niger intrat, niger egreditur, sed tamen balneator nummos accipit. *Greg. Domit. Metropolit. lib. 1. reg. ep. 63. Indict. XI.*

CAPUT VIII.

Prov. 14. Multos per prædicationem vestram venire ad ecclesiam suspicor, quod totum vestræ laudi proficit, quia scriptum est: *ubi plurimæ segetes, ibi maxima fortitudo boum*: manifestatur enim virtus prædicantium, ubi surgit seges animarum, &c. *Greg. Steph. Episc. lib. 6. ep. 8. reg.*

CAPUT IX.

Dist. 38. c. 1. Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas scripturas frequenter admonet *1. Tim. 4.* Paulus Apostolus dicens ad Timotheum: *intende lectioni, & exhortationi, doctrina quoque, & semper permane in his.* Sciant igitur scripturas sanctas, & canones meditentur, ut omne opus eorum in prædicatione divina, & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina. *Tolet. IV. cap. 24. Arelat. sub Carolo c. 3. Burch. lib. 1. c. 100. Ivo part. 5. c. 202. decr. Ans. lib. 7. c. 105. Casar. lib. 4. cap. 54.*

CAPUT X.

De baptismo, & mysterio sanctæ fidei unusquisque Archiepiscopus tuos suffraganeos diligenter, studioseque admoneat, quatenus per studium sacræ lectionis imbuti, & de mysterio sanctæ fidei, & de sacramento baptismatis unusquisque illorum in propria parochia perfecte, studioseque presbyteros, & univarium populum docere, & instruere non negligat. Quia ignorantia mater cunctorum est errorum, & maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas scripturas admonet Paulus Apostolus dicens ad Timotheum: *Attende lectioni, & exhortationi, & doctrina.* Sciant igitur sacerdotes scripturas sanctas, & canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina. *Arelat. sub Carolo cap. 3. Tolet. IV. c. 24.*

CAPUT XI.

Sobrietatem sacerdotes teneant, & hanc haben-

dam fidelibus prædicent, quia non potest libere sobrietatem prædicare, qui se mero, usque ad alienationem mentis ingurgitat. *Cabilon. sub Carolo cap. 10. Burch. lib. 14. cap. 4. Ivo part. 13. cap. 72. decret.*

CAPUT XII.

Clerici in doctrina, & lectionibus, psalmis, & hymnis, & canticis exercitio jugi incumbant. Tales enim debent esse, qui divinis cultibus se mancipandos student exhibere, scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent. *Magunt. cap. 10. in fin.*

CAPUT XIII.

Qui erudiendis, atque instituendis de virtute populis præerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus, nam qua fronte subjectos arguere potest, cum illi statim possit correptus ingerere: *Ante docete, quæ recta sunt, Episcopo.* Quapropter qui negligit recta facere, desinat & recta docere. Prius quippe semetipsū corrigere debet, qui alios ad bene vivendū admonere studet, ita ut in omnibus semetipsum formā vivendi præbeat, cunctosque ad bonū opus & doctrina, & opere provocet. Cui etiam scripturarum scientia necessaria est, quia si Episcopi tantum sit sancta vita, sibi soli potest prodesse sic vivens, perro si & doctrina fuerit eruditus, potest ceteros quosque instruere, & docere suos, & adversarios repercutere, &c. cujus præceteris specie officium est, scripturas legere, percurrere canones, exempla sanctorum imitari, vigiliis, jeuniis, orationibus incumbere, cum fratribus habere pacem, nec quemquam ex membris suis diserpere. *Aquisgran. c. 9. ex Isidoro 2. lib. de ecclesiast. officiis c. 6.*

CAPUT XIV.

Ad hoc, nisi me fallit opinio, sancte vivendum est sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis evacuet, si quod prædicat fieri debere, non faciat: aut si quod non facit, prædicare præsumserit, nihil apud eos, qui ejus vitam novere, proficiat. Quia ad hoc est ecclesiæ Dei præpositus, ut non solum bene vivendo alios exemplo suæ conversationis instituat, sed etiam fiducialiter prædicando singulis ante oculos peccata sua constituat, quæ poena maneat duris, quæ gloria obedientibus, ostendat. *Prosp. lib. de vita contemplativa c. 20. apud Aquisgr. c. 26.*

CAPUT XV.

Cum sacerdos non agit bona, qui loquitur, ei etiam sermo subtrahitur, ne loqui audeat quod non operatur, sicut per Prophetam dicitur: *Pec- Psalm. 49. catori autem dixit Deus, quare tu enarras justitiam meam, & assumis testamentum meum per os tuum?* Plerumque doctor, qui docere audet quod negligit agere, cum desierit bona loqui, quæ operari contempsit, docere subjectos incipit prava, quæ agit, ut justo omnipotentis Dei iudicio in bono jam nec linguam habeat, qui habere bonam vitam recusat, quatenus dum mens ejus terrenarum rerum amore incenditur, de terrenis rebus semper loquat ur. *Gregor. lib. 11. moral. c. 9. & 10. apud Aquisgr. c. 27.*

CA-

CAPUT XVI.

Recolite quanta, & qualia, me audiente, atque probante, dicere solebatis de administratione Pontificis, qui populi sibi commissa cura posthabita, ardentius bona presentia desiderat, quam futura, &c. Qui non predicat perseverantiam iustis, penitentiam pravis, contemptum mundi conversis, futuras poenas averlis. Qui non potest dicere contemptoribus admonitionis suae, futurum cogitare iudicium, quod ipse forte non cogitat, amatoribus mundi, nolite diligere mundum, si eum mundi amor oblectat, ambrosius, ambitioni jam finem imponite, si eum ambitio ruinosa praecipitat, ebriosus, ebrietatem cavete, si se mero utque ad alienationem mentis ingurgitat. Sumptuosus dapibus gravidus * non potest suis abstinenciam laudare, quam calcat. Virio cupiditatis addictus, cupidus amorem non potest dissuadere pecuniae. Inimicitiarum tenax, non valebit animos dissidens, ut sacerdotali tranquillitate componer. Iustitiam predicare iudicibus erubescit, quam ipse per ratione potentis favore corrumpt. Nec defendit oppressos, si personas, aut honorat, aut despicit. Et quidquid boni non facit aut mali committit, nec iubebit fieri, nec vetabit, quia necessariam docendi auctoritatem contrarietate suae actionis, aut amittit, aut minuit. Prosper de vita contemplativa lib. 1. c. 15. apud Aquisgr. c. 28.

CAPUT XVII.

Interdum doctoris vitio etiam ipsa verax doctrina vilescit, & qui non vivit, sicut docet, ipsam, quam praedicat veritatem, contemptibilem facit. Arcus perversus est lingua magistrorum docentium bene, & viventium male, & ideo quasi ex perverso arcu sagittam emittunt, dum suam pravam vitam propriae linguae ictu confodiunt. Qui bene docet, & male vivit, tamquam aes, aut cymbalum sonitum facit aliis, ipse tamen sibi manet insensualis. Qui bene docet, & male vivit, quod docet, bene viventibus proficit, quod vero male vivit se ipsum occidit. Sicut sacerdos, qui si digne se agit, ut sacerdotem decet, ministerium ejus, & ipsi, & aliis utile est, indigne autem vivens, aliis quidem utilis est loquendo, se autem interficit prave vivendo. Ac per hoc, quod in illo mortuum est, proprium ejus est, quod vero vivit in eo, id est sacrum ministerium, alienum est. Qui bene docet, male vivit, videtur ut cereus, qui aliis bonam novit lucem praestare, se vero in malis suis consumere, atque extinguere. Qui bene docet, & male vivit, videtur, bonum malo conjungere, lucem tenebris permiscere, veritatem mendacio mutare. Isidorus lib. 3. de summo bono, c. 37. apud Aquisgr. c. 29.

CAPUT XVIII.

Iracundi doctores per rabiem furoris disciplinae modum ad immanitatem crudelitatis convertunt, & unde emendare subditos poterant, inde potius vulnerant. Ideo sine mensura ulciscitur culpas praepositis iracundus, quia cor ejus dispersum in rerum curis, non colligitur in amorem unius Deitatis. Mens enim soluta in diversis, catena charitatis non astringitur, sed male laxata,

male ad omnem occasionem moverur. Isidor. de summo bono c. 40. apud Aquisgr. c. 33.

CAPUT XIX.

Tu quidem divinas sapientius scripturas lege, immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce, quod doceas: Obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, & contradicentes revincere. Permane in his, quae didicisti, & credita sunt tibi, sciens a quo didiceris, paratus semper ad satisfactionem omni poscenti te rationem de ea, quae in te est, spe, & fide. Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergo haec, quae dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jeuniis disputat, accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. Hier. ad Nepotian. apud Aquisgr. c. 94. post princ.

CAPUT XX.

Pradicatio sacerdotalis contemnitur, quando, quod verbis praedicat, operibus non adimplet. Proinde qui ceteris forma, & exemplum debent esse, primo facere debent, quod docent, & evitare, quae fieri prohibent. Unde beatus Gregorius in libro pastorali, cum per galilaeum praedicationis speciem tractando exponeret, inter cetera sic ait: „ Gallus cum jam edere catus parat, prius alas excutit, & semetipsum feriens vigilantior reddit. Quia nimirum necesse est ut ii, qui verba sanctae praedicationis monent, prius studio bonae actionis evigilent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce. Prius se per sublimia facta excutiant, & tunc ad bene vivendam alios sollicitos reddant prius cogitationum aliis semetipsum feriant, & quidquid in se inutiliter torpere sollicita investigatione deprehenderit, districta animadversione corrigant & tunc demum aliorum vitam loquendo componant. Prius punire propria stetitibus curent, & tunc, quae aliorum punienda sunt, denuntient, & antequam verba exhortationis insonent, omne, quod locuturi sunt, operibus clament “, &c. Quando vita sacerdotum cum doctrina non concordat, & auditoribus infirmis scandalum, & animarum provenire periculum, non est dubium. Proinde summo opere cavendum est sacerdotibus, ne offendiculum fiant iis quibus praesunt. Tunc enim offendiculum fiunt illis, quando quod verbis praedicant, moribus impugnant, &c. Paris. sub Lud. Lothar. lib. 1. cap. 4. ex Gregor. lib. 3. Pastoral. c. ult.

CAPUT XXI.

Cavendum summo opere est sacerdotibus, ut ab avaritiae peste, quae est idolorum servitus, & cupiditate, quae radix omnium malorum est, suoque sectatores, regno Christi excludunt, se compescant. Quoniam digne non possunt subditis praedicare, ut ab his se abstineant, cum ipsi his, quod valde dedecus, immo periculosum est, se mancipaverint, &c. Scribit & Prosper: „ Non potest dicere sacerdos contemptoribus admonitionis suae futurum cogitare iudicium, quod ipse

Ephef. 5.
Coloss. 3.
2. Tim. 6.

2. Joan. 2.

„ ipse forte non cogitat. Amatoribus mundi, nolite diligere mundum, si eum mundi amor oblectat; ambitiosis ambitioni finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat, ebriosis, ebrietatem cavete, si se mero usque ad alienationem mentis ingurgitat, &c. & quid quid boni non facit, aut mali committit, nec jubet fieri, nec vetabit, quia necessariam docendi auctoritatem contrarietate suæ actionis, aut amittit, aut minuit“, &c. *Paris. sub Ludov. lib. 1. c. 13. En D. Prosper de vita contemplat. lib. 1. c. 15.*

CAPUT XXII.

In ipsa vita sacerdotum pensandum est, qualiter quisque doceat, sicut ait egregius doctor beatus Gregorius, ut recte docens infirmitatem suam quotidie omni consideratione cognoscat, ne aut humilitas accessum fugiat, aut perventio- ni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinâ præsumptio extollat. Prius ergo appetitum timor temperet, post autem magisterium, quod suscipitur, vitam commendet, ac deinde necesse est, ut pastoralis vitæ bonum, quod vivendo ostenditur, etiam loquendo propa- getur. *Aquisgr. II. sub Ludov. part. 1. c. 7. ex Greg. lib. 1. pastor. in princ.*

CAPUT XXIII.

Dist. 21. c. 2.

Nec minus exemplum boni operis doctrinæ conveniens in sacerdotibus esse debet, ut quod ore doctrina profert, vitæ meritum justæ operationis verba sacerdotis omnibus delectabilia faciat exequenda, vitamque probabilem commendet. *Aquisgr. II. sub Ludov. part. 2. c. 8.*

CAPUT XXIV.

Nemo recte monitoris personam accipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiae, conversatione demonstrat. *Ennod. pro Symmacho ante fin.*

TITULUS II.

QUAS RES AUDITORIBUS IN CONCIONIBUS PROPONI OPORTEAT, ET DE MODO, QUEM TENERE DEBET, QUI CONCIONATUR.

CAPUT I.

Sacerdotes & alii clerici, qui fuerint in exercitio Christiano, tam subditi, quam prælati orationi, & exhortationi diligenter insistant, docentes eos verbo pariter & exemplo, ut timorem & amorem semper habeant divinum ante oculos, ne quid dicant, aut faciant, quod divinam majestatem offendant. Et si aliquando lapsi fuerint in peccatum, per veram poenitentiam mox resurgant, gerentes humilitatem cordis, & corporis, & tam in victu, quam in vestitu mediocritatem servantes, dissensiones & æmulationes omnino vitando, rancore, ac livore a se penitus relegatis, ut sic spiritualibus, & materialibus armis muniti adversus hostes fidei securius præliantur, non de sua præsumentes potentia, sed de divina virtute sperantes. *Innoc. III. in conc. Later. c. ult.*

CAPUT II.

Episcopus, vel presbyter, qui clerici, vel populi curam non gerit, & eos pietatem non docet,

segregretur, & si in socordia perseveret, deponatur. *Ap. 57. vel 58.*

CAPUT III.

Oportet eum, qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, ut pro ingenio discipulorum semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. Debet ergo ipse præcipue apprime esse eruditus & doctus, irreprehensibilis, maturus, impavidus, sicut ipsi probabitur fore Clementem hunc post me. *Petrus apud Clem. epist. 1. post princ.*

CAPUT IV.

Quæ major charitas, aut quod efficacius pietatis patrocinium potest a quoquam alicui impendi, quam si ignorantiae tenebras & imperitiæ caliginem ab eo repellat, ac demum veræ fidei doctrinæ pabulo non ad quæstum, non ad ambitionem, sed ad eruditionem, & ædificationem reficiat? tamquam enim mutilo fit manus, claudopes, oculus cæco, qui ignorantiae tenebris sapientiæ & scientiæ thesaurum referat, & candorem lucis, vialque Domini benigniter aperit, &c. *Anzer. ad Episcopos Hispaniæ, post princ.*

CAPUT V.

Objurgando, hortando, suadendo, blandiendo, consolando prodesset, quibus possumus, festinemus. Lingua nostra bonis fomentum sit, pravis aculeus, timidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortando succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consoletur, ut quia doctores dicimur, viam salutis gradientibus ostendamus. *Dionysius Severo Episc. epist. ad fin.*

CAPUT VI.

Nulli sacerdotum liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod patrum possit regulis obviare, quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permitta, frangan- tur? &c. *Celestin. epist. 3. ad Episc. Apuliæ, & Calabria.*

Dist. 8. c. 4.

* digne ob- servabitur.

CAPUT VII.

Ignorare numquam licuit sacerdotum, quid canonum regulis fuerit definitum. *Leo epist. 1. Episc. Italia in med.*

CAPUT VIII.

Nos, qui sacerdotes vocamur, debemus populum nobis subiectum, & prædicando verbis in omni bono, & faciendo, quæ docemus, exemplis instruere, in charitate, in castitate, in humilitate, in continentia, in modestia, in vigiliis, in jejuniis, & oratione, in religione, in elemosynis, in hospitalitate, in quantum vires permittunt, in verbo sapientiæ sale condito, in temperantia manducandi, vel bibendi, in conversatione sancta, in simplicitate cordis, in omni opere bono, pie, & juste vivendo, &c. *Forojul. c. 13. ad finem.*

CAPUT IX.

Doctoris populorum sermo debet esse purus, simplex, & apertus, plenus gravitate & honestate, plenus suavitate, & gratia, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiae, de disciplina justitiæ. Unumquemque de ver-
sa

sa admonens exhortatione juxta professionis, morumque qualitatem, videlicet ut prænoscatur quid, cui, quando, vel quomodo proferat, &c. *Aquisgran. cap. 9. ex Isid. 2. lib. de offic. ecclesiast. c. 6.*

CAPUT X.

Prædicator quisque studeat, ut minas potentium ratione mitiget, & oppressorum angustias, quantum prævalet, ope levet: ut foris resistentibus opponat patientiam, & intus superbientibus exhibeat cum patientia disciplinam: ut erga errata subditorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a justitiæ studio non enervet, sic ad ultionem zelus ferveat, ne tamen pietatis limite fervendo transcendat. Rectoris officium esse debet, ut ingratos beneficiis ad amorem provocet, ut gratos quoque ministeriis in amore servet, ut proximorum mala, cum corrigere non valet, taceat, & quæcumque corrigi loquendo possunt, silentium, consensum esse pertimescat. *Gregor. in Pastor. lib. 2. c. 6. apud Aquisgran. c. 23. ad finem.*

CAPUT XI.

Non omnibus una, eademque doctrina est adhibenda, sed pro qualitate morum, diversa exhortatio erit doctorum. Nam quosdam increpatio dura, quosdam vero exhortatio corrigit blanda. Sicut periti medici ad varios corporis morbos diverso medicamine servant, ita ut juxta vulnorum varietates medicina diversa sit, sic & doctor ecclesiæ singulis quibusque hominibus congruum doctrinæ remedium adhibebit, & quod cuique oporteat, pro ætate, pro sexu, ac professione annuntiabit. Non omnibus ea, quæ sunt clausa, aperienda sunt: multi enim sunt, qui capere non possunt, quibus si indiscrete manifestentur statim aut detrahunt, aut negligunt: prima quippe prudentiæ virtus est, eam, quam docere oporteat, existimare personam. Rudibus populis, seu carnalibus plana, atque communia, non summa, atque ardua prædicanda sunt, ne immensitate doctrinæ opprimantur potius, quam erudiantur.

1. Cor. 3. 2. Unde & Paulus Apostolus ait: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tamquam parvulis in Christo hoc vobis potum dedi, non escam, carnalibus quippe animis, nec alta nimis de celestibus, nec terrena convenit prædicare, sed mediocriter, ut initia eorum moresque desiderant, edoceri, &c.* Aliter est agendum circa eos, qui nostro committuntur regimini, sed offendunt, atque aliter cum his, qui nobis commissi non sunt, qui si justi sunt, venerandi sunt, si vero delinquant, pro sola charitate, ut locus, est, corripiendi sunt non tamen cum severitate, sicut hi, qui nobis regendi sunt commissi, &c. Ingenium boni doctoris est incipere a laudibus eorum, quos salubriter objurgatos corrigere cupit, sicut Apostolus ad Corinthios facit, quos a laudibus inchoat, & increpationibus probat, sed erant apud Corinthios, qui & laude, & increpatione digni essent. Ille vero sic discrete, sic utraque omnibus loquitur, ut omnibus utraque convenire videantur. *Isidor. lib. 3. de summo bono c. 43. apud Aquisgran. c. 23.*

Tom. VI.

CAPUT XII.

Non una eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namque aliis officunt, quæ aliis profunt, quia plerumque herbæ, quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt, & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat, & medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit, & panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate ergo audientium formari debet sermo doctorum, ut & ad sua singulis congruat, & tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi ut ita dixerim, quædam in cithara tensiones tractæ chordarum? quas tangendo artifex, ut non sibi metipsum dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsatur, & idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Doctor quisque, ut una cunctos virtute charitatis ædificet, ex una doctrina, non una, eademque exhortatione tangere corda audientium debet. Doctor etenim, qui loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat. Hinc enim per prophetam Dominus dicit: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion,* ut videlicet, qui cælesti prædicatione utitur, ima jam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoque facilius subditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat. *Greg. in Pastoralibus lib. 2. c. 3. 3. lib. in prob. apud Aquisgran. c. 24.*

Esai. 40. 6.

CAPUT XIII.

Ut longe ante nos reverendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non omnia tempora congruant doctrinæ, secundum Salomonis sententiam dicentis: *Tempus tacendi, tempus loquendi.* Non quidem per timorem, sed per discretionem, propter malorum incorrigibilem iniquitatem, nonnumquam erectos oportet a doctrina cessare. Interdum doctores ecclesiæ, calore charitatis ardentibus conticescunt a docendo, quia non est, qui audiat, testante propheta: *Civitates Austri clausæ sunt, & non est qui aperiat.* Qui docendi accipit officium, interdum ad tempus facta proximi taceat, quæ statim corrigere nequaquam existimat. Nam si corrigere potest, & dissimulat, verum est, quod contentum erroris alieni habeat. Plerique sancti doctores pro mali pertinacia, quia iniquos emendare nequeunt, his tacere disponunt, sed calorem spiritus, quo aguntur, ferre non sustinentes, iterum in increpationem profiliunt impiorum. *Isid. lib. 3. de summo bono c. 44. apud Aquisgran. c. 25.*

Ecclesiastic. 3. 6.

Jer. 13.

CAPUT XIV.

Sumamus sarraginē ferream, & ponamus eam muni ferreū inter nos & civitatem, id est assumamus zelum fortem, & inter nos & auditoris nostri animum inveniamus hanc postmodum fortem munitionem. Tunc enim hunc murum ferream

Ezech. 3. 4.

T

in-

inventuri sumus, si nunc eum fortiter tenemus, videlicet docendo, custodiendo, suadendo, increpando, mulcendo, terrendo aliquando leniter, aliquando vero & severius agendo, &c. Infirmæ quippe animæ, atque appetitui mundi deditæ, aliquando melius ex severitate fervantur, ut obfirmata facies, id est, per severitatis custodiam ab omni spe frivolæ remissionis obducta, inconstantem animam terreat, atque a delectatione vitiorum distractionis vigore constringat. Quod cum a doctore agitur, semper necesse est, ut dulcedo & humilitas corde teneatur, quatenus & multum amet, & numquam contra eum per elationem superbiat, cui tamen amorem suum, & humilitatem pro utilitate ejus prodesse recusat. *Greg. lib. 1. super. Ezech. homil. 12. circa fin. apud Aquisgran. c. 34.*

CAPUT XV.

Statuimus, ut unusquisque nostrum dictis, & exemplis plebes parochiæ suæ attentius ad meliora incitare studeat, easque, ut se a malis cohibeant, & ad Dominum ex toto corde convertant, sollicitè admoneat, Deumque, quem peccando sibi iratum fecerant, digna pœnitentiæ satisfactione, & eleemosynarum largitione sibi placabilem facere satagant, &c. simulque eis ostendendum, quoniam quoad quis malis operibus deditus est, nec sibi, nec alii Deum propitiari meretur. Et quod unusquisque eleemosynam, & cetera bona opera a semetipso incipere debeat. Cum itaque prædicatores sine cessatione populo Dei prædicare necesse sit, juxta illud Esaiæ: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum*: tum maxime id eis facere necesse est, quando iram Domini contra populum Dei, meritis exigentibus grassari perpexerint, juxta illud, quod Dominus per Ezechielem prophetam loquitur: *Terra, cum induxero super eam gladium, & tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis, & constituerit eum supra se speculatorem, & ille viderit venientem gladium super terram, & cecinerit buccina, & annuntiaverit populo; audiens autem quisquis ille est sonum buccinæ, non observavit, veneritque gladius, & tulerit eum, sanguis ipsius super caput ejus erit, &c.* Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit tuba, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de his animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram &c. Formidolosa valde, & tremenda hæc sententia sacerdotibus est, qua dicitur, *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram*. Unde Prosper scribit: „ Ille, inquit, cui dispensatio

Esai. 58.

Ezech. 3. & 23.

„ verbi commissa est, etiam si sancte vivat, & „ tamen perditæ viventes arguere aut erubescat, „ aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierint, perit: & quid ei proderit, non puniri „ suo, qui puniendus est alieno peccato? &c. „ Ecce quale periculum prædicatoribus, nisi strenue, utiliterque prædicaverint, & auditoribus, nisi id, quod sibi prædicatum fuerit, obedienter impleverint, instat. Quod autem per negligentiam,

& desidiam prædicatorum, & per contemptum quorundam auditorum transgressio fit divinorum præceptorum, periculumque animarum, manifestum est. Quapropter necesse est, ut hæc prophetica, immo cælestis tuba, qua præcipitur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum*, ut prædicatores, & auditores a somno torporis, & negligentia tandem excitet, ut hi de utili sua prædicatione, & illi de obediendi impletione, æterna a Domino donentur remuneratione. *Parisiens. sub Ludov. & Lothar. lib. 1. c. 5. ex D. Prospero lib. 1. de vita contemplat. c. 20.*

Esai. 58.

CAPUT XVI.

Doctrina sacerdotalis secundum cujusque qualitatem omnibus sufficiens esse debet, modesta, prudens, discreta, honesta, atque utilis. *Aquisgr. sub Ludov. part. 1. c. 8.*

CAPUT XVII.

Ignorari non licet, quanta debet esse diversitas, atque discretio in arte prædicationis, prout in libro pastorali digestum habetur, ita inquietante S. Gregorio: „ Ut enim ante nos longe reverendæ „ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, „ non una, eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas „ astringit, sæpe namque aliis officiant quæ aliis „ is profunt. Ideoque rector scire debet descriptiones personarum, quæ in eodem libro a plenius scire volentibus inveniri possunt. *Aquisgr. II. sub Ludov. part. 2. cap. 6. ex Greg. in prol. lib. 3. Pastoral.*

CAPUT XVIII.

Doctrina, & prædicationis in populum partim Episcoporum, & reliquorum sacerdotum, partim vero populi negligentia, non, sicut necessarium est, procuratur, & sacerdotum quidem incuria nullatenus est excusanda; quidam vero laici, & maxime potentes, ac nobiles, quos studiosius ad prædicationem venire oportebat, juxta domos suas basilicas habent, in quibus divinum audientes officium, ad majores ecclesias rarius venire consueverunt. Et dum soli afflicti, & pauperes veniunt, quid aliud, quam ut mala patienter ferant, illis prædicandum est? Si autem divites, qui pauperibus injuriam facere soliti sunt, venire non renuerent, admoneri utique possent, ut eleemosynis peccata sua redimerent, ut a fluxu rerum temporalium se abstinere. Admonendi sunt igitur potentes, ut ad majores ecclesias, ubi prædicationem audire possint, conveniant, &c. *Ticin. cap. 4.*

TITULUS III.

CONCIONATORES EX SCRIPTIS SANCTORUM PATRUM DE PROMANT CONCIONES.

CAPUT I.

QUI officium prædicationis suscepimus, nullis curis a divina lectione privemur. *Tolet. XI. cap. 2.*

CAPUT II.

Oportet ecclesiis præpositos quotidie, sed præsertim dominicis diebus clerum, & populum docere

cere

vere pietatis sermones ex sacra scriptura differen-
tes sensus, & judicia veritatis, non transgreden-
do traditos fines, aut sanctorum patrum traditio-
nes, &c. non aliter interpretentur (*sacram scri-
pturam*) quam ecclesie lumina, & doctores suis
scriptis fecerunt, &c. Nam per dictorum patrum
doctrinam populi sciunt, quae eligere, & capere
debeant, quid damnosum, & abiiciendum est,
& vitam in melius commutant, & ignorantiae af-
fectu non tenentur, & vitae salutem quaerunt.
Trull. cap. 19.

CAPUT III.

Quilibet Episcopus habeat homilias continen-
tes necessarias admonitiones, quibus subiecti eru-
diantur, id est, de fide catholica, prout capere
possint, de perpetua retributione bonorum, &
aeterna damnatione malorum, de resurrectione
quoque futura, & ultimo iudicio, & quibus ope-
ribus possit promereri beata vita, quibusve exclu-
di. Et ut eadem homilias quisque aperte transfer-
re studeat in rusticam Romanam linguam, aut
Theoticam, quo facilius cuncti possint intelligen-
re, quae dicuntur. *Turon. sub Carolo c. 17. Ma-
gunt. sub Raban. c. 12.*

CAPUT IV.

Cum omnia concilia canonum, qui recipiuntur, sint
a sacerdotibus legenda, & intelligenda, & per ea
sit eis vivendum, & praedicandum, necessarium
duximus, ut ea, quae ad fidem pertinent, & ubi
de extirpandis vitiis, & plantandis virtutibus scri-
bitur, hoc ab eis crebro legatur, & bene intelli-
gatur, & in populo praedicetur. *Cabil. sub Caro-
lo c. 37. Magunt. sub Rab. c. 2. Burch. lib. 19. c.
147. Ivo part. 15. c. 157. decret.*

CAPUT V.

Episcopi sermones, & homilias sanctorum pa-
trum, prout omnes intelligere possint, secundum
proprietaem linguae praedicare studeant. *Remen.
cap. 15. Burch. lib. 1. cap. 96. Ivo part. 5. cap.
198. decret.*

CAPUT VI.

In exponendis, vel praedicandis divinis scriptu-
ris sanctorum catholicorum, & probatissimorum
patrum sensum quisque sequatur, in quorum scri-
ptis, ut beatus dicit Hieronymus, fidei veritas
non vacillet. *Meld. c. 34.*

TITULUS IV.

QUO MODO SINT EXPLICANDAE DI-
VINE LITTERAE.

CAPUT I.

Relatum est nobis, quod quidam in vestris
partibus commorantes adversantur laicis
doctrinis, & prout eis videtur, non secundum tra-
ditionem patrum, sed juxta sensum suum docere
videntur. Multas enim quidam, ut audivimus,
vestrarum partium, secundum ingenium homi-
num, ex his, quae legunt, verisimilitudines ca-
piunt, & ideo diligenter observandum est, ut lex
Dei, cum legitur, non secundum propriam in-
genij intelligentiam legatur, vel doceatur. Sunt
enim multa verba in scripturis divinis, quae pos-
sunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquis-
que sponte praesumpsit, sed fieri non oportet.
Non enim sensum, quem extrinsecus adulteretis,

Dist. 37. c.
15.

alienum, & extraneum debetis quaerere, aut quo-
modo ipsum ex scripturarum auctoritate con-
firmare, sed ex ipsis scripturis sensum capere ve-
ritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam di-
scere scripturarum, qui eam a majoribus secun-
dum veritatem sibi traditam servavit, ut ipse
possit ea, quae recte suscepit, competenter asse-
re. Cum enim ex divinis scripturis integram quis,
& firmam regulam veritatis susceperit, absurdum
non erit, si aliquid etiam ex eruditione commu-
ni, ac liberalibus studiis, quae forte in pueritia
attigit, ad assertionem veri dogmatis conferat,
ita tamen, ut ubi vera didicit, falsa, & simulata
declinet. *Clem. epist. 5. in fin.*

CAPUT II.

Neminem liceat interpretari aliter divinas
scripturas nisi quod recta ratio permittit, &c. Ea
tenenda sunt, quae divinarum scripturarum series
continet, & a sacerdotibus utili ratione sunt con-
sistuta. *Innoc. epist. 23. c. 6. ad synod. Tolos.*

CAPUT III.

Oportet, eos, qui praesunt ecclesiis in omnibus
quidem diebus, & praecipue dominicis, omnem
clerum, & populum docere pietatis, & rectae re-
ligionis eloquia, ex divina scriptura colligentes
intelligentias, & judicia veritatis, &c. Sed etsi ad
scripturam pertinens controversia aliqua excita-
ta fuerit, ne tam aliter interpretentur, quam quo-
modo ecclesiae luminaria, & doctores suis scriptis
exposuerunt, & majorem ex his laudem assequan-
tur, quam si quae a se dicantur, componant, ne-
dum quandoque ad id haesitant, ab eo, quod con-
venit, excidant. Per praedictorum enim patrum
doctrinam populi ad eorum, quae sunt bona, &
expetenda, & inutilia, ac reiicienda, cognitio-
nem venientes, vitam in melius componunt, nec
ignorantiae vitii convincuntur, sed doctrinae men-
tem adhibentes, seiplos ad id, ne mali quid eis
accidat, excitant, & imminentium supplicio-
rum metu sibi salutem procurant. *Trull. c. 19.*

CAPUT IV.

In exponendis, vel explicandis divinis scriptu-
ris sanctorum catholicorum, & probatissimo-
rum patrum sensum quisque sequatur, in quo-
rum scriptis, ut beatus dicit Hieronymus, fidei
veritas non vacillet. *Meld. c. 34.*

TITULUS V.

QUIBUS DIEBUS SINT HABEN-
DAE CONCIONES.

CAPUT I.

Comperimus, quod per nonnullas ecclesias
die sextae feriae passionis Domini clausis ba-
silicarum foribus non celebratur officium, nec
passio Domini populis praedicatur, dum idem sal-
vator noster Apostolis dicat, *passionem, & mor-
tem, & resurrectionem meam omnibus predi-
cate.* Ideo oportet eodem die mysterium cru-
cis, quod ipse Dominus cunctis annuntiandum vol-
luit, praedicare, atque indulgentiam criminum
clara voce omnem populum praestolari *. *Toler.
IV. c. 6.*

CAPUT II.

Ut in diebus dominicis habeantur conciones,
Trull. c. 19.

CAPUT III.

De officio prædicationis, si forte Episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut aliqua causa exigente non valuerit, numquam tamen desit diebus dominicis, aut festiuitatibus, qui verbum Dei prædicet, juxta quod intelligere vulgus potest. *Magunt. c. 25.*

CAPUT IV.

Omnes sacerdotes, quibus parochia commissa est, omnibus dominicis, & festis diebus admonere prædicando populum debent, secundum illud: *2. Tim. c. 4. Argue, obsecra, increpa*, quia sacerdos si sine prædicationis sonitu incedit, interminatione divina mortis reus est. Episcopus autem, quos doctos viderit ad hoc officium, & idoneos, non tantum jussu, sed etiam rogatu ad tam sublime opus incitare debet. Quod officium, siue monachus, siue clericus suscipere nequaquam potest, nisi in gradum lectoris fuerit ordinatus. *Concil. Lemov. Actio. 2. ante fin.*

TITULUS VI.

DE EFFECTU PRÆDICATIONIS
VERBI DEI.

CAPUT I.

SI assidui sint (*Christiani*) ad audiendum, non solum vitæ æternæ ex salubri commotione capiunt lucra, verum, & quæcumque illæ sunt tristitiæ, vel mœrores, quæ ex præsentis vitæ necessitatibus, & cladibus tempore veniunt, quæque malorum sermonibus in corde suo, velut jacula defixa circumferunt, abiciuntur omnia prædicatione veritatis, & vitæ æternæ doctrina, & eruditione purgata. Alioquin si multo tempore auditum subtrahant a verbo Dei, & remaneant in cultu vitiorum, sine dubio spinis erunt, & sentibus occupati. Et quid aliud nisi ad ignem talis hæc terra præparabitur? *Clem. epist. 1. ante med.*

TITULUS VII.

EPISCOPI, CUM DIÆCESES VISITANT,
DOCEANT SUBDITOS, ET REVOCENT
EOS A VITIIS.

CAPUT I.

De censib. c. 23. Gr. IX. c. 2. cod. tit. in 4. coll.

VISITATIONIS officium exercentes, non quærant quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, prædicationi, & exhortationi, & correctioni, & reformationi vacando, ut fructum referant, qui non perit, &c. *Innoc. III. in concil. gener. Later. c. 33. in fin.*

CAPUT II.

1e. q. 2. c. 14. Quoniam Velina, Buxentina, & Blandana ecclesiæ, quæ tibi in vicino sunt constitutæ, sacerdotis noscuntur vacare regimine, propterea fraternitati tuæ earum solemniter operam visitationis injunximus, illud præ omnibus commomentes, ut ubi præfatarum ecclesiarum, siue diæceces earum, vel diaconi, vel religiosa personæ inventæ fuerint, districtè, canoniceque ut vivant, modis omnibus admonere studebis. *Greg. lib. 2. epist. 29. Felici Episc. Anselm. lib. 7. c. 7.*

CAPUT III.

1e. q. 1. Placuit, c. 12. Episcopi visitantes, postquam suos clericos discusserint, vel docuerint, alia die convocata plebe ipsius ecclesiæ, doceant illos, ut errores fugiant idolorum, vel diversa crimina, id est, ho-

micidium, adulterium, perjurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera: Et quod nolunt sibi fieri, alteri non faciant. Et ut credant resurrectionem omnium hominum, & diem judicii, in quo unusquisque secundum opera sua recepturus sit. *Brachar. II. cap. 1. Burch. lib. 1. c. 85. Ivo part. 1. c. 75. & part. 5. c. 191. decret.*

CAPUT IV.

De servitio presbyterorum erga Episcopos suos, consuetudo, ut nobis videtur, valde reprehensibilis amputetur, ut scilicet quotiens Episcopus statuto tempore visitationem, & prædicationem per eosdem sacerdotes, & populos (non) exercet, nequaquam ab eis pro solito servitio pecunias exigat. *Valent. sub Lothar. c. 22.*

TITULUS VIII.

MUNUS EPISCOPI EST DOCERE CLERICOS,
ET RELIQUUM POPULUM.

Vide lib. IV. tit. LIX.

TITULUS IX.

PRÆDICANTEM EPISCOPUM CUSTODIANT
DIACONI.

CAPUT I.

DIACONI custodiant Episcopum prædicantem. *Diff. 93. c. 11. Evarist. epist. 1. in princ.*

CAPUT II.

Evaristus septem diaconos ordinavit, qui custodirent Episcopum prædicantem propter stilum veritatis. *Damas. in Evarist.*

TITULUS X.

PRESBYTERI, VEL DIACONI DOCEANT
POPULUM.

Vide lib. VI. tit. X. lib. VII. tit. I. quibus adde.

CAPUT I.

SI quis sæcularium, amore religionis, se ad quemcumque sacerdotum crediderit conferendum, ipse sibi eum, quem erudiendi gratia suscepit, vindicabit. *Arelat. II. c. 36.*

TITULUS XI.

PRESBYTER NON DOCEAT POPULUM
PRÆSENTE EPISCOPO.

CAPUT I.

NEC Episcopo coram posito populum docere, aut salutare, nec plebem exhortari chorepiscopo liceat. *Damas. epist. 4. in med. Leon. epist. 86. ad Episcopos Germaniæ in fin.*

CAPUT II.

Nec presbyteris, vel chorepiscopis licet, Episcopo coram posito, populum docere, aut benedicere, nec plebem exhortari, quæ omnia eis a Sede Apostolica prohibita esse noscuntur. *Hispal. II. c. 7. in fin.*

TITULUS XII.

NEMO PRÆDICET SINE LICENTIA
EPISCOPI DIÆCESANI.

CAPUT I.

Quia nonnulli sub specie pietatis virtutem ejus, juxta quod ait Apostolus, abnegantes, auctoritatem ubi vendicant prædicandi, cum ipse Apostolus dicat: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur*: omnes, qui prohibiti, vel non missi, præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel catholico Episcopo loci susceptam, publice, vel privatim prædicationis officium usurpare præsum-

Diff. 93. c. 11.

De her. c. 11. Gr. IX. c. 2. cod. tit. in 4. coll. 2. Tim. 3. Tit. 2. Rom. 20.

sumpserint, excommunicationis vinculo innodentur. Et nisi quantocius resipuerint, alia competentis poena plebantur. *Innoc. III. in concil. gen. Lateran. c. 3.*

CAPUT II.

Eleemosynarum quæstores, quorum quidam se alios mentiendo abusiones nonnullas in sua prædicatione proponunt, admitti nisi Apostolici, vel diocesani Episcopi litteras veras exhibeant, prohibemus, & tunc præter id, quod in ipsis continebitur litteris, nihil populo proponere permittantur, &c. *Innoc. III. in concil. gen. Lateran. c. 62.*

CAPUT III.

Non licet Episcopo in alia urbe ei non competenti publice docere. Si quis fecerit Episcopatu cesset, in presbyteratu manens. *Trull. c. 20.*

TITULUS XIII.

CONSTITUANTUR IN ECCLESIIS CATHEDRALIBUS, ET IN CONVENTUALIBUS VIRI DOCTI, ET GRAVES, QUI CONCIONENTUR.

CAPUT I.

Quoniam in plerisque partibus intra eandem civitatem, atque diocesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus, & mores, districtè præcipimus, ut Pontifices hujusmodi civitatum, sive diocesum provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum, & linguarum, divina officia illis celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrant, instruendo eos verbo pariter, & exemplo. *Innoc. in concil. Later. c. 9.*

CAPUT II.

Inter cetera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei maxime noscitur esse necessarium, quia sicut corpus materiali, sic anima spiritali cibo nutritur, eo quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Unde cum sæpe contingat, quod Episcopi propter occupationes multiplices, vel in valetudines corporales, aut hostiles incursum, seu occasiones alias, ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis est reprobandum omnino, nec de cetero tolerandum, per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas dioceses, & diffusas, generali constitutione sancimus, ut Episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere, & sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cum per se idem nequeunt, sollicitè visitantes, eas verbo ædificent, & exemplo, quibus ipsi cum indigerint, congrue necessaria ministrent: ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. Unde præcipimus, tam in cathedralibus, quam in aliis conventualibus ecclesiis, viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores, & cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, & poenitentibus in iugendis, ac ceteris, quæ ad salutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, districtè subiaceat ultioni. *Innoc. III. in concil. gen. Later. c. 10.*

CAPUT III.

Dignum duximus, ut unusquisque Episcoporum studeat ministros suos, pro modulo possibilitatis, bene instruere, ut si forte contigerit aliquem Episcoporum tardiloquentem esse, aut infirmitate aliqua impeditum, habeat tamen ministrum doctum, qui ejus vice pabula verbi divini populo administrare possit, vel etiam si Episcopus de hac mortalitatis luce transierit, ut ecclesia, si a Domino factum, doctore futuro non indigeat. *Aquisgr. II. sub Lud. part. 2. c. 11.*

CAPUT IV.

Unusquisque nostrum, sive per se, sive per aliquem, vel aliquos ex ministris ecclesiæ fideliter doctos, ita verbum prædicationis, tam in urbe, quam foris in plebibus exhibeat, ut omnino eis admonitio, & exhortatio salutaris deesse non possit: quia ubi verbum Dei fidelibus non ministratur, quid aliud, quam vita animæ subtrahitur? *Valent. sub Loth. cap. 16.*

TITULUS XIV.

CONSTITUANTUR MAGISTRI SUMPTIBUS ECCLESIARUM, QUI GRATIS DOCEANT.

Vide lib. XIV. tit. IX.

TITULUS XV.

LAICI NON CONCIONENTUR.

CAPUT I.

Præter eos, qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi jus docendi, & prædicandi audeat vendicare, sive ille monachus, sive laicus, qui alicujus scientiæ nomine gloriatur, quia etsi optandum est, ut omnes ecclesiæ fidei, quæ recta, & sana sunt, sapiant, non tamen permittendum est ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus, gradum sibi prædicatoris assumat, &c. *Leo epist. 60. vel 91. ad Maxim. Antiochen. Episcop. Burch. lib. 2. c. 158. Ivo part. 6. cap. 249. decret. Anselm. lib. 7. cap. 130. in Rom. post lib. ult. c. 68.*

CAPUT II.

Præter Domini sacerdotes, nullus audeat docere, & prædicare, seu monachus, sive ille sit laicus, qui cujuslibet scientiæ nomine gloriatur. *Leo epist. 61. vel 42. in fin. ad Theodoritum Episcopum Cyri. Burch. lib. 2. cap. 158. Ivo part. 6. c. 249. decret. Anselm. lib. 7. cap. 130. in Rom. post lib. ult. c. 68.*

CAPUT III.

Consulentibus, & instrui poscentibus vobis, quid de eo faciendum sit, qui super præcepta Apostolica se efferens, prædicare tentaverit. Unus ex eis, id est Paulus, respondet, & instruit dicens: „Sed licet nos, aut angelus de celo evangelizet vobis præter quod evangelizamus vobis, anathema sit“. Verumtamen, cum hoc fit, non est passim, nec a vobis, qui laici estis, temere judicandum; in multis enim offendimus omnes. *Nicol. ad consult. Bulgar. c. 105.*

CAPUT IV.

Laicus præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non audeat. *Carth. IV. c. 98. Ivo part. 8. c. 323. decret.*

16. q. 1. c. 19. Adiciamus. * sententia.

Gal. 1. 6. Jacob. 3. 4.

Dist. 23. c. 29. Mulier, in fin. * jubentibus, al.

CA.

De poenit. c. 14. Gr. IX. c. 5. in 4. collect.

De off. jud. ord. cap. 14. Gr. IX. c. 2. ead. tit. in 4. collect.

De off. jud. ord. c. 25. Gr. IX. c. 2. ead. tit. in 4. collect. Densd. 2. Matt. 4.

CAPUT V.

Diff. 23. d. 29. & de consecr. d. 4. cap. 20. Mulier, quamvis docta, & sancta, viros in conventu docere non præsumat. *Carth. IV. cap. 99. Burch. lib. 8. c. 83. Ivo part. 7. c. 101. & part. 8. c. 324. decret.*

CAPUT VI.

Hab. 5. d. Ne quis doctoris nomen sibi componat, præter has personas, quibus concessum est, secundum quod scriptum est. *Cæsar. c. 7.*

CAPUT VII.

Rom. 12. b. Non oportet publice laicum movere sermonem, vel docere, docendi dignitatem inde comparantem, sed permaneat in tradito a Deo ordine, & quibus cum gratia data est docendi, differat, & sacras ab eis discat. In una enim ecclesia fecit Deus diversa membra juxta Apostoli vocem, quod recte Gregorius Theologus interpretatur, &c. qui contra fecerit, dies quadraginta communione privetur. *Trull. c. 64.*

TITULUS XVI.

HÆRETICI NON PERMITTANTUR HABERE CONCIONES.

CAPUT I.

** seditione.* Bonum profecto, & valde proficuum est sanctas, & venerabiles iconas pingere, sed & proximos disciplinas divinæ, ac humanæ sapientiæ docere. Non autem bonum est, nec omnino proficuum, ab indignis horum aliquid fieri. Hujus rei gratia nequaquam iconas operari in sacris templis, sed neque in quovis loco docere anathematizatos ab hac sancta, & universali synodo definimus, & promulgamus usquequo a propria seditione, ac malitia convertantur. Quisquis ergo post hanc definitionem nostram ad picturæ sanctarum imaginum in ecclesiis, aut doctrinæ actionem quoquomodo eos admiserit, siquidem clericus fuerit, proprio gradu periclitetur, si vero laicus, separetur, & divinorum mysteriorum communione privetur. *Syn. VIII. CP. sub Hadr. II. c. 6. vel 7.*

CAPUT II.

Photius propriæ manus subscriptionibus munebat sibi adherentes clientes ad discendam sapientiam, quæ adeo stulta facta est, cum manifeste nova est inventio, & sanctis patribus nostris penitus aliena, &c. Definivit sancta, & universalis synodus, neminem ex his omnibus a nunc tale tenere, vel servare chirographum, sed absque quolibet offendiculo indubitanter, & intrepide tam docere, quam discere omnes, qui ad utrumque consistunt idonei, præter hos, qui erroris inveniuntur, & hæreticæ impietatis servituti redacti; hujuscemodi enim certissime & docere, & discere interdiciamus, &c. *Syn. VIII. CP. sub Hadr. cap. 8. vel 9.*

CAPUT III.

Pseudoprophetæ, & qui falsas faciunt pro lucro prædicationes, non accipiantur. *Greg. VII. in conc. Rom. ann. incert. c. 22.*

CAPUT IV.

** Ecclesiastum, al.* Filii nostri Prosper, & Hilarius, tantum, nescio, quibus presbyteris, illic licere, qui dissentioni Christianæ * studeant, sunt apud nos profecti, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in

medium, pertinaciter eos dicant prædicari ad-
versantia veritati. Sed vestræ dilectioni justius im-
putamus, quando illi supra vos habent copiam
disputandi. Legimus super magistrum non esse *Matt. 10.*
discipulum, hoc est, non sibi debere quemquam
ad injuriam doctorum vindicare doctrinam, &c.
Quid ille spei est, ubi magistris tacentibus hi lo-
quuntur, qui si ita est, eorum discipuli non fue-
runt? Timeo ne connivere sit, hoc tacere, timeo
ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis tali-
ter loqui. In talibus causis non caret suspitione
taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas
displiceret. Merito namque causa nos respicit, si
silentio faveamus errori, ergo corripiantur hu-
jusmodi. Non sit his liberum, habere pro volun-
tate sermonem. Desinat, si ita res sunt, incesse-
re novitas vetustatem, desinat ecclesiarum quie-
tem inquietudo turbare, &c. Sciant omnes, qui
male docent, quod sibi discere magis, ac magis
competat, quam docere. Nam quid in ecclesiis
vos agitis, si illi summam teneant prædicandi?
&c. Nunc tamen repetentes sæpius admonemus,
vetentur hujusmodi qui laborant per terras aliud,
quam ille noster jussit agricola, seminare. Nec ta-
men mirari possumus, si hæc erga viventes hi nunc
tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium
fratrum memoriam dissipare. *Cælest. ep. 1. c. 1.*

CAPUT V.

Ut Imperialis est potestatis tumultus publicos, ac
seditiones sacrilegas severius coercere, ita au-
ctoritatis est sacerdotalis monachis prædicandi a-
liquam contra fidem licentiam non præbere, &
omni virtute resistere, ne ea, quæ ad sacerdotes
pertinent, sibi audeant vindicare. *Leo ep. 80. ad
Julian. Coen. Episc. in med.*

TITULUS XVII.

PRESBYTERI, ET DIACONI LAPSI NON CONCIONENTUR.

CAPUT I.

*Diff. 50. c. 32. Presby-
teros.* Presbyteri, qui immolarunt, & postea certa-
mina sustinuerunt, non offerant, neque concionentur,
neque ministrent in sacris ministeriis. *Ancyran. cap. 1. Burch. lib. 5. cap. 40. Ivo part. 2. c. 49. decret.*

CAPUT II.

*Diff. 50. c. 32. Presby-
teros.* Diaconi, qui immolantur, & postea tormen-
ta vicerunt, vacent ab omni ministerio sacro, et-
iam prædicandi. *Ancyran. c. 2. Burch. lib. 5. c. 41. Ivo part. 2. c. 50. decret.*

CAPUT III.

Quicumque subordinatione vel diaconatus vel
presbyterii, vel Episcopatus mortali crimine di-
xerint se esse pollutos, a supradictis ordinationi-
bus submovendos, reos scilicet, vel veri confes-
sione, vel mendacio falsitatis, &c. *Valent. Gal-
liæ cap. 4.*

CAPUT IV.

Hi qui in discrimine constituti pœnitentiam
accipiunt, nulla manifesta scelera consistentes,
sed tantum peccatores se prædicantes, hujusmo-
di si revaluerint, possunt etiam pro morum gra-
vitate ad gradus ecclesiasticos pervenire. Qui ve-
ro ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale
peccatum perpetrassent publice fateantur, ad cle-
ricam,

rum, vel ad honores ecclesiasticos pervenire nullatenus poterunt, quia se confessione propria notaverunt. *Tolet. IV. c. 54. & Tolet. XIII. c. 10.*

TITULUS XVIII.

OMNES POSSUNT INTERESSE CONCIONIBUS, ETIAM INFIDELES.

CAPUT I.

De conf. d. 1. cap. 66.

Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam & audire verbum Dei, sive gentilem, sive hereticum, sive Judæum usque ad missam catechumenorum. *Carth. IV. c. 84. Burch. lib. 3. c. 28. Ivo lib. 2. tit. 4. c. 14. panorm. & part. 1. c. 33. decr. Cas. lib. 4. c. 91.*

CAPUT II.

** vel missam, al.*

Antiquos canones relegentes censuimus observandum, ut sacrosancta evangelia ante munus illationem in missa * catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermones sacerdotis non solum fideles, sed etiam catechumeni, ac poenitentes, & omnes, qui e diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita nonnullos attractos ad fidem evidentem scimus. *Valent. Hisp. c. 1.*

TITULUS XIX.

POPULUS AMET SUUM DOCTOREM, ET OBTEMPERET ILLIUS PRÆCEPTIS.

CAPUT I.

12. q. 3. c. 12.

Quicumque contristaverit doctorem veritatis, peccat in Christum, & patrem omnium exacerbatur Deum, propter quod & vita carebit. *Petrus apud Clem. epist. 1. in princ. & Alex. epist. 1. ante med.*

CAPUT II.

1. q. 7. c. 8.

Instruebat (B. Petrus) verba divina libenter audire, & sacerdotibus suis libenter obtemperare, atque obedientes esse docebat, &c. omnes & eorum Episcopos tota animi virtute diligere, ut oculos suos, quia oculi sunt illorum. Eorum præceptis in omnibus obedire, etiam si ipsi aliter, quod absit, agant, memores scilicet illius Domini præcepti: *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Clem. ep. 1. in fin. Theodulph. ad presb. Aurelian. c. 21.*

Mat. 13. 4.

CAPUT III.

Mat. 20. Luc. 10.

Consilium do unicuique vestrum (Sacerdotes) constanter docere verba divina, & discipulis libenter accommodare aurē verbo Dei. Vestrum enim, quia legatione Domini fungimini, est docere populos, eorum vero est, vobis obedire ut Deo, &c. Vestrum est eos instruere, eorum est vobis obedire ut Deo, cujus legatione fungimini dicente Domino: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, & qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Nihil enim injustius, vel inhonestius est, quam filios patribus rebelles, aut clericos, vel laicos doctoribus, seu discipulos magistris inobedientes, vel protervos existere, &c. Dominus noster mittens vos vice sua in loco Apostolorum ad prædicandum, præcepit vobis docere omnes, omnesque vobis fideliter obedientes, ut ipsi, existere, quoniam nec aliter terra pari & fructus suos, nisi culta receperit semen, & irrigata germinaverit, &

pariat, quæ est paritura. Sic & omnis homo qui libenter non receperit verbum Dei, illudque in corde suo germinare non siverit, ac minime crediderit doctoribus, & Episcopis suis, non benevolus, sed rebellis, atque inobediens extiterit, fructum non germinabit, nec pariet, sed similis est arbori illi, de qua Dominus ait: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Clem. ep. 3. in princ.*

Mat. 7.

CAPUT IV.

Desiderium habere omnes erga doctorem veritatis, eumque ut oculos suos amare oportet, quia & ipsum populum sibi commissum, seu proprios filios amare, & docere condecet, &c. *Clem. ep. 3. post princ.*

CAPUT V.

Consilium do unicuique discipulo, libenter præbere aurem verbo Dei, & cum amore veritatis audire, quæ dicimus, ut mens oprimo semine suscepto, per bonos actus lætos afferat fructus. Nam si me docente ea, quæ ad salutem pertinent, recipere quis abnuvit, & animo pravis opinionibus occupato obsistere nititur, non ex nobis, sed ex semetipso habebit pereundi causam. Debet enim justo iudicio examinare, quæ dicimus, & intelligere, quia verba loquimur veritatis, ut cognitio iis, quæ sunt, ut sunt, in bonis actibus dirigens viam suam regni cælestis possit participes inveniri. *Clem. epist. 3. in med.*

CAPUT VI.

Sacerdotes vice Christi legatione funguntur in ecclesia. *Evarist. ep. 2. ad fideles in Ægypto princ. ubi multa de obedientia Episcopis. Anacle. ep. 1. ad omnes fideles, cum Clemente ep. 1. ad Jacob. frat. Domini Pontian. Felici Episcopo Succribono ep. 1.*

CAPUT VII.

Utilis semper est docti viri allocutio, quia aut discit audiens, quod nescire se noverat, aut cognoscit, quod est amplius, id quod se & nescire nesciebat, &c. *Greg. Eulogio Episcopo Alexandr. lib. 7. registr. ep. 29. indict. 1.*

CAPUT VIII.

Si David regum iustissimus in Saul, quem constabat jam a Domino reprobatum, & abjectum esse, manum mittere non præsumpsit, quanto magis cavendum est, ne manum detractionis aut vituperationis, sive indiscretionis, aut dehonorationis quidam mittant in unctum Domini, vel in prædicatores sanctæ ecclesiæ? quia eorum vexatio, sive detrahitio ad Christum pertinet, cujus vice in ecclesia legatione funguntur. *Gregor. Felici Episc. Messanæ lib. 12. ep. 32. reg.*

CAPUT IX.

Vereor, ne sitis matri vestræ ecclesiæ adhuc in tristitia, & gemitu, cum non convenitis ad audiendum Dei verbum, & vix festis diebus ad ecclesiam proceditis, & hoc non tam desiderio verbi, quam studio solemnitatis, & publicæ quodammodo remissionis obtentu. Quid igitur ego faciam, cui dispensatio verbi credita est? ubi, vel quando vestrum tempus inveniam? Plurimum ex hoc, immo pœne totum mundanis occupationibus teritis, in foro aliud, aliud in negotiatione

consumitis : alius litibus vacat , & ad audiendum Dei verbum nemo , aut pauci admodum vacant , &c. Præfentes etiam in ecclesia positi non estis intenti , sed communes , & ex ulu fabulas teritis , & verbo Dei , vel lectionibus divinis terga convertitis , &c. *Parisien. sub Ludov. & Lothar. lib. 2. cap. 11. in med.*

CAPUT X.

Qui ecclesie in una , atque indiscreta Christi fide , ac dilectione concorditer ad caelestia tendens populus dicitur , necesse est , ut prædicatorum bene vivendi , ac docendi instantia , & auditorum obediendi , atque existendi instantia perorneretur. *Aquisgr. II. sub Ludov. part. 4. cap. 25.*

CAPUT XI.

Admonendi sunt potentes , ut ad majores ecclesias , ubi prædicationem audire possint , conveniant , & quantum dono omnipotentis Dei divitiis , & honoribus ceteros antecedunt , tanto ad audiendum præcepta conditoris sui alacrius festinent. *Ticinens. cap. 4.*

TITULUS XX.

COMMUNIA DE VERBI DEI PRÆDICATIONE.

CAPUT I.

2. Tim. 4.

Gregius prædicator dicit : *Argue , obsecra , increpa , in omni patientia & doctrina.* Nova vero , atque inaudita est ista prædicatione , quæ verberibus exigit fidem , &c. *Greg. Joann. Episc. CP. lib. 2. regist. epist. 52. ad fin. Indict. 11.*

LIBER SEPTIMUS.

De Oratione , divinis Officiis , & Lectione.

TITULUS I.

DE NECESSITATE ORATIONIS.

CAPUT I.

Vigilate , & orate , ne intretis in temptationem. *Christus apud Luc. cap. 22.*

CAPUT II.

Quod tempus intervenit , quo (Dei) non egeamus auxilio ? In omnibus igitur actibus , causis , cogitationibus , motibus adjutor , & protector orandus est , &c. *Zosimus apud Caest. epist. 1. cap. 9.*

CAPUT III.

Præter eas beatissimæ , & Apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones , quibus nos piissimi patres pestiferæ novitatis elatione dejecta (loquitur de heresi Pelagii) & bonæ voluntatis exordia , & incrementa probabilium studiorum , & in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt ; obsecrationum quoque sacerdotium sacramenta respiciamus , quæ ab Apostolis tradita in toto mundo , atque in omni ecclesia catholica , uniformiter celebrantur , ut legem credendi lex statuat supplicandi. *Caest. epist. 1. cap. 11.*

CAPUT IV.

Sine humilitate , castitate , ac eleemosynis , &

CAPUT II.

Sacerdote verbum faciente in ecclesia , qui egressus de auditorio fuerit , excommunicetur. *De consecr. dist. 1. c. 62. Carthag. IV. cap. 24. Capitul. lib. 7. cap. 186. in fin. in addit. Burch. lib. 2. cap. 66. Ivo part. 6. c. 162. decret.*

CAPUT III.

Necesse est , ut prædicatores in admonendo , & auditores in discendo , & opere complendo , ab hinc , ut suum cavere periculum possint , majus adhibeant studium. *Parif. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 10.*

CAPUT IV.

Comperimus quosdam socios ordinis nostri , non causa necessitatis , aut utilitatis , sed potius avaritiæ , & propriæ delectationis sapissime propria civitatis suæ sede relicta , cleroque neglecto , remotiora loca frequentare , de qua re & destitutio divini cultus , & prædicatione in plebibus , & cura subjectorum postponitur , & hospitalitas negligitur. Quod ne ulterius a quoquam sine inevitabili necessitate , & certa utilitate fiat , pari consensu inhibuimus. *Parif. sub Ludov. & Lothar. lib. 1. c. 21. Aquisgr. II. sub Ludov. part. 1. cap. 11.*

CAPUT V.

Quisquis sui quæstus , non Dei causa evangelicam prædicationem implet , longe se a discipulatu Christi sejungit. *Parif. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 31.*

orationibus nullus ad vitam ingredi valet. *Nicol. ad consult. Bulgar. c. 87.*

CAPUT V.

Placuit , ut quicumque dixerit , in oratione dominica ideo dicere sanctos : *Dimitte nobis debita nostra* , ut non pro seipsis hoc dicant , quia non est eis jam necessaria ista petitio , sed pro aliis , qui sunt in suo populo , peccatores , & ideo non dicere unumquemque sanctorum : *Dimitte mihi debita mea* , sed *dimitte nobis debita nostra* , ut hoc pro aliis potius , quam pro se justus petere intelligatur , anathema sit. Sanctus enim & justus erat Apostolus Jacobus , cum dicebat : *In multis enim offendimus omnes.* *Milevit. cap. 7. Carth. cap. 116. G. Afric. cap. 82. L.*

Mat. 6.

Jacob. 3.

CAPUT VI.

Placuit , ut quicumque verba ipsa dominicæ orationis , ubi dicimus : *Dimitte nobis debita nostra* , ita volunt a sanctis dici , ut humiliter , non veraciter hoc dicatur , anathema sit. Quis enim ferat orantem , & non hominibus , sed ipsi Domino mentientem , qui labiis dicit sibi dimitti vellet , & corde dicit , quæ sibi dimittantur debita non habere. *Milevit. c. 8. Carthag. c. 117. Greg. Afric. c. 83. L.*

Mat. 6. b.

CAPUT VII.

Istorum (Pelagianorum) sacrilegas disputatio-

tio-

tionem necessario sequitur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem, quod Dominus discipulos monuit, & posuit in oratione, quam docuit, ut non deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse ipse testatus, est, &c. & talaciter orari, cū orando poscuntur, quæ naturæ jã ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur. Nec debuisse dicere Dominum Jesum Christum, *vigilate, & orate*, sed tantummodo *vigilate, ut non intretis in tentationem*. Nec beatissimo Petro primo Apostolorum: *Rogavi pro te, sed moneo te, vel impero, ac præcipio, ne deficiat fides tua*. Contradicitur enim, istorum contentione, benedictionibus nostris, ut incassum supra populum dicere videamur, quidquid eis a Domino precamur, ut recte, ac pie vivendo illi placeant, vel illa, quæ pro fidelibus precatur Apostolus: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, &c. ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum ejus*. Si ergo voluerimus benedicendo super populum dicere, *da illi virtutem Domine*, corroborari per spiritum tuum, istorum nobis disputatio contradicit, &c. Quicumque dogmatizat, & affirmat humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda, sufficere posse naturam, & eo modo gratiæ Dei, quæ sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur, &c. anathema sit. *Carth. concil. ad Innoc. ante epist. 25.*

CAPUT VIII.

Hæretici nobis dominicam etiam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cum enim Dominus docuerit, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, illi dicunt, posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ, sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberæ voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam non sit necessarium dicere, *Dimitte nobis debita nostra*. Illud vero, quod sequitur: *Ne nos inferas in tentationem*, non ita intelligendum, tamquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra positum esse potestate, &c. tanquam frustra

Apostolus dixerit: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, &c. Frustra etiam Dominus dixerit Apostolo Petro: *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua*: & omnibus suis: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*, &c. Hæc interim duo, quibus omnino totum, quod Christiani sumus, conantur (*Pelagiani*) evertere, quæ fidelia corda sustineant? non esse rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam justitiam sit noster adjutor, & non opitulari parvulis ad consequendam vitam æternam Christianæ gratiæ sacramentum? *Milevit. conc. ad Innoc. in med. ante epist. 26.*

CAPUT IX.

Oramus ut peccatorum tentationem superare possimus, ut spiritus Dei, unde pignus accepimus, adjuvet infirmitatem nostram. Qui autem orat, & dicit: *Ne nos inferas in tentationem*, non utique id orat, ut homo sit, quod est natura;

Tom. VI.

neque orat id, quod habeat liberum arbitrium, quod jam accepit, cum crearetur ipsa natura; neque orat remissionem peccatorum, quia hoc superius dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*, neque orat, ut accipiat mandatum, sed plane orat, ut faciat mandatum, &c. Pro Corinthiis orat Apostolus: *Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali* &c. Sicut nunc per orationis sacrificium convincimur non esse sine peccato quoniam jussi sumus dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, ita & tunc per sacrificia victimarum animalium convincebantur sacerdotes sine peccato non esse, qui pro suis peccatis jubebantur offerre, &c. Nobis sufficit, quod nullus in ecclesia Dei reperitur in quolibet profectu excellenti, atque justitia, qui audeat dicere sibi non necessariam precationem orationis Dominicæ, *Dimitte nobis debita nostra*, & dicat se non habere peccatum, &c. *Aurelius, & alii ad Innocentium ante ep. 27. post princ. & ante fin.*

CAPUT X.

Pœnæ nihil valet jejunium, quod orationes, vigiliae, & eleemosynæ non commendant. *Theodulphus ad presbyteros Avelianenses cap. 43. Burch. lib. 13. c. 14. & Ivo part. 4. c. 47. decr.*

TITULUS II.

DE MAXIMA ORATIONIS VIRTUTE, ET IN PRIMIS DE EA, QUÆ A SACERDOTIBUS ADHIBETUR.

CAPUT I.

Amen dico vobis, si quid petieris Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. *Christus apud Joannem c. 16. vide eundem Joannem cap. 14. Matthæum c. 7. & 21. Marc. c. 11. Luc. c. 11.*

CAPUT II.

Orate pro invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio justæ assidua. Helias homo erat similis nobis passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum. *Jacob. ep. cath. c. 5.*

CAPUT III.

Ipsi (*sacerdotes*) pro populo interpellant, & populi peccata comedunt, quia precibus suis, & oblationibus ea delent, atque consumunt. Qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur. *Multum enim, ut ait Beatus Jacobus Apostolus, valet deprecatio justæ assidua. Alex. epist. 2. in princ. Ivo part. 2. c. 69. & part. 6. c. 45. decr.*

CAPUT IV.

Hæc vobis scienda mandamus, ut ab his vos caveatis, & cessetis persequi eos, qui Deo ministrant, quorum orationibus, & terrena bella sedantur, & Deus peccatoribus conciliatur. *Marcellus ep. 2. in med.*

CAPUT V.

Quiescite, & nolite persequi eos, qui perfecte Deo ministrant, quorum orationibus, & terrena bella sedantur, & recedentium a Deo angelorum pel-

Matt. 6.

Luc. 22. c.

Marc. 14.

Luc. 22.

Ephes. 3.

Matt. 6.

Luc. 11.

Matt. 6.

Luc. 9.

Rom. c. 9.

Luc. 22.

Matt. c. 26.

Luc. 12.

Matt. 6.

2. Cor. 13. b.

Matt. 6.

Ibidem.

1. Joann. 1.

1. q. 1. c. 91.

Jacob. 5. d.

v. 6. q. 1. c.

12.

pelluntur incurfus, quique omnes dæmones, qui corrupti sunt precum assiduitate confundunt. *Felix secundus epist. 1. c. 20.*

CAPUT VI.

Dicitis quod quando in castris estis, orationem perfectam & congruam facere nequeatis, ac per hoc exponi cupitis quid agere debeatis. Unde nos e contra suademus, ut quanto plus hostes sæviunt & necessitas, vel tribulatio incumbit, tanto instantius orationi operam detis. Nam patres nostri plus orando, quam pugnando victores fuerunt, & voti compotes plus precibus, quam præliis extiterunt. Denique Moyses orabat, & Josue pugnavat, sed plus ille vincebat orando, quam iste pugnando; aptius ergo ab armis, quam ab oratione vacandum est. *Nicol. ad consult. Bulgar. cap. 38.*

Exod. 17.

CAPUT VII.

Nosse vos velle asseveratis, si liceat omnibus vestris præcipere tempore siccitatis ad pluviam postulandam jejunium, & orationem facere. Vobis quidem hoc agere licet, quoniam jejunium, & oratio magnæ virtutis sunt, & ad has jugiter faciendas vestra multum valet hortatio, sed congruentius est, hæc per Episcoporum dispositionem fiant. *Nicol. ad consult. Bulgar. c. 56.*

CAPUT VIII.

Dignum est, ut Pontifices Christi primum jejunando, & orando in cordibus suis domum præparent Spiritui sancto, & sic per impositionem manuum ceteris fidelibus eum tradant orando. *Paris. sub Ludov. & Lothar. lib. 1. c. 33.*

CAPUT IX.

Scire convenit, quantum lector sacræ legis meditationibus debeat esse intentus, juxta quod in libro Pastoralis habetur, id est, quod omne bonum rite a rectore agitur, si supernæ formidinis, & dilectionis spiritu afflatus, studiosè quotidie sacri eloqui præcepta meditetur, ut in eo vim sollicitudinis, & erga cælestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indefinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent, & qui ad vetustatem vita per societatem sæcularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriæ, compunctionis aspiratione renovetur. *Aquisgr. II. sub Ludov. part. 2. cap. 5. ex Greg. in Pastoralis lib. 2. c. 11.*

CAPUT X.

Si ex toto corde conversi ad Dominum, veram poenitentiam, fructusque poenitentia dignos fecerimus, crebris, & sanctis instantes jejniis, vigiliis castis, illique bene complacitis, & orationibus salto lacrymarum imbre perfusis, cum elemosynis justis, ceterisque misericordiæ, & charitatis operibus, &c. cito ejus, qui cor contritum & humiliatum non spernit, & cui proprium est misereri, & parcere, misericordiam consequemur. *Troslesjan. c. 15.*

Psalms. 40.

CAPUT XI.

Oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi, quia vita viri justii lectione instruitur, ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo a peccato juxta illum, qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

Psalms. 118. 6.

Hæc sunt enim arma, lectio videlicet, & oratio, quibus diabolus expugnatur, hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur; his armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur. *Theodulph. ad presb. Aurel. c. 2. vide vit. de Lectione, c. Si quando.*

TITULUS III.

ORATIO MULTORUM, ET IN PRIMIS TOTIUS ECCLESIAE PLURIMUM VALET APUD DEUM.

CAPUT I.

Alterutrum fultis precibus, & orationibus voluntatem Dei facere contendite. *Fabian. ep. 1. post med.*

CAPUT II.

Communibus, & alternis plus agimus orationibus, singularibus, aut privatis. *Innoc. ep. 10. ad Aurel. Carth. & Aug. Hipponens. Episc. in fin.*

CAPUT III.

Obsecrationum sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium præules mandata sibi met legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum congemiscente ecclesia postulant, & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idolatra ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis poenitentia remedium conferatur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cælestis aula misericordiæ referretur. Hæc autem non perfunctorie, neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus, &c. *Cælest. ep. 1. c. 11.*

CAPUT IV.

Multas Deo supplicationes fecimus, & faciemus communitis, & exhortatis multis fratribus, & religiosis congregationibus ad studium earundem supplicationum, ut misereretur gentis illius Teutonicæ. *Gregor. VII. Udoni Treverens. Archiep. lib. 5. reg. ep. 7.*

TITULUS IV.

DE ASSIDUITATE ORATIONIS.

CAPUT I.

Oportet semper orare, & non deficere. *Luc. 18. num. 1.*

CAPUT II.

Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo, & Patri, subjecti invicem in timore Christi. *Paul. ad Ephes. c. 5. num. 19.*

CAPUT III.

Sine intermissione orare. *Paul. 1. ad Thessal. c. 5. num. 17.*

CAPUT IV.

Instruebat (D. Petrus) prædicationi, & orationi-

tio-

tionem, ac lectioni frequenter incumbere, &c. *Clem. epist. 1. ante fin.*

CAPUT V.

Ornent tam clerici, quam seculares animas suas ornamentis dignissimis, &c. orare semper Deum ex toto corde, & ab ipso petere, quæ decet, ipsi gratias agere, &c. *Clemens epist. 2. ante med.*

CAPUT VI.

** exceptis, al.* His dumtaxat, electis * (*baptisimum tradidit*) qui ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederunt, & exorcismis, quotidianisque orationibus, atque jejuniis fuerint expiati, quatenus Apostolica illa impleatur præceptio, *1. Cor. 9. b.* „ ut expurgato fermento veteri nova incipiat esse conspersio “. *Syric. epist. 1. c. 2.*

CAPUT VII.

In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus adjutor, & protector orandus est, superbum est enim ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: *Ephes. 6.* *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed contra principes, & potestates aeris hujus, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Zosimus apud Cælestin. epist. 1. c. 9.*

CAPUT VIII.

Cum in prælium proficisci disponitis, quod ipsi commemorastis, agere in Dei nomine, non omittite, id est, ad ecclesias ire, orationes peragere, peccantibus indulgere, &c. *Nicol. ad cons. Bulgar. c. 35.*

CAPUT IX.

Bar. 18. d. ad Theoph. cap. 5. Scire vos convenit, neminem exceptum esse ab eo, quod Dominus in Evangelio dicit: *Oportet semper orare, & non deficere.* Et Apostolus: *Sine intermissione orate,* quod sanctissime, sancto Augustino docente, sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi. *Nicolaus ad consult. Bulgar. c. 61.*

CAPUT X.

Dist. 81. c. ult. Vidux, quæ stipendio ecclesiæ sustentantur, tam assiduas in Dei opere esse debent, ut & meritis, & orationibus suis ecclesiam adjuvent. *Carthag. IV. c. 103. Ivo part. 8. c. 327. decret.*

CAPUT XI.

Matt. 6. 1. Theoph. 5. Nonnulli sacerdotum in Hispaniis reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam Salvator docuit, & præcepit, non quotidie, sed tantum die dominica dicunt. Et quia sine intermissione, ut oremus Apostolus docuit, qualiter autem oremus Christus præcepit, dicens: *Cum autem oratis, dicite, Pater noster, qui es in cælis.* Quomodo ergo quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici jubetur? &c. Delet ergo hæc quotidiana oratio minima, & quotidiana peccata, &c. Quisquis sacerdotum, vel subjacentium clericorum hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut in privato officio præterierit, propter superbiam judicatus, ordinis sui honore privetur. *Toletan. IV. c. 9.*

CAPUT XII.

Sicut sunt plerique qui pio, religiosoque studio, orandi gratia, ecclesiam sæpissime frequentant, ita e contrario existunt quidam, qui licet e

vicino habeant basilicam, id tamen perraro, quod emendatione dignum est, faciunt. Ut ergo templa divinis cultibus mancipata, frequenter adiri, ibique Deum constanter, & devote oporteat invocari, divinæ scripturæ testimonia testantur. Legitur itaque in libro Paralipomenon: *Apparuit Dominus Salomoni nocte, & ait: Audi vi orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificii, &c. & in Evangelio Luca: Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum: & ipsi adorantes, regressi sunt Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum.* Et in Actibus Apostolorum: *Erant autem, inquit, perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Et paulo post: Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cū exultatione, & simplicitate cordis. Paris. sub Lud. & Lothar. lib. 2. c. 11.*

CAPUT XIII.

Egredientes hospitium armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat, antequam lectio, nec prius corpusculum requiescat, quam anima verbo Dei pascatur. Ad omnem actum, & ad omnem incessum, manus pingat crucem. *Hieron. ad Eustochium apud Paris. sub Ludov. & Lothar. lib. 2. c. 13.*

CAPUT XIV.

Lectiones sanctas libenter audire (*oportet*) orationi frequenter incumbere. *Theodulph. ad presbyt. Aurelianen. cap. 21. ex Clem. epist. 1. ante fin.*

CAPUT XV.

Singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet & vespere, &c. hæc faciant, quibus basilicæ locus prope est, in basilica, qui vero in itinere, aut in agris est, ubicumque eum hora matutina, vel vespertina invenerit, &c. *Theodulph. ad presbyt. Aurelian. c. 23.*

CAPUT XVI.

Admonere debetis fideles, ut assiduitatem & studium habeant orandi. Ipse autem orandi modus talis esse debet, ut primum dicto symbolo, quasi fidei suæ recensito fundamento, dicat, quisquis est, tribus vicibus: *Qui plasmasti me, miserere mei;* & tribus vicibus: *Deus propitius esto mihi peccatori;* & compleat orationem Dominicam. Si ergo locus, aut tempus exegerit, deprecetur sanctos Apostolos, Martyres, ut pro eo intercedant, & armata fronte signo crucis, elevatis cum corde, & manibus, & oculis, Deo gratias agat. Si vero tempus ad hæc omnia peragenda minus sufficiens fuerit, sufficiat tantum: *Qui plasmasti me, miserere mei;* Et, *Deus propitius esto mihi peccatori;* Et oratio Dominica tantum cum gemitu, & contritione cordis. *Theodulph. ad presbyt. Aurelian. c. 29.*

CAPUT XVII.

Omni die Deo in oratione nostra, aut semel aut bis, aut quanto amplius possumus, confiteri debemus peccata nostra, dicente Propheta:

Psal. 31. *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non abscondi: Dixi, confitebor adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Facta etenim confessione cum gemitu, & lachrymis Domino in oratione, recitandus est psalmus quinquagesimus, sive vigesimus quartus, sive trigessimus primus, atque alii ad rem pertinentes, & sic complenda est oratio. *Theodulph. ad presbyt. Aurelian. cap. 30.*

CAPUT XVIII.

Petrus orationi, & prædicationi tantum vacabat, &c. idem docet facere Clementem. *Damas. in Petri.*

TITULUS V.
DE ATTENTIONE, ET REVERENTIA, QUAM POSTULAT ORATIO.

CAPUT I.

Apud Gr. IX. c. 9. de celeb. miss. c. 2. ord. tit. in 4. coll.

Dolentes referimus, quod non solum quidam minores clerici, verum etiam aliqui ecclesiarum Prælati, circa comestiones superfluas, & confabulationes illicitas, ut de aliis taceamus, fere medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, transcurrendo undique continuata syncopa maturinum. Sunt & alii, qui Missarum celebrant solemnia vix quater in anno, & quod deterius est, interesse contemnunt, & si quando dum hæc celebrantur intersunt, chori silentium fugientes, intendunt exterius* colloquutionibus laicorum: dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districte præcipientes, in virtute obedientiæ, ut divinum officium diurnum, pariter & nocturnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter, & devote. *Innocent. III. in concil. gener. Later. cap. 17.*

CAPUT II.

Sunt qui intrantes ecclesiam, multis psalmodiæ, vel orationum sermonibus prolongant, sed alibi corde intendendo, nec ipsi quid dicant, recolunt, ore quidem orantes, sed mentem foris vagantem, omni orationis fructu privantes, putantes a Deo precem exaudiri, quam nec ipsi, qui fundunt, audiunt. Quod antiqui hostis instinctu fieri, nemo est, qui animadvertere nequeat. Sciens enim utilitatem orandi, & invidens hominibus gratiam impetrandi, immittit orantibus multimoda cogitationum levium, & aliquando turpium, nocentiumque phantasmata, quibus orationem impediatur, adeo ut nonnumquam tales, tantosque discurrentium cogitationum fluctus, prostrati in oratione toleremus. Sunt itaque plerique, quibus potius cordi est, vanis, & obscœnis confabulationibus vacare, quam lectionibus divinis aurem accommodare, quibus etiam nusquam tam delectabile videtur esse, susurrations aliorum auribus ingerere, cachinnis ora dissolvere, quam in ecclesia Dei, ubi eum humiliter, devoteque debuerant invocare, & peccata sua deslere, sed & hoc ejusdem hostis antiqui instinctu fieri, dubium non est. Quod autem domus Dei

non sit hujuscemodi illicitarum actionum, sed potius orationis locus, Dominus docet in Evangelio, dicens: *Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* *Beda in Evangel. homil. 17. Apud Paris. sub Ludov. & Lothar. lib. 2. c. 12.*

Matt. 21.

CAPUT III.

Si quis ante principem mortalem veniens cum omni reverentia, & timore stat, loquitur, & incedit, quanto potius eum, qui ante Deum, qui est æternus, terribilis, & excelsus, accesserit, cum omni pavore, ac tremore non solum stare convenit, sed & quasi servum semetipsum in conspectu ejus humiliter præsentare. Et quia quorundam in Evangelio reproborum ligari manus, & pedes præcipiuntur, quid aliud illi agunt, qui manus suas coram Domino ligant, nisi Deo quodammodo dicunt, *Domine ne manus meas ligari præcipias, ut mittar in tenebras exteriores, quoniam jam ego eas ligavi, & ecce ad flagella paratus sum?* Hinc etiam pectus percutimus, signantes videlicet, quod nequiter egimus, displicere nobis: ac ideo antequam Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire; & antequam ultio extrema veniat, commissum poenitentia digna punire. *Nicol. ad consult. Bulg. c. 54.*

Matt. 22.

TITULUS VI.

DE LOCO, ET TEMPORE, ALIISQUE CÆREMONIIS AD PRECES FUNDENDAS.

CAPUT I.

Sciscitami, si cœpta oratione nuntius venerit de hostibus, ac ideo ipsam orationem consummare nequiveritis, quid vobis agendum sit? Quid aliud utique nisi, ut bonum, quod cœpistis, quocumque vos perrexisse contigerit, perficiatis. Nam non est Christianis unus locus orationis, sicut Judæis erat Hierosolymis, & veluti Samaritanis in monte Gazario, sed in omni loco, quemadmodum & Apostolus ait: *Volo ergo viros orare in omni loco, levantibus puras manus:* præterea qui in bono opere perseveraverit in finem hic salvus erit, præcipue eo tempore, quando contra inimicorum itur incurfus, & oratione, sicut jam supra diximus, magis quam armis expectari debet ab hoste triumphus. *Nicol. ad consult. Bulgaror. cap. 74.*

1. Tim. 2. Mat. 20.

CAPUT II.

Utrum velato, an nudato capite mulier in ecclesia stare debeat Apostolus docet: *Mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum, &c.* *Nicol. ad consult. Bulgaror. cap. 58.*

1. Cor. 11.

CAPUT III.

Sicut sunt nonnulli, qui orandi gratia ecclesiæ limina frequentare negligunt, ita e contrario existunt plerique, qui pro eo, quod basilicas adire nequeunt, & reliquias Sanctorum præsto non habent: idcirco vota precum suarum ad Deum ut oportet, supplici devotione non fundunt, non animadvertentes, quod Deus non sit minus in parte, quàm in toto, sed ubique totus, ubique præsens, ubique mirabilis. Unde ait Psalmista: *Quo ibo a spiritu tuo? & a facie tua quo fugiam? si ascendero in cælum,*

Psal. 138.

Psal. 102.
1. Tim. 2.

in illic es, si descendero in inferna, ades; & idē alibi: In omni loca dominationis ejus benedic anima mea Domino, &c. Apostolus quoque ait: Volo igitur viros orare in omni loco, puras levantes manus sine ira, & disceptatione. Parisiens. sub Ludov. & Lothar. lib. 2. c. 13.

CAPUT IV.

Orare quomodocumque se habeat aliquis, & utcumque sit affectus Domini meminisse, & auxilium implorare non est reprehendendum, ad sancta autem sanctorum, qui non anima, & corpore purus est, accedere prohibebitur. *Dionys. Alex. in epist. ad Basilidem c. 2.*

CAPUT V.

Dicendum est fidelibus, ut singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet, & vesperi, dicens symbolum sive orationem dominicam, &c. His actis, & solo Deo creatore suo adorato, invocet sanctos, ut pro se intercedere apud majestatem divinam dignentur. Hæc faciant, quibus basilicæ locus prope est in basilica; qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in silvis, aut agris est, ubicumque eum ipsa hora matutina, vel vespertina invenerit, sic faciat, sciens Deum ubique præsentem esse, dicente Psalmista: *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino. Et, si ascendero in calum, tu illic es. Theod. ad presbyt. Aurel. c. 23.*

Psalms. 101.
Psalms. 138.

CAPUT VI.

Ad orientem verti inter orandum, quæ nos scriptura docuit? &c. ex non scripta doctrina id accipientes, &c. Omnes quidem inter orandum orientem aspiciamus: Pauci autem scimus, quod antiquam patriam inquirimus, paradysum, quam Deus plantavit in Eden, in oriente. Et preces quidem stantes peragunt in una sabbati, &c. *Basil. de Spiritu sancto ad Amphilochoium c. 27.*

TITULUS VII.

ORATIO CONJUNGATUR CUM ELEEMOSYNA, ET CUM ALIIS OPTIMIS EXERCITATIONIBUS.

CAPUT I.

ITA Deo precem fundere convenit navigantes (in ecclesiæ navi) ut mereantur audiri. Audiri autem a Deo ita demum merebitur quis, si orationes ipsæ bonis moribus, & bonis operibus adjuventur. *Clem. epist. 1. ante med.*

CAPUT II.

Nihil prodest homini jejunare, & orare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur, & ab obreccationibus lingua cohibeatur. *Pius ep. 1. in fin. Anl. lib. 11. c. 6.*

De penit. d.
3. c. 2. de
conf. d. 5. c.
23.

CAPUT III.

Aspiciamus gentilem hominem Cornelium orationibus, atque elemosynis vacantem per revelationem Angelum, Petrumque ipsum vidisse. Numquid per baptismum hæc illi ablata* sunt, propter quæ ei baptismus videtur esse concessus? *Innoc. epist. 22. c. 2. in fine.*

Ab. 10.

CAPUT IV.

Hortor, fratres charissimi, ut omni hebdomada quarta, & sexta feria litaniam inexcusabiliter indicatis, & contra barbaricæ crudelitatis in-

curtus supernæ protectionis auxilium imploretis. Sed ut ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilantius studendum est, ut voces actibus adjuventur, nam inanis fit oratio, ubi prava est actio. *Greg. Episc. Sicilia ep. 45. lib. 9. reg.*

CAPUT V.

Accepto consilio, hoc statuimus, ut post tri-duanum jejunium, post litanias, & multorum orationem elemosynis conditam, divino fulti auxilio statueremus, quod melius de electione Rom. Pontificis videretur. *Greg. VII. lib. 1. reg. ep. 1.*

CAPUT VI.

Non est pretiosa laus, neque sancta oratio cito impetrans in ore peccatoris, cujus est vita laudabilis, & actio secularis: precor, exoro, & rogo ut eos qui mereantur audiri pro vitæ meritis, vigilantia cura rogites, ut pro me exorent. *Greg. VII. Hug. Cluniacens. Abb. lib. 2. reg. ep. 49.*

TITULUS VIII.

DE PRECIBUS PRO REGIBUS ADHIBENDIS, ET PRO POPULO.

CAPUT I.

Reprehenduntur Metropolitanæ, qui negotiis sæcularibus dant operam, & preces pro suis deliciis, & populi ignorantibus Deo non adhibent. *CP. VIII. c. 24. vel 22. sub Hadr. II.*

CAPUT II.

Adhibeantur preces pro Imperatore. *Syn. Ravenn. sub Joanni. IX. part. ult. c. ult.*

CAPUT III.

Ecclesia inter ipsa mysteria, inter preces suas, quas pro vestri felicitate dependit Imperii, teste sancto Petro, sollicitis pro religionis observantia vocibus clamat, &c. *Bonif. ep. 1. ad Honor.*

CAPUT IV.

Instituit sanctum concilium, ut quandocumque cum causa Regem progredi fecerit contra suos hostes, unusquisque nostrum in ecclesia hunc teneat ordinem, ita ut omnibus diebus per bonam dispositionem, sacrificium omnipotenti Deo pro ejus suorumque fidelium, atque exercitus sui salute offeratur, & divinæ virtutis auxilium impetretur, ut salus cunctis a Domino tribuatur, & victoria illi ab omnipotenti Deo concedatur. Tandiu hic ordo tenendus est, quamdiu cum divino juvamine ad suam redeat sedem. *Emerit. cap. 3.*

CAPUT V.

Excepto passionis Dominicæ die, quando altaria denudata persistunt, nec cuiquam in eo die missarum licet solemnia celebrare, cunctis aliis diebus, quibus idem Dominus noster (Rex) in hac vita superstes extiterit, pro eo, vel pro cunctis ejus filiis, vel filiabus, aut pro iis, qui jam matrimoniali sunt jure conjuncti, adhucque sunt conjungendi, seu pro nepotibus vel suis omnibus sacrificiorum Domino libamina dedificentur, pie orationis vota solvantur, ac cum gratiarum actione superno Numini commendentur. Quo desideria in eis bona quotidie multiplicentur, adversantium eorum conamina virtute suæ dexteræ confringantur, indulgentia, & gratia eis a sua misericordia conferatur, ut suæ potentia defensione protecti, antiqui hostis decipulam evadant, & cha-

cha-

charitate, & vitæ longævitate pollentes, adire mereantur post transitum fidereas mansiones. *Toler. XVI. c. 8. in fine.*

CAPUT VI.

Pro Carolo Rege, & pro liberis ejus omnes Episcopi, presbyteri, seu Abbates, & monachi psalmodiam, missarum officia omnipotenti Deo devotissime exsolvant. *Arelat. sub Carolo c. 2.*

CAPUT VII.

Orationes assiduas intente fundere pro Imperatoris stabilitate, ac incolumitate omnes se velle secundum nostram admonitionem unanimiter, professi sunt, ut misericordia divina largiori ævo illius mansuetudinem conservare dignetur. *Turon. sub Carolo c. 1.*

CAPUT VIII.

Ab omnibus indefinenter orationes fiant pro vita, & incolumitate, pro salute animæ, & corporis domini Imperatoris, prolisque ejus, pro statu regni, pro remissione peccatorum, & cælestis regni collatione, ita dumtaxat, ut semper magis ac magis per incrementa temporum talis crescat observatio, &c. *Cabil. sub Carolo c. 66.*

CAPUT IX.

Pro Domino Imperatore, suæque nobilissima prole orationes, & oblationes augeantur, &c. *Remens. c. 40.*

CAPUT X.

i. Tim. 2. Debent juxta Apostolum, primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones ab omnibus hominibus pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Hoc enim, inquit Apostolus, bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo. *Aquisgr. c. 131.*

CAPUT XI.

Baruc. 1. Si Hieremia propheta Dei pro vita idololatræ Regis Nabuchodonosor orare admonet, quanto magis pro salute Christianorum Regum ab omnibus ordinibus Deo est humiliter supplicandum? *Paris. sub Ludov. & Lothar. lib. 2. c. 8.*

CAPUT XII.

Statuimus, ut oratio ab omnibus nobis pro glorioso Rege Arnulpho, seu etiam, & pro gloriosa conjuge sua, necnon, & pro statu totius Christianitatis, pro ut nos debetores esse cognoscimus, in ecclesiis nostris assidue celebretur. *Magunt. sub Arnulpho c. 1.*

CAPUT XIII.

Rogaverunt prædicti Episcopi orare pro Domino Rege Arnulpho. *Metens. c. ult.*

CAPUT XIV.

Monachi, vel sanctimoniales juxta suam professionem sobrie, ac pie, & simpliciter vivant & pro Regum salute, & regni pace, & ecclesiæ tranquillitate supplicent. *Troslejan. c. 3.*

TITULUS IX.

DE IIS, QUI NON COMMUNICANT IN ORATIONE CUM POPULO.

CAPUT I.

De consecr. dist. 1. c. 60. Omnes fideles, qui ingrediuntur, & audiunt scripturas, nec perseverant in oratione, &

sancta sumptione, ut discordiâ facientes ab ecclesia excommunicentur. *Apost. c. 9. G. 10. L. Burchard. lib. 2. cap. 67. & 68. Ivo part. 6. c. 163. & 164. decr.*

CAPUT II.

Omnes, qui ingrediuntur ecclesiam Dei, & sacras scripturas audiunt, non vero communicant orationi cum populo, aut averfantur susceptionem Eucharistiæ propter aliquam insolentiam, eiiciantur ab ecclesia, donec confiteantur, & ostendant fructus pœnitentiæ, & deprecantur, ut possint veniam sortiri. *Antioch. cap. 2. Tribur. c. 2. Mart. Brac. c. 83.*

TITULUS X.

NON LICET ORARE CUM HÆRETICIS, NEQUE CUM EXCOMMUNICATIS.

CAPUT I.

QUI cum excommunicato etiam domi orat excommunicetur. *Apost. cap. 10. G. 11. L. vide Carth. IV. c. 73. Fabian. ep. 1. Tribur. cap. 2. Burch. lib. 11. cap. 35. Ivo lib. 5. tit. 3. c. 15. panorm. & part. 14. cap. 24. & 40. Ans. lib. 12. cap. 17. & 19.*

CAPUT II.

Qui clericus cum deposito, ut cum clerico orat, deponatur. *Apost. c. 11. G. 12. L.*

CAPUT III.

Episcopus, presbyter, diaconus cum hæreticis orans excommunicetur, si uti clericus agere quidquam permittat, deponatur. *Apost. cap. 44. G. 45. L.*

CAPUT IV.

Si clericus, vel laicus ingrediatur Synagogam Judæorum, vel hæreticorum, ut illic oret, deponatur, & excommunicetur. *Apost. c. 63.*

CAPUT V.

Qui dæmonium habet, neque clericus fiat, neque cum fidelibus oret, donec mandetur. *Apost. cap. 78.*

CAPUT VI.

Non licet communicare cum excommunicatis, neque cum iis per domos ingredi, & cum eis orare, qui ecclesiæ non participant in oratione, &c. *Antioch. cap. 2. Triburien. cap. 2. Mart. Brac. c. 85.*

CAPUT VII.

Non licere in hæreticorum cœmeteria, vel martyria, ut appellantur, abire clericos orationis, aut salutis causa. Sed hos omnes, & si fideles sint, excommunicatos fieri ad certum tempus, pœnitentes vero, & confessos se peccasse suscipi. *Leodic. c. 9.*

CAPUT VIII.

Non oportet cum hæreticis, vel schismaticis orare. *Laodicen. c. 33. Mart. Bracharenf. c. 70.*

CAPUT IX.

Cum hæreticis nec orandum, nec psallendum. *Carthag. c. 72. L.*

CAPUT X.

Qui commicaverit, vel oraverit cum excommunicato, sive clericus, sive laicus excommunicetur. *Carthag. IV. c. 73. L. Burchard. lib. 11. cap. 44. Ivo lib. 5. tit. 3. cap. 19. panorm. & part. 14. c. 28. & 108. decr. Ans. lib. 11. c. 18.*

CA

De conf. d. 2. c. Si quis 18.

11. q. 3. c. Sicut. 16.

1. q. 1. c. Non liceat. 67.

24. q. 3. c. Cleric. 35. in fin.

11. q. 3. c. 19.

CAPUT XI.

* orationibus, al.

Non oportet facile orationem * cum (fornicariis) communicare. *Greg. Thaumaturg. cap. 1. epist. de comedentibus idolorum.*

CAPUT XII.

An debeat clericus presentibus Arianis, vel aliis hæreticis orare, & an eum lædat, quando fecit orationem, seu oblationem. Respondeo: In divina oblatione diaconus ante salutationem loquitur: Qui non communicatis, ambulate. Non debent ergo interesse, nisi profiteantur se poenitentiam acturos, & hæresim vitaturos. *Timoth. Episc. Alexandr. in quibusdam responsis c. 9.*

CAPUT XIII.

17. 9. 3. 6. 18.

Cum excommunicato neque orare, neque loqui cuilibet licebit. *Isidor. in reg. monachor. c. 17. in D. Benedicti regula c. 26. Burch. lib. 11. c. 32. Ivo part. 14. c. 34. 96. decret. Anselm. lib. 12. c. 16. Calarug. lib. 14. c. 39.*

TITULUS XI.

DE GENUFLEXIONE.

CAPUT I.

Cathecumenus ingrediens in ecclesiam, & in ordine cathecumenorum stat, si peccet, genu inclinato audiat, si audiens peccat, eiiciatur. *Neocas. c. 5. Burch. lib. 4. c. 20. Ivo part. 1. c. 215. decret.*

CAPUT II.

25. 7. 9. Sacerdos. 6. 6.

Poenitentes etiam diebus remissionis genua flectant. *Carthagin. IV. c. 82. Ivo part. 15. c. 13.*

CAPUT III.

Sciendum est, quod exceptis diebus dominicis, & illis solemnitatibus, quibus & universalis ecclesia ob recordationem dominicæ resurrectionis solet stando orare, fixis in terram genibus suppliciter Dei clementiam nobis profuturam, nostrorumque criminum indulgentiam deprecandum est. Cujus rei in evangelio ipse Dominus dedit exemplum. Sed & Stephanum martyrem, & Apostolum Paulum eadem fecisse liber Actuum Apostolorum testis est. Ex quibus intelligi datur, oportere Christianum humiliter ad terram prosterni, ne forte illi dicatur: *Quid superbis terra, & cinis?* *Turon. sub Carolo c. 37.*

Matt. 26. Act. 7. 20.

Eccl. 10. 6.

CAPUT IV.

In unaquaque genuflexione, & assurrectione ipsa ostendimus, quod etiam propter peccatum in terram delapsi sumus, & per ejus, qui nos creavit, clementiam, in cælum revocati sumus. *Basil. de Spiritu sancto ad Amphil. c. 27.*

TITULUS XII.

NECHRISTIANICUM ORANTEM PORE PASCHALI ET DIEBUS DOMINICIS, GENUA FLECTANT.

CAPUT I.

De conf. si. 3. Quonia. c. 10. dist. 30. Si quis presbyter. c. 4. c. 18. decret.

Sunt qui dominica die, & in dieb. Pentecostes genua flectunt, sed observandum est, ut stantes oremus. *Nicæn. cap. 20. Aquisgr. c. 46. Mart. Brac. c. 5. Burch. lib. 2. c. 88. Ivo part. 4. c. 18. decret.*

CAPUT II.

Dominicis diebus genu non flectere a sanctis patribus Christi resurrectionem honorantibus, canonicè accepimus. Constituimus, ut post ve-

spertium sacerdotum ad altare sabbato ingressum, ex consuetudine, quæ servatur, nemo genua flectat usque ad sequentem vesperam in die Dominico, in qua post ingressum lucernarium, genua rursus flectentes, Domino, preces sic offerimus. Servatoris enim nostri resurrectionis, velut præcursorem noctem, quæ fuit ante sabbatum accipientes, hymnos ab ea spiritualiter incipimus, festum ex tenebris in lucem finientes, ut in perfecto & integro die ac nocte nos resurrectionem celebremus. *Trull. c. 90.*

CAPUT III.

Sciendum est, quod exceptis diebus dominicis & illis solemnitatibus, quibus & universalis ecclesia ob recordationem dominicæ resurrectionis solet stando orare fixis in terram genibus suppliciter Dei clementiam nobis profuturam, nostrorumque criminum indulgentiam deprecandum est, &c. *Turon. sub Carolo c. 37.*

CAPUT IV.

Quoniam sunt quidam in die dominico genuflectentes, & in diebus Pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto concilio stantes Domino vota dignissima persolvere. *Aquisgr. sub Ludov. c. 46.*

CAPUT V.

Quod ab Apostolis traditum, canon tenet antiquus, placuit, ut per omnes dominicas, & per omnes dies Paschæ, usque ad quinquagesimam non prosternant se oratione humilitatis, sed recto vultu ad Dominum fungantur orationis officio, quia in his diebus gaudium resurrectionis Domini celebramus. *Mart. Bracar. c. 57. vide Nicæn. c. 20.*

Dist. 30. c. ult.

CAPUT VI.

Diem dominicum lætitiæ diem agimus, quod in eo Dominus surrexerit, in quo nec genua quidem flectere accepimus. *Petrus Alexand. Episc. in serm. de poenit. c. 15.*

CAPUT VII.

Preces stantes (Christiani) peragunt in una sabbati, rationem autem non omnes scimus. Non solum enim, ut qui cum Christo consurrexerimus, & quæ supra sunt, querere debeamus in die resurrectionis, gratiæ nobis datæ, per statum in oratione, nos ipsos commonefacimus, sed quod videatur esse etiam quodammodo sæculi, quod expectatur, imago. *Basil. de Spiritu sancto ad Amphil. c. 27.*

TITULUS XIII.

DE DIVINIS OFFICIIS, ET IN PRIMIS DE HORIS CANONICIS.

CAPUT I.

NE quisquam presbyterorum, vel diaconorum, qui sacris officiis dediti sunt, ultro ac per se ecclesias ingrediens sacrum aliquid operetur, in quibus ab initio sortem minime conlectus est, &c. *Synod. VII. gener. CP. sub Hadr. II. c. 23. vel 21.*

CAPUT II.

Metropolitani committunt Episcopis subiectis ecclesiæ propriæ divina officia, & litanias, & cuncta omnino sacra, quæ ad se pertinent, ministeria *, ita ut per illos celebrent omnia, quæ per

* mysteria.

per semetipfos alacriter agere debuerunt, &c. dimittentes perseverare in orationibus, & obsecrationibus pro suis delictis ac populi ignorantibus, &c. Quilibet ergo Metropolitanorum &c. non per se cum timore Dei, & alacritate, seu conscientia bona, debita ministeria in propria civitate, sed per suffraganeos Episcopos suos efficere tentaverit, pœnas exsolvat coram proprio Patriarcha, & aut corrigatur, aut deponatur. *Synod. VIII. gener. CP. sub Hadr. II. c. 24. vel 27.*

CAPUT III.

De offic. jud. ord. c. 14. Gr. IX. c. 2. eod. tit. in 4. coll.

Quoniam in plerisque partibus intra eandem civitatem, atque diocesim permixti sunt populi diversarum linguarum habentes sub una fide varios ritus, & mores, districte præcipimus, ut Pontifices hujusmodi civitatum, sive diocesum provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum, & linguarum divina officia illis celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter, & exemplo. *Innoc. III. in concil. gener. Later. c. 9.*

CAPUT IV.

De vita & honest. cler. c. 15. Greg. IX. c. 4. eod. tit. in 4. coll.

Clerici se in divinis officiis, & aliis bonis exerceant studiis diligenter, &c. cappas manicatas ad divinum officium intra ecclesiam nulli gerant. *Innoc. III. in concil. gener. Later. c. 16.*

CAPUT V.

De etat. & qualitat. c. 14. Greg. IX. c. 4. eod. tit. in 4. coll.

Episcopi promovendos in sacerdotes diligenter instruant, & informant vel per se ipsos, vel per alios viros idoneos super divinis officiis, & ecclesiasticis sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare. *Innoc. III. in conc. gen. Later. c. 27.*

CAPUT VI.

Dist. 92. c. 2. In sanct.

Præsenti decreto constituo, ut in sede hac sacri altaris ministri (*Diaconi*) cantare non debeant, solumque evangelicæ lectionis officium inter missarum solemnias exsolvant. Psalmos, ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas fuerit, per minores Ordines exhiberi, &c. *Greg. in synod. Roman. c. 1. & in regist. lib. 4. cap. 88. vel epist. 44. lvo part. 2. cap. 79. decret. Anselm. lib. 7. cap. 6. Tarrac. lib. 4. cap. 22.*

CAPUT VII.

Illi, qui ante nos fuerunt, providam in ecclesiis consuetudinem tradiderunt, hodieque in ecclesia Romana, quæ magistra est omnium ecclesiarum, imprætermisere servatur, ita ut nullus sacerdos majore suo non innuente consacerdote, cuilibet rei benedicere nitatur, sed & anterior stans ad pronuntiandum aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audeat penitus benedicere. *Nicol. ad Michael. Imper. ante med.*

CAPUT VIII.

Quia nobilitas tua postulavit, quod secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annueremus officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere. *Greg. VII. lib. 7. regist. epist. 11. ad Vratislaum Boemiorum Ducem.*

CAPUT IX.

Ut sabbato evangelia cum aliis scripturis legantur. *Laodic. c. 16.*

CAPUT X.

Non oportet conjungere in synaxi (*in processionibus, L. psalmos*) sed lectio cujusque psalmi fiat per partes (*ordinabiliter, L.*) *Laodic. c. 17.*

CAPUT XI.

Easdem preces orationum omnino in nonis & vespers esse servandas. *Laod. c. 18. Vide c. 19. de triplici oratione catechumenorum pœnitentium, & fidelium.*

CAPUT XII.

Passiones martyrum legere licet, cum anniversarii dies eorum celebrantur. *Carth. c. 47. G. African. c. 13. L.*

CAPUT XIII.

Confirmatas in synodo preces, vel præfationes vel commendationes, sive manus impositiones, ab omnibus celebrari oportet, neque alias dici. *Carthag. cap. 106. G. Milevit. c. 12. L. Afric. cap. 70. L.*

CAPUT XIV.

Nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet, & cum ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quascumque sibi preces aliquis describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructoribus fratribus contulerit. *Carth. III. cap. 23. L. Capit. lib. 6. cap. 66.*

CAPUT XV.

Evangelia, aut Apostolum pœnitentes inter letores non legant, &c. *Tolet. I. c. 2. & c. 4. Mart. Brach. c. 23. Burch. lib. 2. c. 37. lvo lib. 3. tit. 5. c. 20. panorm. & part. 6. c. 138. decret. Anselm. lib. 1. cap. 26.*

CAPUT XVI.

Nulla professa, vel vidua absente Episcopo, vel presbytero in domo sua antiphonas cum confessore, vel servo suo faciat. Lucernarium vero, nisi in ecclesia, non legatur, aut si legatur in villa, præsentem Episcopo, vel presbytero, vel diacono legatur. *Tolet. I. c. 9.*

CAPUT XVII.

Quia convenit ordinem ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, sicut fit, ut post antiphonas collectiones per ordinem ab Episcopis, vel presbyteris dicantur, & hymni matutini, vel vespertini decantentur diebus omnibus, & in conclusione matutinarum, vel vespertinarum, & missarum post hymnos capitella de psalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad vespem ab Episcopo cum benedictione mittatur. *Agathens. cap. 30. Rodolph. de ecclesiast. officiiis prop. 14.*

CAPUT XVIII.

Qui tam in Sede Apostolica, quam etiam per totas orientales, atque Italiæ provincias dulcis, & nimium salubris consuetudo intromissa est, ut *Kyrie eleison* frequentius cum grandi affectu, ac compunctione dicatur, placuit etiam nobis, ut in omnibus ecclesiis nostris ista consuetudo sancta, & ad Matutinum, & ad Missas, & ad Vesperam Deo propitiante intromittatur. *Vasen. II. cap. 3.*

CAPUT XIX.

Omnis clerus die sabbati ad vespem sit paratus,

Dist. 50. c. 67. Placuit.

De cons. d. 5. c. 13. Convenit.

tus, quo facilius die dominico solemnitas cum omnium presentia celebretur, ita tamen ut omnibus diebus vespere, & matutinas celebrent. *Tarrac. cap. 7.*

CAPUT XX.

De conf. d. 5. c. 14. Id femper. Omnibus diebus post matutinas, & vespere oratio dominica a sacerdote proferatur. *Gerund. cap. 10.*

CAPUT XXI.

Ut psalmus quinquagesimus ante canticum dicatur. *Barcin. c. 1.*

CAPUT XXII.

Ut benedictio in matutinis fidelibus, sicut in vespera, tribuatur. *Barcin. c. 2.*

CAPUT XXIII.

In precipuis solemnitatibus hora tertia missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes ipso officio expedito, sacerdotes possint ad vespertina officia in vespertino tempore convenire. Quia sacerdotem vespertinis officiis ad ecclesiam talibus precipue diebus, nec decet deesse, nec convenit. *Aurel. 3. cap. 14.*

CAPUT XXIV.

** Extra psalmos canonicarum, scripturarum novi, & vet.* Placuit, ut veteris * testamenti nihil poetice compositum in ecclesia psallatur, sicut & sancti precipiunt canones. *Brach. 1. c. 20.*

CAPUT XXV.

Ut *Alleluja* in Quadragesima, & Kal. Januar. non dicatur, sed in Paschate: qui contra fecerit communionem ejusdem Paschae privetur, &c. *Tolet. IV. cap. 10.*

CAPUT XXVI.

In quibusdam Hispaniarum ecclesiis laudes post Apostolum decantantur, priusquam evangelium predicetur, dum canones precipiant, post Apostolum non laudes, sed evangelium annuntiare. Præsumptio est enim, ut anteponantur ea, quæ sequi debeant. Nam laudes post evangelium sequuntur propter gloriam Christi, quæ per idem evangelium predicatur. Circa omnes igitur sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis sententiam suscepturi, qui hunc ordinem perturbaverint. *Tolet. IV. c. 11.*

CAPUT XXVII.

Dist. 38. c. 2. Quando presbyteri in parochiis ordinantur, &c. ad litanias, vel ad concilium venerint, rationem Episcopo reddant, qualiter susceptum officium celebrent, vel baptizent. *Tolet. IV. cap. 25. Arclar. sub Carolo c. 4. Ivo lib. 3. tit. 2. cap. 16. panorm. & part. 3. c. 129. decret. Anselm. lib. 7. cap. 104.*

CAPUT XXVIII.

Nulli cujuscumque dignitatis ecclesiasticæ deinceps percipiant gradum, qui non totum psalterium, vel canticorum usualium, & hymnorum sive baptizandi perfecte noverint supplementum &c. *Tolet. VIII. c. 8.*

CAPUT XXIX.

Sunt nonnulli (*parochiani presbyteri*) qui ecclesiarum suarum res ad plenitudinem habent, & sollicitudo illis nulla est habendi clericos, cum quibus omnipotenti Deo laudum debita persolvant officia. Proinde instituit hoc sanctum synodus. *Tom. VI.*

dū*, ut omnes parochiani presbyteri, juxta, & * in rebus sibi a Deo creditis sentiunt habere virtutem, de ecclesiæ suæ familia clericos sibi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant, ut & officium sanctum digne peragant, & ad servitium suum aptos eos habeant. *Emerit. c. 18.*

* concilium, f. ut, f.

CAPUT XXX.

Quicumque sacerdotum, vel ministrorum, deinceps causa cujuslibet doloris, vel amaritudinis permotus, altare divinum vestibibus sacris exuere præsumperit, &c. atque, quod pejus est, occasionem nutrierit, unde templis Domini, aut officia consueta desint, aut oblatio singularis sacrificii videatur in aliquo defraudari, si eum antea veræ pœnitentis coram Metropolitano satisfactio non purgaverit, &c. loci sui, & dignitate se noverit, & honore privandum. Illis proculdubio personis ab hac ultionum sententia separatis, quæ aut contaminationem sacrorum ordinum, vel subversionem * sanctæ fidei metuentes, aut hostilitatem, vel subversionem perferentes, seu etiam divinatorum judiciorum sententiam metuentes talia fecisse contigerit. In quo facto plus humilitas, qua Deus placetur, quam interni livoris dolositas declaratur. *Tolet. XIII. c. 7.*

26. 9. 3. c. 23.

CAPUT XXXI.

Sanctimoniales in monasterio constitutæ habeant studium in legendo, & in cantando, in psalmodiarum celebratione, sive oratione, & horas canonicas matutinam videlicet, primam, tertiam, sextam, nonam, vespertinam, completorium pariter, celebrent. *Cabilon. sub Carolo cap. 59. Burch. lib. 8. c. 77. Magunt. sub Raban. c. 16.*

* obsidionem, al.

CAPUT XXXII.

Horam tertiam, & sextam, & nonam Daniel, & tres pueri supplicationibus devoverunt, scilicet, ut ab ortu diei in tempus supplicationis tres horæ porrectæ, Trinitatis nobis reverentiam declararent, pariter a tertia ad sextam, atque inde ad nonam, per paria lucis intervalta ratis dimensionibus terminata. Trinitas ter in die rogata celebratur. Illud etiam occurrit ad probationem venerabilis Trinitatis, quod Spiritus sanctus hora tertia, hoc est suo loco, & numero, & tempore descendit ad terras, impleturus gratiam, quam Christus promisit. Nam & sexta hora Christus passus in nonam patibuli cruciamenta porrexit. Tali enim sacramento legitimis ad precem temporibus, per ternas horas Trinitatis perfectio, aut laudatur celebratibus, aut precibus impetratur; & si computetur divina celebritas, per quaternarium usque in vespertinum officium, hoc est, quater ternis significatur, quia mundus quadrifario divisus in Trinitate salvatur. Siquidem & in nocte stationes, & vigiliæ militares, in quatuor partes divisæ, ternis horarum spatiis secernuntur, ut & in ipsis nocturnis, mundialibusque officiis, Trinitatis mysterium veneretur. *Isidor. lib. 1. de offic. c. 19. apud Aquisgr. c. 126.*

Dan. 6. c.

Act. 2. c.

Matt. 29. Joann. 19. c.

CAPUT XXXIII.

Vespertinum diurni finis officium diurnæ, & alternæ lucis occasus est, cujus ex veteri testamento sollemnis celebratio est. Denique hoc tempore veterum sacrificia offerri, adolerique altario aro-

Exod. 29.

mata, & thura mos erat. Testis est hymnidicus ille, regio, ac sacerdotali perfunctus officio, dicens: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* In novo quoque testamento eo tempore Dominus, & Salvator noster cœnantibus Apostolis mysterium sui corporis, & sanguinis initio tradidit, ut tempus ipsum sacrificii vespertinum ostenderet sæculi. Proinde in honore, ac memoria tantorum sacramentorum his temporibus adesse nos decet Dei conspectibus & personare in ejus cultibus orationum nostrarum illi sacrificium offerentes, atque in ejus laudibus pariter exultantes. Vesperum autem nominatur a sydere, quod vesper vocatur, & decedente sole exoritur, de quo propheta dicit: *Et vesperum super filios hominum consurgere facis.* *Isidor. lib. 1. de offic. cap. 20. apud Aquisgran. cap. 127.*

CAPUT XXXIV.

De completis autem celebrandis id etiam in patrum invenitur exemplis, David propheta dicente: *Si ascendero in lectum strati mei, si dederò somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Quis non stupeat, tantam in Dei amore animi devotionem, ut somnum sibi, sine quo utique corpora humana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum, ac templum Domino fabricandum in pectore suo Rex, & Propheta reperiret? Quæ res nos debet fortiter admonere, ut si ipsi locus Domini esse volumus, & tabernaculum ejus, aut templum cupimus haberi, in quantum possumus exempla sanctorum imitemur, ne de nobis dicatur, quod legitur: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* *Isidor. lib. 1. de offic. c. 21. apud Aquisgr. c. 128.*

CAPUT XXXV.

De Matutinorum antiquitate, & auctoritate testis est idem David Propheta, dicens: *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.* Et alibi: *Prævenere oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Cassianus autem dicit: „ Matutinæ solemnitate officio nostro adhuc tempore instituto, primitias in Bethlehem monasterio, ubi Dominus noster Jesus Christus pro redemptione salutis ex Virgine nasci dignatus est, sicque ex illa per universum mundum ejusdem celebrationis invaluit consuetudo. Diluculo autem proinde oratur, quod resurrectio Christi celebretur. Matutina autem luce radiante, Dominus, & Salvator noster ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Christo occiderat peccatoribus. Siquidem, & eo tempore cunctis spes futuræ resurrectionis creditur, cum justis, & omnes ab hac temporaria morte quasi a fovea mortis resurgentes, evigilabunt. *Aquisgr. c. 129. ex Isidoro lib. 1. de offic. ecclesiast. cap. 23. & Cassiano de institutis cœnobio lib. 3. cap. 4.*

CAPUT XXXVI.

Paulus, & Silas in custodia publica circa medium noctis orantes, hymnum, audientibus cunctis, victi dixisse memorantur, ubi repente terræ motu facta, & concussis carceris fundamentis, & januæ sponte aperta, & omnium vincula sunt soluta. Unde oportet his horis, psallendi, orandique frequentiam nos in sanctis habere officiis, finemque nostrum, vel si advenerit sub tali actu, expectare securi. *Isidor. lib. 1. de offic. c. 22. apud Aquisgran. c. 130.*

CAPUT XXXVII.

Studeant summo opere canonici prædictas horas vigilantissima cura custodire, & in his divinum officium humiliter, ac devote persolvere. Mox enim, ut datum fuerit signum, festinato omnes ad ecclesiam conveniant. Quam non pompate, inhoneste, vel incomposite, sed cum reverentia, & Dei timore ingrediantur. Nec cum baculis in choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum, & psallendum est. Sunt etenim quidam clericorum, qui in sæcularibus negotiis, & disceptationibus pœne totum infatigabiliter deducunt diem, & mox in ecclesiam ad divinum officium peragendum, ut intraverint, ita fatigari videntur, ut nec orationi vacare, nec ad psallendum stare queant, sed potius sedentes, non divinis, sed vanis solent instare loquelis, &c. Qui segniter, aut tarde ad matutinum, aut ad aliud quodlibet divinum obsequium peragendum occurrerit, dignum est, ut non cum aliis in choro, sed omnium ultimus, ut certe erabescere discat, in loco hujuscemodi negligentibus a Prælati constituto stet, &c. *Aquisgr. sub Lud. lib. 1. c. 131.*

CAPUT XXXVIII.

Psallentium in ecclesia Domino mens concordare debet cum voce, ut impleatur illud Apostoli: *Psallam spiritu, psallam, & mente,* quoniam quamvis ubique Dominum per potentiam divinitatis noverimus esse, præcipue tamen eum, cum divino assistimus officio, per gratiam nobis credimus adesse. De qua re venerabilis Beda presbyter in expositione evangelii Lucae, ita dicit: „ Non latet Angelos crebro electis invisibili adesse præsentia, ut eos, vel ab hostis callidi defendant insidiis, vel majoris cœlestis desiderii gratia sustollant, Apostolo attestante, qui ait: *Nonne omnes sunt administratoris spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?* Maxime tamen Angelici nobis spiritus adesse credendi sunt, cum divinis specialiter mancipamur obsequiis, id est cum ecclesiam ingressi, vel lectionibus sacris aurē accommodamus, vel psalmodia operam damus, vel orationi incumbimus, vel etiam missarum solemnitate celebramus. Unde ait Propheta: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Nec dubitare licet, ubi corporis, & sanguinis dominici geruntur mysteria, supernorum civium adesse conventus. Unde studendum solerter est, ut cum ecclesiam, vel ad divinæ laudis debita solvenda, vel ad agenda missarum solemnitate intramus, semper Angeli

48. 16.

1. Cor. 14.

Hebr. e. 1.

Psalm. 137.

,, cæ

ca praesentia memores cum timore, & veneratione competenti caeleste compleamus officium, ne si, quod absit, id negligenter, aut inhoneste, vel tepide expleverimus, & ad perficiendum pigri advenerimus, in sententiam, qua dicitur, *Maledictus homo, qui opus Dei fecerit negligenter*, miserabiliter labamur. Ergo solerti industria nobis observandum est, ne quid in ecclesia Dei ineptum, ne quid perversum, ne quid indecens, aut cogitatione, aut actibus, aut verbis perpetremus, quatenus, & conspectu Angelorum Domini digni efficiamur, & Dominus ad nos veniens non quod condemnet in nobis, sed potius, quod remuneret, inveniat. *Aquisgr. c. 132.*

CAPUT XXXIX.

Tales ad legendum, cantandum, & psallendum in ecclesia constituantur, qui non superbe, sed humiliter debitas Domino laudes persolvant, & suavitate lectionis, ac melodiae, & doctos demulceant, & minus doctos erudiant, plusque velint in lectione, vel cantu populi adificationem quam popularem vanissimam adulationem. Qui vero haec docte peragere nequeunt, erudiantur prius a magistris, & instructi haec adimplere student, ut audientes adificent. *Aquisgr. c. 133.*

CAPUT XL.

Psalmi in ecclesia non cursim, & excelsis, atque inordinatis, seu intemperatis vocibus, sed plane, ac dilucide, & cum compunctione cordis recitentur, ut & recitantium mens illorum dulcedine pascatur, & audientium aures illorum pronuntiatione demulceatur, quoniam quamvis cantilenae sonus in aliis officiis excelsa soleat edi voce, in recitandis tamen psalmis hujuscemodivitanda est vox. *Aquisgr. c. 137.*

CAPUT XLI.

Vespertinales quoque in vigilia Paschae melius celebrandae vitae sunt propter latitiam resurrectionis Domini, quam dimittenda. *Aquisgr. II. sub Ludov. part. 2. c. 9.*

CAPUT XLII.

Hoc sciendum est, quod si quando jejunium mensis Junii in vigilia Pentecostes evenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solemni Pentecostes, & tunc propter solemnitatem Spiritus sancti diacones dalmaticis induantur, & Alleluja cantetur, & *Flectamus genua* non dicatur. *Salgunstadien. c. 2. post Burch. decret. Ivo part. 4. c. 33. decret.*

CAPUT XLIII.

In ecclesiis diu, nocturne, & ut cum psalmodiographo melius dixerim, vespere & mane, & meridie benedicere Deo oportebit, maxime autem in divinis mysteriis, & sacris officiis, dum haec, inquam, peraguntur. *Germanus CP. ad Thomam Episcop. Claudiopoleos. VII. syn. ant. 4. ante fin.*

CAPUT XLIV.

In vespertinis officiis primo lucernarium, deinde psalmi duo, responsorius unus, & laudes, & hymnus, atque oratio dicenda est. Post vespertinum autem congregatis fratribus oportet, vel aliquid meditari, vel de aliquibus lectionis quaestio-

nibus disputare, conferendo pie, & salubriter, tantumque meditando, disputandoque immorari, quoadusque completorii tempus possit occurrere. *Isidor. in regula monachorum c. 6.*

De iis, quae pertinent ad Missam. *Vide libro de sacrificio Missae.*

TITULUS XIV.
SERVETUR IDEM ORDO AB OMNIBUS
IN CELEBRATIONE DIVINORUM
OFFICIORUM.

CAPUT I.

Ordo ecclesiae ab omnibus aequaliter custodiatur ubique, sicut fit, &c. *Agath. c. 39.*

De conf. d. 5. cap. 13. Convenit.

CAPUT II.

Intra provinciam nostram sacrorum ordo, & psallendi una sit consuetudo, ut sicut unam cum Trinitatis confessione fidem tenemus, unam & officiorum regulam teneamus, &c. *Venet. c. 15.*

CAPUT III.

Ad celebrandum divina officia, ordinem quem Metropolitani tenent provinciales observare debent. *Epaun. c. 27. Burch. lib. 3. c. 25. Ivo lib. 2. tit. 4. c. 5. panorm. C. part. 3. c. 30. decret.*

De conf. d. 1. cap. 30. Altaria.

CAPUT IV.

Institutio Missarum, sicut in Metropolitana ecclesia agitur, ita in Dei nomine in omni Tarraconensi provincia, tam ipsius missae ordo, quam psallendi, vel ministrandi consuetudo servetur. *Gerund. cap. 1. Burch. lib. 3. cap. 66. Ivo part. 3. cap. 68. decret.*

De conf. d. 2. c. 31.

CAPUT V.

Pro reverentia domini Martini, vel cultu, ac virtute id statuimus observandum, ut tam in ipsa basilica sancta, quam in ecclesiis nostris iste psallendi ordo servetur, ut in diebus aestivis ad matutinum sex antiphonarum binis psalmis explicentur. Toto Augusto manicationes * fiant, quia festivitates sunt, & missae. A Septembri septem antiphonarum explicentur binis psalmis. Octobri octo ternis psalmis. Novembri novem ternis psalmis. Decembri decem ternis psalmis. Januario, & Februario itidem usque ad Pascha, sed ut possibilitas habet, qui facit amplius pro se, & qui minus, ut porerit Superest, ut vel duodecim psalmi expediantur ad matutinum, quia patrum statuta praecerunt, ut ad Sextam sex psalmi dicantur cum Alleluja, & ad duodecimam duodecim, itidemque cum Alleluja, quod etiam Angelo ostendente didicerunt. Si ad duodecimam duodecim psalmi, cur ad matutinum non itemque vel duodecim explicentur? Quicumque minus, quam duodecim psalmos ad matutinum dixerit, jejunet usque ad vesperam, panem cum aqua manducet, & non illi sit altera in illa die ulla refectio. Et qui hoc facere contempserit, una hebdomada panem cum aqua manducet, & jejunet omni die usque ad vesperam. *Turon. II. cap. 19.*

Id est, manducationes, non in feriis, quibus jejunatur, vel matutinae conventiones.

CAPUT VI.

Placuit omnibus communi consensu, ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis, vel vespertinis monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica regula sint permittae. *Brae. c. 19.*

Dist. 12. c. ult.

CAPUT VII.

Ut per solemnium dierum vigilias, vel missas omnes eadem, & non diversas lectiones in ecclesia legant. *Brac. c. 20.*

CAPUT VIII.

Ut eodem ordine missæ celebrentur ab omnibus, quo profuturus quondam hujus Metropolitanæ ecclesiæ Episcopus ab ipsa Apostolicæ Sedis auctoritate suscepit scriptum. *Brac. c. 22.*

CAPUT IX.

Unus ordo orandi, atque psallendi a nobis per omnem Hispaniam, atque Galliam conservetur, unus modus in Missarum solemnitatibus, unus in vespertinis officiis, &c. quia in una fide continemur, & regno. Hoc enim & antiqui canones decreverunt, ut unaquæque provincia & psallendi, & ministrandi parem consuetudinem teneat. *Tolet. IV. c. 2.*

CAPUT X.

Oportet, ut sicut in aliis ecclesiis, vespertino tempore, post lumen oblatum, prius dicitur vespertinum, quam sonum * in diebus festis, ita & a nobis custodiatur in ecclesiis nostris. *Emerit. cap. 2.*

* Ave Maria, &

CAPUT XI.

De his, qui contra Apostoli voluntatem circumferuntur omni vento doctrinæ, placuit, ut Metropolitanæ sedis auctoritate coacti, uniuscujusque provinciæ cives *, rectoresque ecclesiarum unum, eundemque in psallendo teneant modum, quem in Metropolitana sede cognoverint institutum, nec aliqua diversitate cujuscumque ordinis, vel officii a Metropolitana se patiantur sede disjungi, &c. Abbatibus sane indulgis officiis, quæ juxta voluntatem sui Episcopi regulariter illis impienda sunt, cetera officia publica, id est, vespertas, matutinum, sive missam aliter, quam in principali ecclesia celebrare non liceat. Quisquis violator extiterit sex mensibus communionem privatus apud Metropolitanum sub poenitentia censura permaneat corrigendus, &c. Sub ista regula non solum Metropolitanus totius provinciæ Pontifex, vel Sacerdotes astringat; sed etiam ceteri Episcopi subjectos sibi ecclesiarum rectores obtemperare his institutionibus cogant. *Tolet. XI. c. 3.*

Dist. 1. cap. 13. Ephes. 4. Pontifices, al.

TITULUS XV.

PRESBYTERI, ET ALII CLERICI ACCEDANT AD PRECES MATUTINAS, ET VESPERTINAS.

CAPUT I.

Presbyter, vel diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet ecclesiæ deputatus clericus, si intra civitatem fuerit, vel in loco, in quo ecclesia est, aut castella, aut vici sunt, aut villa, si ad ecclesiam, aut ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur, si castigatus, per satisfactionem veniam ab Episcopo noluit promereri. *Toletan. I. c. 5. Mart. Bracar. cap. 63. Burch. lib. 2. c. 152. Ivo part. 6. c. 243. decret. Capitular. lib. 7. c. 161.*

Dist. 93. c. ult.

CAPUT II.

Clericus, quem intra muros civitatis suæ manere consiterit, & matutinis hymnis sine proba-

bili excusatione ægritudinis inventus fuerit defuisse, septem diebus a communione habeatur extraneus, quia ministrum sacrorum eo tempore, quo non potest ab officio suo ulla honesta necessitas occupare, fas non est a salubri opere cessare. *Venet. cap. 14.*

CAPUT III.

Expletis, religiosissimo obsequio, horis competentibus, divinis officiis ab omnibus canonicis dato signo, devotissime ad completorium celebrandum veniendum est. *Aquisgr. c. 136.*

TITULUS XVI. DE OFFICIO ROMANO.

CAPUT I.

In hoc, quod sub ditione tua, Romani ordinis officium fieri studio, & jussionibus tuis asseris Romanæ ecclesiæ te filium, ac eam concordiam & eandem amicitiam te nobiscum habere, quam olim Reges Hispaniæ cum Romanis Pontificibus habebant, cognosceris. Esto itaque conitans, & fiduciam firmam habeas, & quod cœpisti, perficias. *Gregor. VII. lib. 1. registr. ep. 66. Sancio Regi Aragonum.*

CAPUT II.

Cum beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet, ac postea septem Episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos a Petro & Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructa idololatria, christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem, & officium in divinis cultibus agendis ostenderunt, & sanguine suo ecclesias dedicaverunt, vestra diligentia non ignoret, quantam concordiam cum Romana urbe Hispaniam religione, & ordine divini officii habuisse satis patet, &c. Vos, fratres Episcopi (adhortor) ut Romanæ ecclesiæ ordinem, & officium recipiatis, non Tolentanæ, vel cujuslibet alius, sed istius, quæ a Petro, & Paulo supra firmam petram, per Christum fundata est, & sanguine consecrata, &c. Unde non dubitatis, vos suscepisse religionis exordium, restat etiam ut inde recipiatis in ecclesiastico ordine divinum officium, quod Innocentii Papæ ad Eugubinum directa Episcopum vos docet epistola, quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant, quod Tolentanum, & Bracharense demonstrant concilia, quod etiam Episcopi vestri ad nos nuper venientes, juxta constitutionem concilii per scripta sua facere promiserunt, & in manu nostra firmaverunt. *Greg. VII. lib. 1. reg. ep. 64. Regib. Episcopis Hispania.*

Matt. 16.

CAPUT III.

Noverit excellentia tua dilectissime, illud unum admodum nobis, immo clementiæ divinæ placere, quod in ecclesiis regni tui, matris omnium sanctæ Romanæ ecclesiæ ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari effeceris. Denique in illo, quem hætenus tenuisse videmini, sicut suggerentibus religiosi viris didicimus, quædam contra catholicam fidem inserta esse patulo convincuntur. Quæ cum relinquere, & ad priscam consuetudinem, scilicet hujus ecclesiæ reverti deliberas, non dubie te beatum Petrum patronum optare, & subditorum tuorum salutem, cælesti gra-

gratia inspirante, sicut Regem decet, curare monstrasti. *Greg. VII. lib. 9. reg. ep. 2. ad Alphonsum Regem Hispania.*

TITULUS XVII.
DE PSALMIS, ET CANTU
ECCLESIASTICO.

CAPUT I.

Librum Psalmorum secundum Septuaginta interpretes, & presbyteros, &c. & sicut a rectoris tuo Alexandro coepiscopo didicisti Græcorum psallentiam ad nos dirigas, quia apud nos tantum die dominica Apostoli epistola una recitatur, & evangelii capitulum unum, nec psallentium mos tenetur, nec hymni decus * in ore nostro cognoscitur. *Damas. ad Hieron. ep. 2.*

* *hymni dicuntur, al.*

CAPUT II.

Distin. 92. Non licet. cap. 3. Non oportet plures canere in ecclesia, quam qui cantores constituuntur, ut in ambone, & ex libro canant. *Laod. c. 15. Mart. Brac. c. 45. Aquisgr. c. 76.*

CAPUT III.

Non oportet ab idiotis psalmos compositos, & vulgares in ecclesia dici. *Laod. c. 59. Burch. lib. 3. c. 211. Ivo part. 3. c. 262.*

CAPUT IV.

Clericis foetuum occisoribus officium ministrandi recuperare non liceat, attamen in choro psallentium, a tempore receptæ communionis, intersint. *Iherd. c. 2.*

CAPUT V.

Distin. 12. Placuit. c. ult. Ut unus, atque idem psallendi ordo in matutinis, vel vespertinis officiis teneatur, & non diversæ, ac privatæ monasteriorum consuetudines contra ecclesiasticas regulas sint permixtæ. *Brach. I. c. 19. vide Tol. IV. c. 2.*

CAPUT VI.

ornati, al. gradus. Lectores in ecclesia in habitu sæculari ordinati * non psallant, neque granos * gentili ritu dimittant. *Brac. I. c. 29.*

CAPUT VII.

Eccles. 4. c. 7. q. 1. Illud c. 5. de conf. d. 1. Ut illud. c. 57. *invalentibus.* Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem. Cavendum est, ne horis illis, atque temporibus, quibus Domino psallitur, vel sacrificatur, unicuique divinis singulariter officiis insistenti perniciosa passio, vel corporis quælibet valetudo * occurrat, quæ aut corpus subito subruat, aut mentem alienatione, vel terrore confundat. Pro huiusmodi ergo casibus præcaventes necessarium duximus, instituere, ut ubi temporis, vel loci, sive clerici copia suffragatur, habeat quisque ille canens Deo, atque sacrificans post se vicini solaminis adiutorem, ut si aliquo casu ille, qui officia impleturus accedet, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, a tergo semper habeat, qui ejus vicem exequatur intrepidus. *Tol. XI. c. 14. Burch. lib. 3. cap. 73. Ivo part. 2. cap. 126. decret.*

CAPUT VIII.

Canentes in ecclesiis non vocibus inordinatis utantur, ut naturam ad clamorem impellant, neque quid eligant, quod ecclesiæ non conveniat, sed cum omni diligentia psalmorum cantus proferrant Deo in occulto videnti, pios enim esse filios Israel, sacra scriptura docuit. *Trull. cap. 75.*

CAPUT IX.

Ut de scholis tam divinæ, quam humanæ literaturæ, nec non & ecclesiasticæ cantilenæ juxta exemplum prædecessorum nostrorum aliquid inter nos tractetur, & si potest fieri, statuatur, atque ordinetur. *Valent. sub Lothar. cap. 18.*

CAPUT X.

Legi litteras Apostolatus vestri poscentes, ut secundum simplicitatem LXX. interpretum canendum psalmographum interpretari festinem propter fastidium Romanorum, ut ubi obscuritas impedit, apertius, & latine trahatur sensus. Cuius precatur tuus, ut vox ista psallentium in sede tua Romana die, noctuque canatur, & in fine psalmi cujuslibet sive matutinis, vel vespertinis horis conjungi præcipiat Apostolatus tui ordo: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat, &c.* Istud carmen laudis omni psalmo conjungi præcipias, ut fides CCCXVIII. Episcoporum Nicæni concilii in vestro ore pari consortio declaretur. Ubi autem Deus, & homo honorabili voce cantatur, *Alleluja*, semper cum omnibus psalmis affigatur, ut in omni loco communiter respondeatur nocturnis temporibus. In ecclesia autem a sancta resurrectione usque ad sanctam pentecostem finiatur, inter dierum vero spatia quinquagesimæ propter novitatem sancti Paschæ ut vox ista laudis canatur in *Aleph*, quod prologus græce, latine præfatio dicitur. *Hieron. ad Damas.*

CAPUT XI.

Non liceat in pulpito psallere, aut legere nisi qui ab Episcopo lectores sunt ordinati. *Martin. Brach. c. 45. vide Laod. c. 15. Aquisgr. 76.*

Dist. 93. c. 3.

CAPUT XII.

Damasus constituit, ut psalmi die, noctuque canerentur per omnes ecclesias, qui hoc præcepit presbyteris, Episcopis, ac monasteriis. *Ex Pont.*

CAPUT XIII.

Hormisda composuit clerum, & psalmis * erudit. *Ex Pontif.*

* *psalmos, al.*

TITULUS XVIII.

DE SYMBOLO APOSTOLORUM, ET DE ORATIONE DOMINICA.

CAPUT I.

Christo resurgente, & ascendente in cælum, misso sancto Spiritu, collata Apostolis scientia linguarum, adhuc in uno positi (*Apostoli*) symbolum, quod fidelis nunc tenet ecclesia, unusquisque quod sensit dicendo, condiderunt, ut discedentes ab invicem, hanc regulam per omnes gentes prædicarent. Summam ergo totius fidei Catholicæ recensentes, in qua, & integritas credulitatis ostenditur, & unius Dei omnipotentis, id est sanctæ Trinitatis æqualitas declaratur, & mysterium incarnationis filii Dei, qui pro salute humani generis a Patre de cælo descendens, de Virgine nasci dignatus est, quoque ordine, vel quando mortem pertulerit, quomodo sepultus surrexerit, & in carne ipsa cælos ascenderit, ad dexteramque Patris confederit, iudex venturus sit, ac qualiter remissionem peccatorum sacro baptisate renatis contulerit, & resurrectionem humani generis in eadem carne in vitam æternam futuram,

AS. 1. c. 2.

ram,

ram, sic docuerunt, symbolum enim græce latine collatio dicitur. Et hoc prædicti sancti Apostoli inter se, per Spiritum sanctum salubriter, ut dictum est, condiderunt. *Clem. ep. 1. ante med.*

CAPUT II.

Ipsius catholici symboli brevis, & perfecta confessio, qua duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa est munitione cælesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. *Leo epist. 13. ad Pulcheriam in fin.*

CAPUT III.

Credatur symbolo Apostolorum, quod ecclesia Romana intemerata semper custodit, & servat &c. *Ambros. & alii ad Syric. ante med.*

CAPUT IV.

Orationem Dominicam idcirco mox post preces dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent, &c. Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos vero a solo sacerdote (in Missa). *Gregor. Joann. Episcopo Syracus. epist. 63. lib. 7. regist. indict. 2.*

CAPUT V.

Symbolum placuit ab omnibus ecclesiis una die, id est, ante octo dies Dominicæ resurrectionis publice in ecclesia competentibus prædicari. *Agath. cap. 13. Burch. lib. 4. cap. 29. Ivo part. 1. cap. 223. decret.*

CAPUT VI.

Omnibus diebus post matutinas, & vespas oratio Dominica a sacerdote proferatur. *Gerunden. cap. 10.*

CAPUT VII.

Nonnulli sacerdotum in Hispaniis reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam Salvator noster docuit, & præcepit, non quotidie, sed tantummodo die Dominica dicunt. Et quia ut sine intermissione oremus, Apostolus docuit: qualiter autem oremus, Christus præcepit dicens: *Cum oratis, dicite: Pater noster qui es in caelis.* Quomodo ergo quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici jubetur? Nam in tantum quotidie hæc oratio dicenda est, quantum & ipso titulo utatur* nam vocatur oratio quotidiana, sic enim sancti patres nuncupaverunt, quod etiam apud Doctores, quorum illustis doctrina est, invenitur. Sanctus quoque* Cyprianus dicit: „Itaque in oratione Dominica panem nostrum, id est Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus, & vivimus, a sanctificatione, & corpore ejus non recedamus“. Sanctus Hilarius dicit: „Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quid enim tam vult Deus, quam ut quotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitæ, & panis e cælo, & quia quotidiana oratio est, quotidie quoque ut deretur, eratur“. Sanctus Augustinus dicit: „De quotidianis autem brevibus, levibusque peccatis, sine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit, eorum est enim dicere: *Pater noster qui es in caelis*, qui jam patri tali regenerati sunt ex aqua, & Spiritu

„sancto“. Delet ergo hæc quotidiana oratio minima, & quotidiana peccata, delet & illa, a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, poenitendo in melius redacta discedit mutata. Ergo sicut Christus præcepit, sicut Apostolus monuit, & quemadmodum doctores ecclesiastici instituerunt, quia quotidie vel cogitatione, vel verbo, vel opere delinquimus, quotidie hanc orationem effundere in conspectu Dei debemus. Quisquis ergo sacerdotem, vel subjacentium clericorum hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut in privato officio præterierit, propter superbiam judicatus ordini sui honore privetur*. *Tolet. IV. cap. 9. ex Cyprian. ser. de orat. Dominic. Augustino ex Hilario in Enchirid. ad Laurent. cap. 11.*

CAPUT VIII.

Ante dies viginti baptismi ad purgationem exorcismi concurrant catechumeni. In quibus viginti diebus omnes catechumeni symbolum, quod est, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, specialiter doceantur. *Brac. II. cap. 1. Burchard. lib. 4. cap. 8. Ivo part. 1. c. 75. & 203.*

CAPUT IX.

Verbum brevium faciet Dominus super terram, quod per sanctos Apostolos vidimus impletum. Quid enim brevius, quam simplex fidei symbolum ab Apostolis institutum, in quo mysticum sacramenti continetur arcanum? *Synod. Mediolanen. epist. ad Constant. IV. Imper.*

CAPUT X.

Symbolum, & orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis ætas, omnis sexus, omnisque conditio, masculi, feminae, juvenes, senes, servi, liberi, pueri, conjugati, in nuptæque puellæ, quia sine hac benedictione, nullus poterit in cælorum regno percipere portionem. Qui autem observaverit hæc, & a malis operibus se custodierit, & in præfenti sæculo salvus erit, & in futuro cum angelis congaudebit. *Forojul. post confess. fidei.*

CAPUT XI.

Symbolum, quod est signaculum fidei, & orationem Dominicam discere semper admoneant sacerdotes populum Christianum. Volumusque ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, sive in jejunio, sive in alia castigatione emendentur. Propterea dignum est, ut filios suos donent ad scholam, sive ad monasteria, sive foras presbyteris, ut fidem catholicam recte discant, & orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non poterit, vel in sua lingua hoc discat. *Magunt. cap. 45. Capit. lib. 5. cap. 95. Burch. lib. 2. cap. 156. Ivo part. 6. cap. 247. decret.*

CAPUT XII.

Ut orationem, quam Dominus noster Jesus Christus discipulos suos orare docuit, verbis discerent, & sensu bene intelligerent, quia illam ignorare nulli Christiano licet. *Remens. cap. 2.*

CAPUT XIII.

Presbyter ab ortu nativitatis cujusque ad se pertinentis curam habeat, ne aliquis eorum absque renatione sacri baptismatis moriatur. Post

De conf. d. 4. cap. 56.

De conf. d. 5. cap. Semper, 14.

1. Tbeff. 1. d. Matt. 1. b.

* *utitur.*

* *quippe.*

* *multetur.*

10. q. 1. c. 18. Placuit. de conf. d. 4. cap. 54.

Esai. c. 20.

Matt. 6.

acceptum autem sacrum baptisma, sine manus impositione Episcopi non remaneat, ac deinde imbuatur scire orationem Dominicam atque symbolum. *Aquisgr. II. part. 3. cap. 5.*

CAPUT XIV.

Provideant viri potentes, & maxime potentes feminae, ut in suis domibus adulteria, &c. non vigeant, ac orationem Dominicam, & symbolum cunctos tenere, & frequentare compellant, quia parochiani presbyteri, & Episcoporum ministri, de minoribus & vilioribus personis hoc providere studebunt. *Mehl. cap. 74.*

CAPUT XV.

Pene innumerabiles inveniuntur in plebe ecclesiastica cujuscumque sexus, & ætatis, pariter, & conditionis, qui ad usque suæ temporis senectutis, nec ut debuerant per opera fidei notitiam (impleverunt) usque adeo, ut neque ipsius symboli verba salutaris, nec saltem salutationem dominicam noverint orationis. Hi vero tales, & si aliquid videantur habere bonæ conversationis, quomodo sine fidei fundamento adificium construunt boni operis? Et ad hæc, quid excusationis prætere posse possumus, dum tales a corpore exeuntes, non ad vitam, quam non noverunt, sed ad mortem rapiuntur æternam, quam evadere sine fide, ex qua justus vivere creditur, minime potuerunt. *Troslejan. cap. 15.*

Hebr. 11.

CAPUT XVI.

Commendandi sunt fideles omnes a minimo usque ad maximum, ut orationem Dominicam, & symbolum dicant, & dicendum est eis, quod his duabus sententiis omne fidei christianæ fundamentum incumbit, &c. Nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis alium suscipiat, neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum, & orationem dominicam memoriter tenuerit. *Theodulph. ad presb. Aurel. cap. 22.*

CAPUT XVII.

Dicendum est fidelibus, ut singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet, & vespere dicens Symbolum, vel orationem Dominicam, &c. *Theodulphus ad presbyt. Aurelian. cap. 27.*

Alia de Symbolo Apostolorum vide lib. X. de Baptismo, &c. De Symbolo Nicano, & CP. vide lib. V. tit. XV.

TITULUS XIX.

DE HYMNIS.

CAPUT I.

NOCTE sancta Nativitatis Domini Salvatoris clerici missas celebrent, & hymnum Angelicum in eis solemniter decantent, quoniam & eadem nocte ab Angelo pastoribus nuntiatus est, &c. Ab Episcopis autem idem Angelicus hymnus pro tempore, & loco in Missarum solemnibus celebrandus est, atque solemniter recitandus. *Telesph. epist. unic. post princ. Ivo part. 2. cap. 71. decret. Casar. lib. 11. cap. 9. Tarrac. lib. 4. cap. 61.*

De conf. d. 1. cap. 47.

Luc. 1.

CAPUT II.

Licet Ambrosianos hymnos habeamus in canone, tamen quoniam reliquorum sunt aliqui,

qui digni sunt forma, cantare volumus libenter, & amplecti eos, præter ea, quorum auctorum nomina non fuerint in limine prænotata, quoniam quæ fidem constituerunt, dicendi rationi non obstant. *Turon. II. cap. 24.*

CAPUT III.

Sex diebus paschæ nullus servile opus audeat facere, sed omnes simul coadunari hymnis paschalibus indulgentes, perseverationis nostræ præsentiam quotidianis sacrificiis ostendamus, laudantes Creatorem, ac Regeneratorem nostrum vespere, & mane, & meridie. *Matisc. II. cap. 2.*

CAPUT IV.

De hymnis canendis Salvatoris, & Apostolorum habemus exemplum: *Et hymno dicto (inquit Matthæus) exierunt in montem oliveti; & Paulus ad Ephesios: Implemini Spiritu sancto, loquentes vobis metipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus.* Et quia nonnulli hymni humano studio in laudē Dei atque Apostolorum, & Martyrū triumphos compositi sunt, sicut hi, quos beatissimi doctores Hilarius, atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, quod de scripturis sanctorum canonum, vel Apostolica traditione non existunt; respiciant ergo & illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque officio in fine omnium psalmodiarum dicimus: *Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in sæcula sæculorum, amen.* Nam & ille hymnus, quem nato Christo Angeli cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis,* reliqua quæ ibi sequuntur, ecclesiastici doctores composuerunt, ergo nec ipsi in ecclesiis canendi sunt, quia in sanctarum scripturarum libris non inveniuntur. Componuntur Missæ, sive preces, vel orationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ex quibus si nulla decantetur in ecclesia, vacant officia omnia ecclesiastica. Apostolus ad Timoth. *Obsecro ergo primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus, qui in sublimitate sunt.* Sicut ergo orationes, ita & hymnos in laudem Dei compositos, nullus nostrum ulterius improbet, sed parimodo in Gallia, Hispaniaque celebrent, excommunicatione plectendi, qui hymnos reicere fuerint ausi. *Tolet. IV. cap. 12.*

De conf. d. 1. cap. 53. Matt. 26. Ephes. 5.

Luc. 2.

1. Tim. 2.

CAPUT V.

Hymnum trium puerorum, &c. quem ecclesia catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam sacerdotes in missa Dominicorum dierum, & in solemnitatibus Martyrum canere negligunt, per omnes Hispaniæ ecclesias, vel Galliæ, in omnium missarum solemnitate idem in publico decantetur, communionem amissuri, qui antiquam hujus hymni consuetudinem ex-

pulpito, al.

CAPUT VI.

Non oportet clericos, nisi hymno dicto edere panem, & post cibos gratias auctori suo deferre. *Mart. Brac. cap. 62. vel 65. Burch. lib. 2. cap. 165. Ivo part. 6. cap. 256.*

Dist. 45. c. Non liceat, 22.

CAPUT VII.

Gelasius fecit hymnos in modum B. Ambrosii Episcopi, & Sacramentorum præfationes, & orationes cauto sermone, & epistolas fidei elimato sermone. *Ex Pontif.*

TITULUS XX.

DE HYMNO TRISAGIO.

Vide libro XI. titulo XLV. quibus adde:

CAPUT I.

Esai. 6. **A**B Angelis nobis laus ista profluxit, qui ante crucem dicebant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, sicut respicere Elaias meruit; post crucem vero cum laude clamabant: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*. Denique cum terræ motu Constantinopolis quateretur, populusque in campo oraret, infantulus toto populo spectante, cum Proclo civitatis Episcopo, in cælum per unam horam raptus est, ibique hujusmodi didicit hymnum, rursusque descendens nutiavit, quæ in æthere audierat, dicens, de cælo, quasi de multitudine psallentium hujusmodi laudes insonuisse auribus suis, dictumque sibi, ut eam laudationem populo indicaret, quam ubi populi inceperant, civitatem receperunt, Deoque per hujusmodi laudem propitio facto, ab imminente ira liberati sunt, &c. *Felix III. in syn. Rom. epist. 2. ad Petr. Fullon. ante V. synod.*

CAPUT II.

Petrus nuper damnatus est, eo quod prave, & nefarie in hymno Trisagion noviter introduxit, qui crucifixus est propter nos, scientes quia non Trinitatem crucifixam ab Apostolis accepistis, neque Patrem, neque Spiritum sanctum, nisi carnem Christi, filium Dei unigeniti solum, &c. *Felix III. epist. 1. Petro Cnaphæo Antioch. Episcop. Vide etiam aliam epist. eius ad Zenon. in quibus acerbe invehitur in ipsum, quia Trisagio addebat, Qui crucifixus est, &c.*

CAPUT III.

Post hos sanctos Patres cum graves terræ motus civitatem Constantinopolitanam occupassent, magnus, & parvus, dives, & pauper, servus, & liber extra civitatem in campo secedentes, simul concurrerunt, frigoribus, & hyeme ibidem perdimales, quam civitati ipsi conjungi. Quibus ubi Deus parcere clementer dignatus est, revelavit beato Proclo Trisagium acclamare, cum ipsi ad propulsandam iram litanias facerent. Et hoc clare non uni, vel duobus notum fuit, sed toti mundo, &c. Dixit enim *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nostri*. Quomodo ergo tu ausus fuisti apponere crucem? &c. *Asclepiades Episcopus Tralliarum ad Petrum Antiochen. ad fin. ante V. synod.*

CAPUT IV.

Secutus beatum Proclum, & insus revelationem in campo, timoribus existentibus deprecative dicas Trisagium ad pausationem iræ. *Justinian. Episcop. Sicilia ad Petrum Antiochenum in fin. ante V. syn.*

CAPUT V.

Oportet sequi revelationem sanctissimi Procli Constantinopolitanæ sedis Episcopi, quando in campum cum toto populo cucurrit, fluctuan-

te ipsa civitate sub terræ motu, & omnibus fletum emittentibus repente puerum in aera levare a quadam virtute, & huic imponi trisagium litaniarum, & dicere: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis*, & hæc annuntiare Episcopo iustus est. Sicque per tres horas in tribunali stans secus pedes ipsius Episcopi hæc narravit. Et sic postquam litanias fecerunt, stetit terræ motus. *Cincianus * Episcopus Acculinarum * , ante V. syn.*

CAPUT VI.

Cherubicum hymnum corrupisti, per quem & nostra civitas firmata est, cum olim moveretur ab interioribus terræ motibus, puero infante ad aera raptus, in conspectu totius civitatis usque ad tertium cælum, quemadmodum divinus Paulus ibidem hanc ineffabilem hymnologiam, in qua hora in campo multitudo cum lachrymis exclamabat, *Domine miserere*, ad Deum simul cum sancto patre nostro Archiepiscopo hujus regalis & a Deo amatæ civitatis. *Acacius CP. Episc. post princ. ante V. synod.*

CAPUT VII.

Ut in Trisagio post verba illa: *Sanctus Deus, Sanctus fortis*, &c. non dicatur: *qui crucifixus est pro nobis*. *Antheon. Episcopus Arsinæ in epist. ad Petrum Fullonem. Faustus Episcopus Appollonidæ in epist. ad eundem. Pamphilius Episc. Abydar. in epist. ad eundem. Asclepiades Episc. Trallian. in epist. ad eundem Petrum ante V. synod.*

TITULUS XXI.

DE VERSU, CUJUS INITIUM EST, GLORIA PATRI, &c.

CAPUT I.

CUM in fine psalmodum ab omnibus catholicis ex more dicatur, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, aliqui dicunt: *Gloria Patri, & Filio Spiritui sancto*, &c. Constat illos omnino a doctrina dominica deviare, qui aliquid huic voluerunt confessioni derogare: qui si in errore permanerint, loci nobis esse non possunt. *Vigil. epist. singul. c. 2.*

CAPUT II.

Quia non solum in sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam propter hæreticorum astutiam, quia Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis post *Gloria Patri*, &c. *Sicut erat in principio*, &c. dicitur: etiam & nos in universis ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decrevimus. *Vasen. II. c. 5.*

CAPUT III.

Acclamatum est in laudibus Dei, & in favorem Principis ab universo concilio: *Gloria Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, cui cura est pacem, & unitatem ecclesiæ suæ sanctæ Catholicæ providere*. *Tolet. III. post confessionem fidei a Reccaredo factam.*

CAPUT IV.

Quicumque non dixerit *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, anathema sit. Quicumque libellum habuerit, in quo *Gloria Patri* per Fi-

* *Quintianus*, al.
* *Camarianorum*, al.

2. *Cor. 6.*

Filium, in Spiritu sancto continetur, anathema sit. *Tolet. ante canones.*

CAPUT V.

Hoc definitum, ut in psallendis ordinibus per quemcumque psalmum, Gloria dicatur Omnipotenti Deo, per majores vero psalmos, prout fuerint prolixius paulationes fiat, & pro quacumque paulatione, Gloria Trinitatis Domino decantetur. *Narb. cap. 2.*

CAPUT VI.

De conf. d. 1. cap. de hymnis, 53. Nonnulli hymnos humano studio compositos reprobant, quod de Scripturis sanctorum canonum, vel Apostolica traditione non existunt. Respuant ergo & illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico, privatoque officio in fine omnium psalmorum dicimus: *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto in saecula saeculorum Amen. Tolet. IV. c. 12.*

CAPUT VII.

Psal. 28. Apocb. 5. In fine psalmorum, non *Gloria Patri*, sed *Gloria, & honor Patri* dicatur: David propheta dicente, *Afferte Domino gloriam, & honorem*, & Joannes Evangelista in Apocalypsi audivit vocem caelestis exercitus: *honor, & gloria Deo nostro sedenti in throno.* Ac per hoc haec duo sic oportet in terris dici, sicut & in caelis resonant. Universis ergo ecclesiasticis hanc observantiam damus, quam quisquis praeterierit, communionis jacturam habebit. *Tolet. IV. cap. 14.*

CAPUT VIII.

Sunt, qui in fine responsoriorum *Gloriam* non dicunt, quod interdum inconvenienter resonat. Sed haec est discretio, ut in laetis sequatur gloria, in tristioribus repetatur principium. *Tolet. IV. c. 15. Vide Hieronymum in epist. ad Damas. vir. de psalmis, & cantu ecclesiastico cap. Legi litteras.*

TITULUS XXII.

DE LECTIONE.

CAPUT I.

Instruebat (*Petrus Apostolus*) actus suae vitae omni hora custodire, &c. Praedicationi, & orationi, ac lectioni frequenter incumbere. *Clem. epist. ad Jacob. ante fin.*

CAPUT II.

** servando, al.* Nobis providendum est, cooperante gratia Dei, fructum Domino plurimum reportemus. Quod aliter fieri non potest, nisi sapientiam sectando, ejusque praecipua lectionibus, & hymnis meditando, atque eo adminiculante implendo, orando, vigilando, & voluntatem ejus, in quantum ipse largitus fuerit, perficere studeamus. *Alex. epist. 3. in princ.*

CAPUT III.

Dist. 44. c. 22. Pro reverentia Dei, & sacerdotum, quia solent crebro mensis otiosae fabulae interponi, in omni sacerdotali convivio lectio scripturarum divinarum miscatur: Per hoc enim & animae edificantur ad bonum, & fabulae non necessariae prohibentur. *Tolet. III. cap. 7. Raban. cap. 23. de poenit. Burch. lib. 2. c. 169. Ivo part. 7. cap. 260. decret.*

CAPUT IV.

Quandiu Episcopus convivatur, potius sacra
Tom. VI

lectio ante mensam ejus recitetur, quam ociosa a sarronibus resonent verba. *Turon. sub Carolo cap. 5.*

CAPUT V.

Episcopi, & Abbates pauperes secum ad mensam habeant, & lectio divina ibi perfonet, & sumant cibum cum benedictione, & laude Domini. *Remen. c. 17.*

CAPUT VI.

Si quondam lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia ociositas inimica est animae, & antiquus hostis, quem a lectione, sive ab oratione, sive ab operatione vacantem invenerit, facile ad vitia rapit. Per usum namque lectionis discetis, qualiter, & vos vivatis, & alias doceatis. Per usum orationis, & vobis, & iis, quibus in charitate conjuncti estis, prodelle valebitis. Per manuum operationem, & corporis macerationem & vitis alimenta negabitur, & vestris necessitatibus subvenietis, & habebitis quid necessitatem patientibus porrigatis. *Theodulphus ad presbyt. Aurelian. c. 3.*

CAPUT VII.

Lectiones sanctas audire (*oportet*) orationi frequenter incumbere. *Theodulph. ad presbyt. Aurel. c. 21. ad med.*

Vide Theodulph. ad presbyt. Aurelian. cap. 2. tit. de Orationis virtute cap. Oportet.

TITULUS XXIII.

DE LIBRIS SACRIS, ET DE UTILITATE IPSORUM.

CAPUT I.

Ordo librorum veteris testamenti, quem sancta, & catholica Romana suscipit, & veneratur ecclesia, &c. Genesis liber unus, Exodus liber unus, Levitici liber unus, Numeri liber unus, Deuteronomii liber unus, Jeshu Nave liber unus, Judicum liber unus, Ruth liber unus, Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Psalmorum c. liber unus, Salomonis libri tres, Proverbia, Ecclesiastes, & Cantica canticorum. Item sapientiae liber unus, Ecclesiastici liber unus. Item ordo Prophetarum, Esaiæ liber unus, Jeremiae liber unus, Cinoth, id est de lamentationibus suis. Exechielis liber unus, Danielis liber unus, Osee liber unus, Amos liber unus, Micheae liber unus, Joel liber unus, Abdiae liber unus, Jonae liber unus, Naum liber unus, Abacuc liber unus, Sophoniae liber unus, Aggae liber unus, Zachariae liber unus, Malachiae liber unus. Item ordo historiarum Job liber unus, Tobiae liber unus, Esdrae liber unus, Hester liber unus, Judith liber unus, Machabaeorum liber unus. Item ordo scripturarum novi, & aeterni testamenti. Evangeliorum libri quatuor, secundum Matthaeum liber unus, secundum Marcum liber unus, secundum Lucam liber unus, secundum Joannem liber unus. Actuum Apostolorum liber unus, Epistolae Pauli Apostoli numero quatuordecim: ad Romanos epistola una, ad Corinthios epistolae duae, ad Galatas epistola una, ad Thessalonicenses epistolae duae, ad Ephesios epistola una, ad Philippenses epistola una, ad Colossenses epistola una, ad Timotheum epistolae duae, ad Titum epistola una, ad Philemonem epistola una, ad He-

Y

He-

Hebræos epistola una. Item Apocalypsis Joannis liber unus. Item canonicæ epistolæ numero septem, Jacobi epistola una, Petri Apostoli epistolæ duæ, Joannis Apostoli epistolæ tres, Judæ Zoloris Apostoli epistola una. *Gelas. in syn. septuaginta Episcoporum. Burch. lib. 3. cap. 217. 218. 219. 220. Ivo part. 4. c. 61. decr.*

CAPUT II.

Sint omnibus vobis clericis, & laicis libri venerandi, & sancti, veteris quidem Testamenti, Mosis quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Jesu Nave unus, Judicium unus, Ruth unus, Regum quatuor, Paralipomenon, id est, derelictorum libri dierum duo, Esdræ duo, Hester unus, Machabæorum tres, Job unus, Psalmorum unus, Salomonis tres; Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Prophetarum duodecim unus: Esaia unus, Jeremia unus, Ezechiel unus, Daniel unus. Extrinsecus autem a vobis intelligatur, debere vestros adolescentes discere sapientiam eruditissimi Syrach. Nostra autem, id est, novi Testamenti Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Pauli epistolæ quatuordecim, Petri epistolæ duæ, Joannis tres, Jacobi una, Judæ una, Clementis * epistolæ duæ, & ordinationes vobis Episcopis per me Clementem in octo libris editæ, quæ non sunt omnibus divulgandæ propter ea, quæ sunt in eis mystica, & Actus nostri Apostolorum. *Cap. 84. Apost.*

* Ecclesiastica non recipis hos libros tamquam authenticos.

Dist. 38. c. 8.

CAPUT III.

Sicut stellas cæli non extinguit nox, sic mentes fidelium firmamento inherentes sanctæ scripturæ, non obscurat mundana iniquitas, &c. *Zephir. ep. 1. in princ.*

CAPUT IV.

Qui libri recipiantur in canone sanctarum scripturarum, brevis annexus ostendit, &c. Mosis libri quinque, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, nec non & Jesu Nave unus, & Judicium unus, & Regum libri quatuor, simul, & Ruth, Prophetarum libri sexdecim, Salomonis libri quinque Psalterium. Item historiarum Job liber unus, Tobia unus, Hester unus, Judith unus, Machabæorum duo, Esdræ duo, Paralipomenon duo. Item novi testamenti, evangeliorum libri quatuor, Pauli Apostoli epistolæ quatuordecim, epistolæ Joannis tres, epistolæ Petri duæ, epistola Judæ, epistolæ Jacobi, Actus Apostolorum, apocalypsis Joannis. Cetera autem, quæ sub nomine Matthæi, sive Jacobi minoris, & sub nomine Petri, & Joannis, quæ a quodam Leutio scripta sunt, vel sub nomine Andree, quæ a Nexocharide, & Leonide philosophis, vel sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam novæ esse damnanda. *Innoc. ep. 3. cap. 7.*

CAPUT V.

Valde gaudeo, quod dulcissima beatitudo vestra, etiam causis secularibus occupata, ad intellectum sacri eloquii vigilanter ingenium reducit. Sic quippe necesse est, ut si illa omnimodo caveri non possint, ista non omnimodo postponantur.

Gregor. Domitiano Metropolit. epist. 63. lib. 2. registr. indict. 11.

CAPUT VI.

Quid est scriptura sacra, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? & certe si cubi esset gloria vestra alicubi constituta, & scripta terrenti Imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius, quid sibi Imperator terrenus scripsisset, agnovisset. Imperator cæli, Dominus hominum, & Angelorum pro vita tua tibi suas epistolas transmisit, & tamen gloriose fili easdem epistolas ardentem legere negligis. Stude ergo quæso, & quotidie Creatoris tui verba meditare. Discere cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires, & mens vestra ad cælestia gaudia majoribus desideris accendatur. Tanto enim tunc major ei erit requies, quanto modo ab amore conditoris sui requies nulla fuerit. *Greg. lib. 4. reg. ep. 40. ad Theodorum Medicum.*

CAPUT VII.

Opto ut sanctam scripturam legere ametis, ut quamdiu vos omnipotens Deus viris conjunxerit, sciatis qualiter vivere, & domum vestram quomodo disponere debeatis. *Greg. Barbaræ, & Antonia lib. 9. reg. ep. 75. in fin.*

CAPUT VIII.

Hos condemnamus, qui se extollunt adversus scripturas, & ecclesiasticos canones, nova includunt præcepta, &c. omnia, quæ conveniunt traditionibus Apostolicis, & sanctarum scripturarum præceptis in ecclesia fieri exoptamus. *Gangr. in fine. Ivo part. 8. c. 321.*

Dist. 30. c. 16. Hæc autem, 41. cap. 5. Parsimoniam.

CAPUT IX.

Non oportet libros, qui sunt extra canonem, legere, nisi solos canonicos novi & veteris testamenti. Quæ autem oporteat legi, & in auctoritatem recipi, hæc sunt, Genesis mundi, Exodus Ægypti, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicium, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Esdræ primus, & secundus. Liber Psalmorum CL. Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica canticorum, Job, Hester, duodecim Prophetæ, id est, Osee, Amos, Joel, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, item Itaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Novi autem testamenti evangelia quatuor, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem, Actus Apostolorum, epistolæ catholicæ septem, Jacobi una, Petri duæ, prima, & secunda, Joannis tres prima, secunda, & tertia, Judæ una, epistolæ Pauli Apostoli numero quatuordecim, ad Romanos, ad Corinthios prima & secunda, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenes, ad Colossenses, ad Thebalonicenses prima & secunda, ad Timotheum prima, & secunda, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. *Laod. c. 59.*

CAPUT X.

Præter canonicas scripturas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum, sunt autem hæc. Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nava, Judicium, Ruth, Re-

Re-

Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, libri duodecim Prophetarum, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Judith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo. Novi autem Testamenti Evangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli epistolæ tredecim, ejusdem ad Hebræos una, Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Judæ Apostoli una, Jacobi una, Apocalypsis Joannis liber unus. Quæ ad notitiâ Bonifacii fratris, & confacerdotis nostri, & Episcoporum illarum partium deducimus, ut hæc confirmet, quæ nos a Patribus percepimus. *Carth. c. 24. G. Carth. III. c. 47. L. Capit. lib. 1. c. 20.*

CAPUT XI.

Si quis dixerit, vel crediderit alias scripturas, præter quas ecclesia catholica recipit, in auctoritate habendas, vel esse venerandas, anathema sit. *Toler. I. in fin. forte conc. Aquis Celenis habiti.*

CAPUT XII.

Apocalypsim librum multorum conciliorum auctoritas, & synodica sanctorum præsulum Romanorum decreta Joannis evangelistæ esse præscribunt, & inter divinos libros recipiendum constituerunt, & quia plurimi sunt, qui ejus auctoritatem non recipiunt, eumque in ecclesia Dei prædicare contemnunt. Si quis eum non receperit, aut a Pascha ad Pentecostem missarum tempore in ecclesia non prædicaverit, excommunicationis sententiam habebit. *Toler. IV. c. 16.*

CAPUT XIII.

Dist. 28. c. Ignorantia. 1. Tim. 43. Sacerdotes legere sanctas scripturas admonentur, Paulo Apostolo dicente ad Timotheum: *Intende lectioni, exortationi, doctrinæ, semper permansere in his.* Sciunt igitur sacerdotes scripturas sanctas, & canones meditentur, &c. *Toler. IV. cap. 24. Burch. lib. 1. cap. 100. Anselm. lib. 7. cap. 114.*

CAPUT XIV.

Omnis iste conventus dixit, se scripturaram sanctarum monita, & canonum instituta diligenti indagazione perquirere, & indefessa atque infatigabili observatione, auxiliante Domino, velle perficere. *Cablon. sub Carolo c. 66.*

CAPUT XV.

Quoniam nonnulli ausi sunt ea, quæ dicuntur apochrypha, sibi componere, & ea divinæ scripturæ permiscere, de qua certiores facti sumus, quemadmodum tradita sunt patribus, qui ab initio ipsi verbi aspectores, & ministri fuimus, mihi quoque visum est a germanis fratribus admonito, & edocto ab alto per feriem exponere, qui in canonem recepti, & traditi, & creduntur esse divini libri, &c. Sunt itaque veteris quidem Testamenti libri omnes numero vigintiduo. Tot enim ut audiui, etiam elementa ab Hebræis esse traditum est. Ordine autem, & nomine sic est unusquisque. Primum Genesis, deinde Exodus, deinde Leviticum, & post eum Numeri, & exinde Deuteronomium. Eum consequitur Jesus Nave, & Judices, & postea Ruth. Et rursus deinceps Regum libri quatuor, & eorum primus quidem, & secundus in unum librum connumerati. Tertius

autem, & quartus similiter in unum. Postea Paralipomena, seu derelicta, primus, & secundus similiter in unum librum connumerati. Deinde Esdræ primus, & secundus similiter in unum. Postea autem liber Psalmorum, & deinceps Proverbia. Deinde Ecclesiastes, & Cantica canticorum. His accedunt Job, & reliqui prophetæ, duodecim quidem in unum locum connumerati. Deinde Esaias, Jeremias, & cum ipso Threni, seu Lamentationes. Baruch epistolæ, & post ipsum Ezechiel, & Daniel. Ad hos usque consistit verus Testamentum. Novi quoque Testamenti libros dicere non est differendum. Sunt autem hi quatuor Evangelia, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem. Deinde postea Actus Apostolorum, & epistolæ, quæ dicuntur canonicæ, septem Apostolorum sic, Jacobi una, Petri duæ, deinde Joannis tres, & post eas Judæ una. Præterea sunt Pauli quatuordecim epistolæ, quæ sic ordine scriptæ sunt. Prima ad Romanos, deinde ad Corinthios prima & secunda, & post eas ad Galatas, & deinceps ad Ephesios. Deinde ad Philippenses, & Colossenses, & post eas ad Thessalonicenses duæ, & quæ est ad Hebræos, & statim ad Timotheum duæ, ad Titum autem una, & ultima ad Philemonem una. Et rursus Apocalypsis Joannis. Hi sunt fontes salutis, ut qui sitit, impleatur eloquiis, quæ sunt in eis. In his solis pietatis doctrina annunciatur. Nemo his addat, nec ab his aliquid detrahat. De his autem Dominus Saducæos quidem reprehendebat dicens: *Erratis non intelligentes scripturas.* Judæos autem hortatur, *Scrutamini scripturas,* quia hæc sunt, quæ de me testimonium perhibent. Sed ut res sit accuratior, & exactior, hoc quoque adicio, scribens necessario, quod extra hos sunt alii quoque libri, non in canonem quidem redacti, sed quos legi a patribus decretum est, iis, qui nunc accedunt, & volunt in pietatis, verique cultus ratione initiari: Sapientia Salomonis, Sapientia Sirach, & Hester, & Judith, & Tobias, & doctrina, quæ dicitur Apostolorum, & Pastor, qui sunt tamen non aspernandi. *Achunafius epist. festiva.*

CAPUT XVI.

Non oportet psalmos compositos, & vulgares in ecclesia dicere, neque libros, qui sunt extra canonem, legere, nisi solos canonicos novi, & veteris Testamenti. *Mart. Bracar. c. 67.*

Vide Gregorium Nazianzenum in carminibus, & Amphilochem Iconii Episcopum ad Seleucum.

TITULUS XXIV.

DE ALIIS LIBRIS, QUOS RECIPIT, VEL REICIT ECCLESIA.

Vide Part. I. Lib. VI. tit. XIV.

CAPUT I.

Sancta Romana ecclesia post illas veteris, vel *Dist. 11. c. 3.* novi Testamenti, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas, id est, sanctam synodum Nicænam trecentorum decem & octo patrum, mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arius hæreticus con-

demnatus est: sanctam synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio Seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit, sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius condemnatus est, consensu beatissimi Cælestini Papæ mediante Cyrillo Alexandrinæ sedis Antistite, & Arcadio Episcopo ab Italia destinato, sanctam synodum Chalcedonensem mediante Marciano Augusto, & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, in qua Nestoriana, & Eutychiana hæreses simul cum Dioscuro, ejulque complicibus damnatæ sunt. Sed & si quæ sunt concilia a sanctis Patribus hætenus instituta post * horum auctoritatem & custodienda, & recipienda, & decernimus, & mandamus. Item opuscula Beati Cypriani martyris, & Carthaginensis Episcopi. Item opuscula Beati Gregorii Nazianzeni Episcopi. Item opuscula B. Basilii Cappadociæ Episcopi. Item opuscula beati Athanasii Alexandrini Episcopi. Item opuscula B. Cyrilli Alexandrini Episcopi. Item opuscula B. Joannis Constantinopolitani Episcopi. Item opuscula B. Theophili Alexandrini Episcopi. Item opuscula B. Hilarii Pictaviensis Episcopi. Item opuscula B. Ambrosii Mediolanensis Episcopi. Item opuscula B. Augustini Hipponensis Episcopi. Item opuscula Beati Hieronymi presbyteri. Item opuscula Prosperi viri religiosissimi. Item epistolam Beati Leonis Papæ ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum destinatam, cujus textum quispiam si usque ad unum jota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit. Item opuscula, atque tractatus omnium orthodoxorum Patrum, qui in nullo a sanctæ Ecclesiæ Romanæ consortio deviarunt, nec ab eju fide, vel prædicatione sejuncti sunt, sed ipsius communionis per gratiam Dei usque in ultimum diem vitæ suæ fuere participes, legendos decernimus. Item [decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum patrum consolatione dederunt, venerabiliter recipiendas. Item gesta sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis ista * catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus fuisse perpeffos, nec suis viribus, sed gratia Dei, & adjutorio universa tolerasse?] Sed ideo secundum antiquam consuetudinem, singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscribere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut dictis * superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur, sicut cujusdam Quirici & Julitæ, sicut Georgii, aliorumque hujusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ, propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta ecclesia omnes martyres, & eorū gloriosos agones, qui Deo magis, quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramus. Item vitas Parrum Pauli, Antonii, Hilarionis, & omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus descripsit Hieronymus,

cum omni honore suscipimus. Item actus beati Silvestri Apostolicæ Sedis præfulis, licet ejus, qui conscripsit, nomen ignoretur, a multis tamen in urbe* Roma catholicis legi cognoscimus, & pro antiquo usu multæ hæc imitantur ecclesiæ. Item scripturam * de inventione crucis Dominicæ, & aliam scripturam * de inventione capitis Joannis Baptistæ, novellæ quædam relationes sunt, & nonnulli eas catholici legunt. Sed cum hæc ad catholicorum manus pervenerint *, Beati Pauli Apostoli præcedat sententia: *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Item Rufinus vir religiosus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus. Sed quoniam Beatus Hieronymus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ prædictum Beatum Hieronymum sentire cognoscimus & non solum de Rufino, sed etiam de diversis, quos vir sapius memoratos zelo Dei, & fidei religione reprehendit. Item Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse reuenda. Item Chronica Eusebii Cæsariensis, & ejusdem ecclesiasticæ historiæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & postea in laudibus, atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum, propter rerum tamen notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus reuendos. Item Orosium virum eruditissimum colaudamus, quia valde nobis necessariam adversus paganorum calumnias dignam ordinavit historiam, mira que brevitate contexuit. Item venerabilis viri Sedulii paschale opus, quod heroicis descripsit versibus insigni laude præferimus. Item Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur. Cetera, quæ ab hæreticis, sive schismaticis conscripta, vel prædicata sunt, nullatenus recipit Catholica, & Apostolica Romana ecclesia, e quibus pauca, quæ ad memoriam venerant, & a Catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda. In primis Ariminensem synodum a Constantio Cæsare, Constantini Augusti filio congregatam, mediante Tzuro præfecto, & tunc, & nunc usque in æternum confitemur esse damnatam. Item itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis libri decem, apocryphum. Actus nomine Andree Apostoli, apocryphi. Actus nomine Thomæ Apostoli, apocryphi. Actus nomine Philippi, apocryphi. Evangelium nomine Thaddæi, apocryphum. Evangelium nomine Matthiæ, apocryphum. Evangelium nomine Petri Apostoli, apocryphum. Evangelium nomine Jacobi minoris, apocryphum. Evangelium nomine Barnabæ, apocryphum. Evangelium nomine Thomæ, quod utuntur Manichæi, apocryphum. Evangelium nomine Bartholomæi Apostoli, apocryphum. Evangelium nomine Andree Apostoli, apocryphum. Evangelia quæ falsavit Lucianus, apocrypha. Liber de infantia Salvatoris, apocryphus. Evangelia, quæ falsavit Esitius *, apocrypha. Liber de nativitate Salvatoris, & de Maria, & obste-

* prater.

Dist. 19. c. 1.
S. Consonat.

* ita esse, al.

* idiotis, al.

* scripta

* alia seri-

pta.

* adve-

niunt.

1. Theff. 1.

* Hesp-
chius.

tri-

* *Lencius.* trice, apocryphus. Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus. Libri omnes, quos fecit Lucius * discipulus diaboli, apocryphi. Liber, qui appellatur fundamentum, apocryphus. Liber, qui appellatur thesaurus, apocryphus. Liber de filiabus Adæ Geneleos, apocryphus. Centimetrum de Christo, virgilianis compaginatum versibus, apocryphum. Liber, qui appellatur actus Teclæ, & Pauli Apostoli, apocryphus. Liber, qui appellatur Nepotis, apocryphus. Liber Proverbiorum, qui ab hæreticis conscriptus, & sancti Xysti nomine prænotatus est, apocryphus. Revelatio, quæ appellatur Pauli Apostoli, apocrypha. Revelatio, quæ appellatur Thomæ Apostoli, apocrypha. Revelatio, quæ appellatur Stephani, apocrypha. Liber, qui appellatur transitus, id est assumptio sanctæ Mariæ, apocryphus. Liber, qui appellatur poenitentia Adæ, apocryphus. Liber Ogiaz nomine gigantis, qui ab hæreticis cum dracone post diluvium pugnasse perhibetur, apocryphus. Liber, qui appellatur testamentum Job, apocryphus. Liber, qui appellatur poenitentia Origenis, apocryphus. Liber, qui appellatur poenitentia sancti Cypriani, apocryphus. Liber, qui appellatur poenitentia Joannis, & Mambæ, apocryphus. Liber, qui appellatur fortes Apostolorum, apocryphus. Liber qui appellatur laus Apostolorum, apocryphus. Liber canonum Apostolorum, apocryphus. Liber physiologus, qui ab hæreticis conscriptus est, & beati Ambrosii nomine signatus, apocryphus. Historia Eusebii Pamphili, apocrypha. Opuscula Tertulliani, apocrypha. Opuscula Lactantii, apocrypha. Opuscula Aphricani, apocrypha. Opuscula Posthumiani, & Galli, apocrypha. Opuscula Montani, Priscillæ, & Maximillæ, apocrypha. Opuscula omnia Fausti Manichæi, apocrypha. Opuscula Commodiani, apocrypha. Opuscula alterius Clementis, Alexandrini, apocrypha. Opuscula Tatii Cypriani, apocrypha. Opuscula Arnobii, apocrypha. Opuscula Tyconii, apocrypha. Opuscula Cassiani, presbyteri Galliarum, apocrypha. Opuscula Victorini Pictaviensis, apocrypha. Opuscula Fausti Rheimensis Galliarum, apocrypha. Opuscula Frumenti *, cæci, apocrypha. Epistola Jesu ad Abagarum Regem, apocrypha. Epistola Abagari ad Jesum, apocrypha. Passio Cyrici *, & Julitæ, apocrypha. Passio Georgii, apocrypha. Scriptura, quæ appellatur contradictio Salomonis, apocrypha. Philacteria omnia, quæ non Angelorum, ut illi confingunt, sed demonum magis arte conscripta sunt, apocrypha. Hæc, & omnia his similia, quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthius, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosarenus, Photinus, & Bonosus, & qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, sive Manichæus, Faustus, Africanus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Celestius, Donatus, Eustachius, Jovinianus, Pelagius, Julianus Celanensis, Celestinus, Maximinus Priscillianus * ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus, Unicus, Lampetius, Dioscorus,

Euthyches, Petrus, & alius Petrus, e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit. Acacius Constantinopolitanus cum conscribitis suis, nec non & omnes hæretici, eorumque discipuli, sive schismatici docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minime retinentur, non solum rupudiata, verum etiam ab omni Romana Catholica, & Apostolica ecclesia eliminata, atque cum suis actoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata. *Gelas. in synod. 70. Episcop. Hug. S. Victore didasca lib. 4. cap. 14. & 15. Burch. lib. 3. cap. 220. & 221. Ivo lib. 1. tit. 11. cap. 3. panorm. & part. 4. cap. 64. & 65. decret. Casaraug. lib. 2. cap. 23. Tarrac. lib. 1. cap. 232.*

CAPUT III.

De libris prophanis, quos a Saracenis vos abstulisse, ac apud vos habere perhibetis, quid faciendum sit, inquiritis. Qui nimirum non sunt reservandi; *corrumunt enim, sicut scriptum est, mores bonos colloquia mala: sed ut pote noxii, & blasphemii, igni tradendi. Nicol. ad consult. Bulgar. cap. 103.*

CAPUT IV.

Quod nullum capitulum, nullus liber canonicus habeatur absque Rom. Pontificis auctoritate. *Greg. VII. lib. 2. reg. in dictato.*

CAPUT V.

Quare a veritatis hostibus falso consistæ sunt martyrum historia, ut Dei martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri essent, ad infidelitatem deducerent, in ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi. Qui eas autem admittunt, vel tamquam veris iis mentem adhibent, anathematizamus. *Trull. 63.*

TITULUS XXV.

DE TRADITIONIBUS.

CAPUT I.

Apostolice instructi traditiones, quas accepimus, servamus, omnia scilicet suscipientes, quæ sancta catholica ecclesia scripto, & consuetudine admisit. Quorum de numero, cum & venerandarum imaginum essent figurationes, de his peculiariter egimus, &c. verbum Domini nihil (*hæretici*) fecerunt, ecclesiasticas traditiones cessaverunt, quam ob causam in nihilum redegit eos Deus. *Nican. II. act. VII. in fine in epist. ad clericos CP. ante canones in med.*

CAPUT II.

Quis nesciat, aut non advertat id, quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur ab omnibus debere servari? nec super induci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplam? &c. Sæpe dilectionem tuam ad urbem venisse, ac nobiscum in ecclesia convenisse, & quem morem, vel in consecrandis mysteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat, cognovisse dubium non est. Quod sufficere arbitræmur ad informationem ecclesiæ tuæ, vel reformationem, si prædecessores tui minus aliquid, aut aliter tenuerint, & satis certum haberemus, nisi de aliquibus consulendos

1. Cor. 15. d.

Dist. 11. c. ult.

dos nos esse duxisses, quibus idcirco responde-
mus, non quod te aliqua ignorare credamus, sed
ut majori auctoritate tuos instituas, vel si qui a
Romanæ ecclesiæ institutionib. errant, aut com-
moneas, aut nobis indicare non differas, ut scire
valeamus, qui sint, qui aut novitates inducunt,
aut alterius ecclesiæ, quam Romanæ, existimant
consuetudinem esse servandam. *Innoc. epist. 1.
in princ. Burch. lib. 3. cap. 125. Anselm. lib.
1. cap. 41. Ivo part. 4. cap. 67. decret.*

CAPUT III.

*Dist. 11. c. 8.
vias d. 11. 6.
6. Consuetu-
dinem.
* inviola-
tam, al.*

Nos consuetudinem, quæ tamen contra fidem
catholicam nihil usurpare dignoscitur, immo-
tam* permanere concedimus, sive de primati-
bus constituendis, sive de cæteris capitulis, ex-
ceptis iis, qui ex Donatistis ad Episcopatum per-
veniunt, quos provehi ad Primatus dignitatem,
&c. modis omnibus prohibemus. *Gregor. lib. 1.
epist. 75. Episcopis Numidiæ. Burch. lib. 3. cap.
124. Ivo lib. 2. tit. 12. cap. 21. panorm. 6. part.
4. cap. 66. 204. decret. Casar. lib. 1. cap. 15.*

CAPUT IV.

Dist. 12. c. 9.

Quemadmodum illicita perpetrari non pa-
timur, sic quæ sunt consuetudinis non negamus.
Greg. lib. 7. ep. 81. Maximo Salonitano Episc.

CAPUT V.

*Dist. 12. c.
10.
* Gallia-
num, al.*

Novit fraternitas tua Romanæ ecclesiæ con-
suetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed
mihi placet, ut sive in Romana, sive in Gallica-
na*, sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti,
quod plus omnipotenti Deo possit placere, sol-
licite eligas, & in Angelorum ecclesia, quæ ad-
huc in fide nova est, institutione præcipua, quæ
de multis ecclesiis colligere potuisti, infundas.
Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca
amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque eccle-
siis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige,
& hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglo-
rum mentes in consuetudinem deponere. *Greg. ad
Augustinum Anglor. Episcop. respons. 3. Ivo
part. 2. cap. 80. decret. Tarrac. lib. 6. cap. 152.*

CAPUT VI.

*Dist. 41. c. 5.
Parsoniã.*

Omnia, quæ a divinis scripturis, & Aposto-
licis traditionibus tradita sunt, in ecclesia fieri
optamus. *Gangr. in fin. Ivo part. 8. c. 321. decr.*

CAPUT VII.

Dogmatum, & prædicationum, quæ in ec-
clesia custodita sunt, hæc quidem ex scriptis
mandata doctrina habemus, illa vero ex traditio-
ne Apostolorum nobis tradita in mysterio susce-
pimus, quæ utraque habent easdem vires ad pie-
tatem. His autem nemo contradicet, qui rituum
ecclesiasticorum, vel minimam experientiam ha-
buerit. Si enim non scriptas consuetudines, tam-
quam non magnam potestatem habentes recusa-
re voluerimus in rebus principalibus, ipsum
Evangelium imprudentes damno afficiemus, vel
potius id, quod prædicandum est, ad solum no-
men redigemus. Nam ut ejus, quod primum est,
& maxime commune, primum mentionem fa-
ciam. Figura crucis eos, qui in nomine Domini
nostri speraverint, signari, quis per litteras do-
cui? Ad orientem verti inter orandum quæ nos
scriptura docuit? Verba ecclesiæ, quæ dicuntur

in ostensione panis Eucharistiæ, & calicis benedi-
ctionis, quis ex sanctis nobis scriptum reliquit?
non enim iis utique contenti sumus, quorum A-
postolus, vel evangelium meminit, sed & præfa-
mur, & alia subjungimus, ut quæ magnam vim
habeant ad mysterium, ex non scripta doctrina id
accipientes, aquam baptismatis benedicimus, &
oleum unctionis, & eum etiam, qui baptizatur,
ex quibusnam scripturis? Nonne ex tacita, &
mystica traditione? Quid vero ipsum olei usum,
quænam scriptis mandata oratio docuit? Ut ter
autem immergatur homo, unde? Quin & alia quo-
que, quæ circa baptismum fiunt, renuntiare Sata-
næ, & Angelis ejus, ex quanam sunt scriptura?
non autem ex hac non publicata, & arcana do-
ctrina, quam in minime curioso, & nequaquam
plusquam oportet in vestigante silentio patres cu-
stodierunt, recte illi edocti, quæ sunt in myste-
riis præclara, ac veneranda silentio servare? Quæ
enim ne suspicari quidem licet iis, qui non sunt
mysteriis initiati, quomodo consentaneum est
eorum doctrinam in scripturis triumphare? &c.
Hæc est eorum, quæ non scripta sunt, traditio-
nis ratio, ut non sæpius agitata dogmatum co-
gnitio multis utilis, & contemnenda reddatur
propter consuetudinem. Aliud est enim dogma,
& aliud prædicatio. Dogmata enim tacentur,
prædicationes publicantur. Est autem silentii spe-
cies obscuritas, qua utitur scriptura, quæ reddat
dogmatum sententiam contemplatu difficilem
ad eorum utilitatem, qui in ea incidunt, &c. De-
inde cum tot sint, quæ scripta non sunt, & tan-
tam vim habeant ad peccatis mysterium unam
nobis dictionem, quæ ad nos venit ex patribus,
non concedent, quam nos ex non quærita, & af-
fectata consuetudine in non perversis ecclesiis
mansisse invenimus, quæ non parvam habet ra-
tionem, nec parvam affert utilitatem ad myste-
rii potentiam. *Basil. de Spiritu sancto ad Am-
philoch. cap. 27.*

CAPUT VIII.

Jam vero ad hoc, quod testibus careat ea,
quæ est cum spiritu conglorificatio, illud dici-
mus, quod si nihil aliud est, quod non sit scri-
ptum, nec hoc admittatur; si autem plurima
mystica sine scriptis in Republica Christiana ver-
santur, cum multis aliis hoc quoque suscipiamus.
Apostolicum autem esse existimo, in non
scriptis quoque traditionibus permanere: *Laudo
enim, inquit, vos, quod omnia mea meministis,
& quemadmodum tradidi vobis traditiones te-
neris. Et illud: servate traditiones, quas accepi-
stis, sive per sermonem, sive per epistolas. Qua-
rum quidem maxime una est, & hæc prærens,
quam qui ab initio constituerunt posteris traden-
tes, usu semper una cum tempore procedente per
longam consuetudinem in ecclesiis actis radicibus
firmam, stabilemque fecerunt. Numquid ergo si
veluti in iudicio inopia probationis, quæ fit per
scripta laborantes, testium multitudinem addu-
xerimus, an non a vobis editam sententiam asse-
quemur? Ego quidem sic existimo: *In ore duo-
rum, vel trium stabit omne verbum.* Sin autem,
& longum tempus pro nobis facere aperte vobis
osten-*

2. Thess. c. 2.

Deut. 17. 6.

osten-

ostenderit, an non vobis videbimur dicere, probabiliter non esse hanc concedendam adversus nos actionem? Sunt enim quodammodo veneranda antiqua dogmata, quæ tamquam in quadam cæcitate, in antiquitate habent venerationem. *Basil. de Spiritu sancto cap. 29. ad Amphilocho.*

CAPUT IX.

Qui doctrinas Sanctorum patrum, & traditionem catholicæ ecclesiæ contemnunt, &c. execratio. *Basil. Ancyra. Episcopus in confessione fidei anathematismo 7. apud synod. Nicæn. II. c. 1.*

CAPUT X.

Ego inquisibili ratione doctrinam sanctorum Apostolorum secundum traditionem sanctorum patrum tenens similiter honorem consubstantiali, & per omnia sanctæ Trinitati offero, &c. *Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & a patrum traditione nullatenus deviare. Joannes CP. Episcopus in libello fidei ad Hormisdam an. 485. med. & Hormisdæ episc. 5. ad Episcopos Hispania. Vid. libellum quem detulerunt legati Romani in synod. VIII. CP. sub Hadrian. II. act. 1. Euseb. ep. 3. ante med. libellum Eulalii Episc. Certbag. ad Bonif. II. relatum in episc. 1. Bonif.*

LIBER OCTAVUS.

De Paschate, & diebus Fests.

TITULUS I.

PASCHA CELEBRETUR EODEM DIE AB OMNIBUS.

CAPUT I.

Sanctæ memoriæ Theophilus Alexandrinæ ecclesiæ urbis Episcopus, cum hujus observationis annos centum numero collegisset xxxvi. paschale festum longe aliter, quam alii decreverant, tenendum esse constituit, a primo augustæ memoriæ Theodosii junioris consulatu succedentes sibi sacræ observantiæ ordines ponens ut longioris temporis ratio ejus litteris tenetur ascripta, &c. in anno qui erit lxxvi. paschæ dies invenitur ascriptus, quem a passione Domini nullius exempli, nullius constitutionis admittit auctoritas, nam diem viii. Kalendarum Majorum ab eo cognoscimus præfinitum, qui anni limitem antiquitus constitutum excedit, cum alii xv. Kalendarum Majorum huic festivitati deputaverint diem, &c. Quia ergo non leviter delinquitur, si in principio sacramenti veritas, & unitas ab universali ecclesia non tenetur, obsecro clementiam vestram, ut studium vestrum præstare dignemini, quatenus Ægyptii, vel si qui sunt alii, qui certam hujus supputationis videntur habere notitiam, scrupulum hujus sollicitudinis (*de die Paschæ*) absolvant, ut eum diem generalis observantia dirigat, qui nec patrum constitutionum normam relinquat, nec ultra præfixos terminos evagetur. *Leo episc. 62. ad Mauris. August. V. episc. 63. ad Eudoxiam. Aug. de eadem re.*

CAPUT II.

De præsentis anni Pascha nulla dubitatio esse nobis potuit, sed de futuro, quod Theophilus Alexandrinæ urbis Episcopus viii. Kal. Majorum die, quod numquam ita a tempore Dominicæ resurrectionis est, creditur ascribendum. Unde sollicitius congruit hoc requiri, ut omnis occasio tollatur erroris, &c. Ac ne vel apud nos, vel apud Orientales nascatur, ex hac parte diversitas, hoc instantius nostro nomine cum Christianissimo Principe agere tua dignetur dilectio, quamvis & ipse clementissimus Princeps se inquisitio-

ne sollicitissima, eorum hanc Ægyptiis delegasse, suis epistolis dignatus sit indicare. *Leo ep. 66. in medio ad Julian. Episc. vide ep. 93.*

CAPUT III.

Petitionem de festivitate paschali gaudeo ita a vestra pietate susceptam, ut confestim Nectarium agentem in rebus Alexandriam mitteret, &c. De qua re, quidquid ad pietatis vestræ notitiam perlatum fuerit, jubete me nosse, ut de observantia, quam non licet esse diversam, quid potissimum sit tenendum, ecclesia universalis agnoscat. *Leo episc. 68. ad Martianum Imperat. in fin.*

CAPUT IV.

Cum in omnibus divinatorum præceptorum regulis exequendis sacerdotalem observantiam oporteat esse concordem, maxime nobis principaliter providendum est, ne in paschalis festi die, vel ignorantia, vel præsumptio peccatum diversitatis incurrat, &c. Cum igitur in quibusdam ascriptionibus patrum, futurum proxime pascha Domini ab aliis in diem xv. K. Maii, ab aliis in diem viii. invenitur ascriptum, &c. Noverit fraternitas vestra, die viii. Kalend. Majorum ab omnibus resurrectionem Dominicam celebrandam, & hoc ipsum per vos aliis esse fratribus intimandum, ut divinæ pacis consortio, sicut una fide jungimur, ita una solemnitate feriemur. *Leo episc. 93. ad Episcopos Galliarum, & Hispaniarum.*

CAPUT V.

Paschæ Domini una die, & tempore per omnem orbem observetur, & juxta consuetudinem litteras ad omnes tu (Silvester) dirigas. *Arrelat. cap. 1. Silvestro Rom. Pontif. Ivo part. 4. cap. 19. decr.*

CAPUT VI.

Paschæ solemnitas uno die, & tempore celebranda. *Carth. IV. c. 65.*

CAPUT VII.

Placuit, ut sanctum pascha ab omnibus sacerdotibus uno tempore celebretur. *Avel. IV. c. 1.*

CAPUT VIII.

Paschale festum uno die celebramus, & tempo-

De conf. d. 2. c. 26. De observatione.

De conf. d. 3. cap. 23.

pore, ne in Judaicum decidamus errorem. *Tolet. X. cap. 1.*

CAPUT IX.

Evangelizamus vobis de consonantia sanctissimæ paschæ, quia vestris orationibus est correctum etiam hoc opus, ita ut omnes orientales fratres, qui cum Judæis primitus celebrabant, consone cum Romanis, & vobiscum cum omnibus ab initio pascha custodientibus ex hoc tempore debeant custodire. *Epistola Concil. Nicæn. ad eccles. Alexandr. in Tripart. lib. 2. c. 12. & apud Theodoret. lib. 1. c. 9.*

CAPUT X.

Cum de sanctissimo festo diei paschatis discerneretur, communi omnium sententia rectum esse videbatur, ut omnes ubique Christiani uno, eodemque die illud celebrarent. Quid enim præstabilius, quidve augustius esse poterat, quam ut hoc festum, per quod ipem immortalitatis haberemus, uno modo, & ratione apud omnes continenter observaretur, &c. Illud etiam facile potest intelligi, maximum nefas esse, ut in tanto, & tam solemni religionis nostræ festo regnet dissentio. Unum enim libertatis nostræ diem festum hoc est sanctissimæ passionis Salvator noster nobis tradidit, unamque suam ecclesiam catholicam esse voluit, cujus quidem membra tametsi in multa, & varia loca dispersa sint, tamen uno spiritu, hoc est divina voluntate, & nutu coalescunt. Vestræ igitur sanctitatis prudentia accurate secum consideret, quam grave, immo vero quam indecorum sit, ut eisdem diebus alii jejuniis vacent, alii agitent convivium, ac post dies paschatis aliis in festis, & animorum remissione versentur, alii præscriptis jejuniis se dent. Quapropter istud rectius instituendum est, & ad unam formam, ac modum redigendum; hoc enim, sicut omnes satis animadvertere existimo, divina providentia vult, & quoniam istud sic via, & ratione gerendum erat, ut nihil nobis cum consuetudine parricidarum, & illorum qui necis Domini auctores extiterunt, esset commune, & modus ille eximius, decorusque servandus esset, quem omnes ecclesiæ totius orbis partes, vel versus occidentem, vel versus meridiem, vel versus septentrionem incolentes servant, ac nonnullæ etiam, quæ in locis ad orientem spectantibus habitant, idcirco omnes in præsentia hoc recte se habere arbitrati sunt, &c. illud sedulo reputantibus, sanctissimum institutum esse, ut omnes communi consilio id ratum cupiant, quod accurata, & recta ratio postulare videtur, quodque nihil cum Judæorum perjurio habet commercii. Verum ut summam rei breviter complectar, visum est communi omnium judicio sacratissimum Paschatis festum uno, eodemque die celebrandum esse, &c. *Constantin. Imp. in ep. ad ecclesias de conc. Nicæn. post med.*

TITULUS II.

PASCHA CELEBRETUR DIE DOMINICO.

CAPUT I.

Omnibus Episcopis, & presbyteris præceptum est, paschæ observantiam custodire a luna XIV. usque ad XXI. ita ut dominicus dies coruscet.

Silvest. in synod. Roman. CCLXXV. Episcoporum cap. 2.

CAPUT II.

Pascha Domini die dominica annuis solennitatibus est celebrandum, istis ergo temporibus Hermes doctor fidei, & scripturarum effulsit inter nos, & licet nos idem pascha prædicta die celebremus, quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas animas eorum eidem Hermæ Angelus domini in habitu pastoris apparuit, & præcepit ei, ut pascha die dominico ab omnibus celebraretur. Unde & vos Apostolica auctoritate instruimus omnes eadem servare debere, quia & nos eadem servamus, nec debetis a capite quoquomodo dissidere. *Pius epist. 1. in princ. Ivo part. 4. c. 3. decret.*

CAPUT III.

Celebritatem sancti paschæ die dominica agere debere, prædecessores nostri jam statuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari solemniter mandamus, quia non decet, ut membra a capite discrepent, nec contraria gerant. A quarta decima vero luna primi mensis usque ad vicesimum primum ejusdem mensis diem, eadem celebretur festivitas. Eodem vero tempore baptismus celebrandus est catholicus. *Victor ep. 1. in princ. Ivo part. 4. decr. Anf. lib. 6. c. 60.*

CAPUT IV.

Sanctum diem paschæ in communi omnes servemus dominica post XIV. lunam primi mensis. *Anglic. c. 1. ex Bedæ hist. Eccles. lib. 4. c. 5.*

CAPUT V.

Pius frater Pastoris, &c. sub hujus Episcopatu frater ipsius Hermes librum scripsit, qui dicitur *Pastoris*, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu pastoris, ut sanctum pascha die dominica celebraretur. *Damas. in Pii. Ivo part. 4. c. 145. decr.*

CAPUT VI.

Victor constituit, ut sanctum pascha die dominico celebraretur, sicut Pius &c. Et fecit concilium, & collatione facta cum presbyteris, ac diaconibus, accersitoque Theophilo Alexandria Episcopo constituit, ut a decimatertia luna primi mensis, usque ad XXI. die dominica custodiatur sanctum pascha. *Damas. in Vict.*

TITULUS III.

DE MODO, QUEM TENEBANT ANTIQUI IN DIVULGANDO PASCHATE.

CAPUT I.

Paschale festum, quo sacramentum salutis humanæ maxime continetur, quamvis in primo semper mense celebrandum sit, ita tamen est lunaris cursus conditione mutabile, ut plerumque sacratissimi diei ambigua currat electio, & ex hoc fiat plerumque, quod non licet, ut non simul omnis ecclesia, quod non nisi unum esse oportet, observet. Studuereque sancti patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes, quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam, qui annis singulis dies prædictæ solennitatis

* sincere in violatæque, al.

* in multis variisque locis congregantur. foveantur.

* dedant.

* normant.

* quem nonnulli, qui ad orientem habitant, non admittunt.

* habere.

De cons. d. 3. Nolle, c. 21.

* Hermoti.

De cons. dist. 3. cap. 22.

* Eleutherius.

* XIV.

tatis eveniret, sedi Apostolica indicaretur, ut huius scripti ad longinquiores ecclesias iudicium generaliter percurreret. *Leo epist. 62. in princ. ad Marrian. Aug. vide ep. 62. ad Eudoxiam Aug. O epist. 66. ad Julian. Episc.*

CAPUT II.

Tempore synodi dies paschatis divulgatur. *Carth. cap. 34. G. Carth. III. cap. 41. L. Afric. cap. 1. L.*

CAPUT III.

Ut ab ecclesia Carthaginensi nuntietur dies paschatis. In synodo singulis annis celebrando nuntiabitur. *Carth. c. 52. G. Afric. c. 18. L. Carth. III. c. 1. O 41. L.*

CAPUT IV.

De conf. d. 3. c. Placuit, 24. Dies paschatis subscriptione formatarum omnibus insinuetur. *Carth. c. 74. G. Afric. cap. 40. L. Carth. V. c. 7. L.*

CAPUT V.

Omnes Africanæ provinciæ Episcopi observationem paschalem ab ecclesia Carthaginensi curent accipere. *Carth. III. c. 1.*

CAPUT VI.

Placuit, ut sanctum pascha, secundum Laterculum Victoris ab omnibus sacerdotibus uno tempore celebretur, quæ festivitas annis singulis ab Episcopo epiphaniarum die in ecclesiis denunciatur. De qua solemnitate quotiens aliquid dubitatur, inquisita, vel agnita per Metropolitanos a sede Apostolica sacra constitutio teneatur. *Aurel. IV. c. 1.*

CAPUT VII.

De conf. d. 3. c. 25. Placuit. Postquam omnia in concilio sacerdotum fuerint ordinata, super venturum ipsius anni pascha, quota Kalend. die, vel quota luna debeat suscipi, a Metropolitano Episcopo nunciatur, quod cæteri Episcopi, vel clericus reliquus breviculo subnotantes, unusquisque in sua ecclesia adveniente natalis Domini die, astante populo post lectionem evangelicam nunciet, ut introitum Quadragesimæ nullus ignoret. In cuius principio convenientes in unum vicinæ ecclesiæ per triduum cum psalmis per sanctorum basilicas ambulantes celebrent litanias. *Brac. II. c. 9.*

CAPUT VIII.

Omnes presbyteri ante Epiphaniam missos suos dirigant, qui eis de principio Quadragesimæ nuncient, & in ipsa Epiphania ad populum iadcent. *Antisiod. c. 2.*

CAPUT IX.

Solet in Hispaniis de solemnitate paschali varietas existere prædicationis, diversa enim observantiæ laterculorum paschalis festivitatis, interdum errorem parturit. Proinde placuit, ut ante tres menses epiphaniarum Metropolitanus sacerdotes litteris se invicem inquirant, ut communitate edocti, diem resurrectionis Christi, & comprovincialibus suis insinuent, & uno tempore celebrandum annuncient. *Tol. IV. c. 4.*

CAPUT X.

Placuit omnibus nobis, ut deinceps cuncti confinitimi Episcopi, nullâ sibi occasionem obii-cientes, aut longinquitate itineris præcavescentes, annua recursione de festivitate paschali, tempore *Tom. VI.*

congruo Primatem suum, sub cuius potestatis manserint regimine, inquirant: ut quo die, & tempore, illis paschæ festum pronuaciaverit, sollicita veneratione peragant. *Casaraugust. III. cap. 2.*

TITULUS IV.

DIVERSI DIES, IN QUIBUS IN-CIDIT PASCHA.

CAPUT I.

Arbitror damnari Victorinum Pictaviensis regionis Antistitem, qui in sua ferocitate quidquid vellet affirmabat hominibus, & cyclos paschæ pronuaciabit fallaces, ut & hoc, quod constituit x. Kal. Maii * custodiri, vestro sermone cassetur, & vestro iudicio condemnetur, &c. & omnes damnarunt Victorinum Episcopum, qui ignorans lunæ rationem, sub arbitrii sui tenacitate disrumpebat veritatem, & Silvester dedit (ei) anathema, & damnavit extra urbes suas. *Silvester in synod. Roman. CCLXXXIV. Episc. c. 2.*

* April. 21.

CAPUT II.

Has litteras de ratione paschali futuri anni præscripsi. Nam cum ante diem xi. Kalend. Aprilis pene luna xvi. colligatur, nam quippiam minus est, itemque cum in ante diem iv. Kalend. earumdem veniat xxii. existimavi xi. Kal. memoratarum die festa paschalia celebranda: quoniam xiii. luna nullum pascha unquam ante hoc pascha factum esse cognovimus, &c. Prudentiæ tuæ erit, cum unanimis, & consacerdotibus nostris hanc ipsam rem in synodo religiosissima tractare, &c. *Innoc. ep. 11.*

CAPUT III.

Ab xi. Kalend. Aprilium usque in x. * Kalend. * XI. Majar. legitimum spatium est præfinitum, intra quod omnium varietatum necessitas concludatur, ut pascha Dominicam nec prius possumus habere, nec tardius, quod enim in x. & in ix. Kalendar. Majar. videtur nonnunquam pervenisse festivitas, quadam ratione defenditur, quia & si dies resurrectionis ultra terminum videtur exisse, dies tamen passionis limitem positum non invenitur egressus. Ad octavum autem Kalendar. Maj. paschalem observantiam perducere, aperta transgressio est. *Leo ad Maurit. Aug. epist. 62. V. ep. seq. ad Eudox. * Aug.*

* Eudoch.

CAPUT IV.

Pascha futurum nos si Deus voluerit xi. * Ka- * X. al. lendar. Majar. die celebraturos esse cognoscite. *Vigil. epist. 1. cap. 5.*

CAPUT V.

Quædam vilissima possessio *Melinas* appellatur, in montibus arduis, ac silvis densissimis constituta, illicque per parva, atque vili opere constructa est ecclesia. In cuius baptisterio nocte sacrosancta paschali baptizandi hora, cum nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex se repletur, paucisque, qui fuerint, consecratis, cum deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex se descendit. Tunc ergo cum error (de die paschatis) ortus fuisset consuetis lectionibus nocte sacra discussis, cum presbyter secundum morem baptizandi, horam requireret, usque

Z

usque

usque ad lucem aqua non veniente, non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Ut ergo breviter narrem, illa nocte, quæ lucebat in diem Dominicam x. die Kal. Maii, fons sacer hora competentis repletus est, &c. *Paschasin. Episc. in epist. ad Leon. Pap.*

CAPUT VI.

Instantis dominicæ passionis numerum, qui vestris continetur litteris, ex repositis apud nos diei paschalis annalibus recte habere significamus, & antè quidem scientes, & nunc scrupulosius requirentes sine dubitatione mundi festivitatem incolumes nos celebrare XIII. Kal. Major. die optamus, qui est proprie nonus decimus dies futuri mensis Aprilis. *Joann. Episc. CP. ad Hormisd. Pap.*

CAPUT VII.

De Paschali die vestra beatitudo cognoscat concordare orientalium cum Apostolica sede sententiam, ut XIII. Kalend. Major. die festivitas celebranda speretur, sicut Joannis quoque CP. Antistitis relatione clarebit. *Germanus Episc. Fel. & Dioscor. diaconus, Blandus presb. in suggestione ad Hormisd. Pap.*

TITULUS V.

NE QUISQUAM PASCHA CELEBRET CUM JUDÆIS, NEQUE ALIAS FERIAS AGAT, AUT ILLORUM, AUT GENTILIUM.

CAPUT I.

^{26. q. 7. c. 24.} ^{* brumam,} ^{f.} **S**I quis Kal. Januarias, & bromam ^(ritu paganorum) colere præsumperit, &c. anathema sit. *Zach. in syn. Rom. c. 9. Burch. lib. 10. c. 16. Ivo part. 11. c. 43. decret.*

CAPUT II.

Si Episcopus, presbyter, diaconus pascha ante æquinoctium vernum cum Judæis celebraverit, deponatur. *Apost. c. 7. G. 8. L.*

CAPUT III.

Si Episcopus, presbyter, diaconus, clericus jejundet cum Judæis, vel festos dies cum eis celebret, vel suscipiat ab eis xenia eorum festorum, ut azyma, aliudve, deponatur; laicus excommunicetur. *Apost. c. 70.*

CAPUT IV.

De die sabbato non colendo. *Greg. lib. 11. ep. 3. regist. Nicol. ad consult. Bulg. cap. 10. vid. tit. de Christiani diebus festis rebus servilibus operam dent.*

CAPUT V.

Omnes laici, qui audent dissolvere definitionem sanctæ & magnæ synodi Nicenæ, quæ collecta est præsentis pietate Dei amantissimi Constantini de sancto festo salutiferæ paschæ, excommunicati, & ejecti sint ab Ecclesia, si permanserint contentiole impugnantes, quæ recte decreta sunt. Qui vero præsumunt ecclesiæ Episcopus, presbyter, diaconus, si deinceps audeant in subversionem populorum, & seditionem ecclesiarum se separare, & cum Judæis pascha celebrare, hunc sancta synodus alienum judicat ab ecclesia, ut qui non sibi tantum peccati, verum etiam multis causa sit corruptionis, & subversionis, & non solum ipsos deponit hæc synodus a ministerio, sed

& qui audent ipsis communicare post depositionem, depositos vero privat externo honore, quo sanctus canon, & sacerdotium Dei promeruit. *Antioch. c. 1.*

CAPUT VI.

Non oportet Christianos Judaizare, & sabbato vacare, sed dominico die. Judaizantes anathema a Christo sint. *Laodic. c. 29.*

CAPUT VII.

Non oportet a Judæis, vel hæreticis festivas res accipere, aut communicare festis eorum. *Laodic. c. 37.*

CAPUT VIII.

Quod non oportet a Judæis azyma accipere, vel eorum impietatibus communicare. *Laod. cap. 38.*

CAPUT IX.

Non oportet cum gentilibus festa celebrare, & communicare sacrilegæ impietati eorum. *Laod. cap. 39.*

CAPUT X.

Superstitionibus Judaicis, vel feriis inhærentem, a conventu ecclesiæ separandum. *Carth. IV. c. 89. Burch. lib. 10. cap. 7. Ivo lib. 8. tit. 6. cap. 4. panorm. & part. 11. cap. 35. decret. Tarrac. lib. 4. cap. 73.*

26. q. 7. Augustinus. 6. 11.

CAPUT XI.

Ad nos pervenit, quosdam de populis catholicæ fidei, execrabili ritu, die quinta feria, quæ dicitur Jovis, excolere, & operationem non facere, quam rem pro Dei timore execrantes, & blasphemantes, quicumque ab hac die, præter festivitates in eo die venientes, ausus, vel ausa fuerit vacare, & operam non facere, si ingenuus est, aut ingenua, de ecclesia repellendus, & sub poenitentia mittendus anno uno, & eleemosyna, & fletu satisfaciatur, ut eis Dominus ignoscat. Si servus, aut ancilla fuerit, contenta * flagella * ^{centena, f.} correcti domino consignentur, & ultra talia eos observare non permittant. *Narbon. c. 15.*

CAPUT XII.

Non licet iniquas observationes agere diebus ^{26. q. 7. c.} Kalendarum, & ortis vacare gentilibus. *Marr. 13. Brac. c. 74. Raban. c. 24. de poenit. Burch. lib. 10. c. 15. Ivo part. 11. c. 42. decret.*

CAPUT XIII.

Indignum videbatur, ut sanctissimum istud (*Pascha*) festum Judæorum ritum, & consuetudinem imitantes ageremus, qui quidem quoniam suas ipsorum manus * detestabili scelere * ^{immansi.} polluerunt, cæco animorum errore irretiti merito tenentur, &c. Qui post necem Domino illatam, ex mentis statu deturbati, non ratione ulla, sed temerario * animorum impetu, quocumque ^{impotenti.} insita ipsis, & innata insania rapiat, feruntur. Hinc etiam existit, quod nec in hac quidem parte veritatem perspiciant, quippe * cum præ errore longissime evagantes a convenienti emendatione, sed eodem anno alterum pascha celebrent. Proinde quid est, cur istos imitemur, quos gravi erroris morbo laborare constat? eodem namque anno idem festum denuo recolendo renovari non permittimus, &c. *Constantinus Imp. in epist. ad ecclesias de concil. Nicæn. post princ.*

* Qui, ut semper plurimum aberrantes, modo errorem non corrigunt, sed.

TITULUS VI.

DE PERCEPTIONE EUCHARISTIÆ
IN PASCHATE.

CAPUT I.

De pœn. & remiss. c. 12. Gr. IX. eod. tit. in 4. coll. cap. 20.
Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, &c. Suscipiens reverenter ad minus in paschate Eucharistiæ sacramentum. *Innoc. II. in concil. gener. Lateran. cap. 21.*

CAPUT II.

De cons. d. 1. cap. 19.
Sæculares, qui in natali Domini, pascha, & pentecoste, non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. *Agathens. cap. 18. Burch. lib. 5. cap. 23. Ivo part. 2. cap. 33. decret. Casar. lib. 11. cap. 19.*

CAPUT III.

Marc. 16. d.
Comperimus, quod per nonnullas ecclesias in die sextæ feriæ passionis Domini, clausis basilicarum foribus, non celebratur officium, nec passio Domini populis prædicatur, dum idem Salvator noster Apostolis suis præcepit dicens: *Passionem, & mortem, & resurrectionem meam omnibus prædicate.* Ideoque oportet eodem die mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis annuncians voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare*, ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabile festum Dominicæ resurrectionis remissis iniquitatibus suscipere mereamur, corporisque ejus, & sanguinis sacramentum mundi* a peccato sumamus. *Tolet. IV. cap. 6.*

CAPUT IV.

De communione in paschate mentio est. *Tolet. IV. cap. 10. Tolet. VIII. cap. 9.*

CAPUT V.

In die resurrectionis Domini pœnitentia ab omnibus communicandum. *Theodulph. ad presbyteros Aurel. c. 41.*

TITULUS VII.

DE CERO PASCHALI.

CAPUT I.

Precum, quæ super cereum dicuntur, *meminit Greg. lib. 9. regist. epist. 28. Mariniano Episc. Ravenn.*

CAPUT II.

** in parvigiliis Pasche al.*
Lucerna, & cereus infra vigiliis* apud quædam ecclesias non benedicuntur, & cur a nobis benedicantur, inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum hæc solemniter benedicimus, ut sacræ resurrectionis Christi mysterium*, quod tempore hujus noctis votivæ advenit, benedictione sanctificati luminis suscipiamus. *Tolet. IV. c. 8.*

CAPUT III.

Presbyteri oblationes, vel luminaria, &c. tamquam propria sua habeant, & cereus Paschalis ad illuminanda altaria remaneat. *Synod. Bituricen. c. 12. apud concil. Lemov. act. 2.*

CAPUT IV.

Zosimus per parochias concessit licentiam benedicendi cereum paschalem. *Ex Pontific.*

TITULUS VIII.

NE CHRISTIANI, CUM ORANT TEMPORE PASCHALI, ET DIEBUS DOMINICIS SE PROSTERNANT.

Vide Part. II. Lib. VII. Tit. XII.

TITULUS IX.

BAPTISMUS TANTUM IN PASCHATE, ET PENTECOSTE CONFERRATUR.

Vide Part. II. Lib. X. de Baptismo.

TITULUS X.

VIRGINES CONSECRENTUR IN EPIPHANIA, IN ALBIS PASCHALIBUS, ET IN APOSTOLORUM NATALITIIS.

Vide Part. I. Lib. IX. Tit. LXVI.

TITULUS XI.

COMMUNIA DE PASCHATE.

CAPUT I.

Quotiens paschalis, aut ascensionis Domini, vel Pentecostes, & epiphaniæ, sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas singula capitula diebus apra subjungimus, &c. *Vigil. epist. 1. cap. 5.*

CAPUT II.

De igne paschali, quod inquisisti, a sanctis patribus, ex quo per Dei, & Domini nostri Jesu Christi gratiam, & pretioso sanguine ejus ecclesia dedicata est, quinta feria paschæ* dum sacram chrisma consecratur tres lampades magnæ capacitatis ex diversis candelis ecclesiæ oleo collecto, in secretiori ecclesiæ loco, ad figuram interioris tabernaculi insistente, indeficiente cum multa diligentia inspectæ ardebunt, ita ut oleum ipsum sufficere possit usque ad tertium diem, de quibus candelis sabbato sancto pro fontis sacri baptismate sumptus ignis per sacerdotem renovabitur. *Zach. ep. 5. ad Bonifacium Episc. ante med.*

CAPUT III.

Magna dies (vocat. dies paschæ.) *Ancyran. cap. 6.*

CAPUT IV.

Formata in fine habeant die paschæ, nisi obscurem sit, quando erit, tunc enim dies præteritæ paschæ adjungatur, quomodo solet, post consulum in publicis gestis adscribi. *Carth. c. 109. G. Milevit. c. 20. L. Afr. c. 73.*

CAPUT V.

Ne sancta oblatio pro benedictionibus in festo paschatis ad aliam parochiam mittatur. *Laod. cap. 14.*

CAPUT VI.

Presbyteri ante paschæ solemnitatem chrisma petunt. *Carth. IV. c. 36. L. Tolet. 1. c. 28. Vas. c. 3. Vormatien. c. 60. Capitul. lib. 7. cap. 394. Burch. lib. 4. c. 76. Ivo part. 1. cap. 270. decret. lib. 1. tit. 2. cap. 94. panorm. Casar. lib. 4. cap. 111.*

CAPUT VII.

Ante octo dies dominicæ resurrectionis competentibus symbolam prædicatur. *Agath. cap. 13. Burch. lib. 4. cap. 29. Ivo part. 1. cap. 223. decret.*

CAPUT VIII.

De cons. d. 3. cap. 6. Sacerdotibus omnibus est decretum, ut ante paschæ solemnitate, non quinquagesima, sed quadragesima teneatur. *Aurelian. c. 24. al. 26.*

CAPUT IX.

Non licet in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis vigiliam expedire, quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere, nec in natali Domini, nec in reliquis solemnitatibus. *Antifiod. c. 11.*

CAPUT X.

A pascha ad pentecostem in ecclesia liber Apocalypsis Joannis Evangelicæ prædicandus. *Tollet. IV. c. 16.*

CAPUT XI.

Paschatis die sancto militum manu templum profanatum, mulieres in baptismo vulneratæ, sanctissimus Christi sanguis, in militum vestimenta fusus, omniaque facinora passim admittit. Vacuæ fidelibus Ecclesiæ in tanta solemnitate relictæ *lamentatur Joann. Chrysostr. in ep. ad Innoc.*

CAPUT XII.

Est nuper proditum apud Constantinopolim, sacratissimo paschæ venerabilis die, cum omnes pene in eundem locum vicinarum urbium populos religio castigatior, sub præsentia Principum, ritu celebranda collegerat, clausas subito catholicas ecclesias, trufos in custodiam sacerdotes, scilicet ut eo potissimum tempore, quo indulgentia principali tristitia noxiorum claustra referantur, piæ legis, & pacis ministros sævus carcer includeret, &c. *Honorius Aug. ad Arcadium orientis principem post princ.*

TITULUS XII.

DE DIGNITATE DIEI DOMINICI, ET DE REVERENTIA, QUÆ IPSI DEBETUR.

CAPUT I.

De cons. d. 3. Sabbata, c. 13. Diem dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi non solum in pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, &c. Die dominico exhilarati (*Apostoli*) non solum ipsum festivissimum esse voluerunt, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt. *Innoc. ep. 1. cap. 4. Ivo lib. 2. tit. 14. c. 4. panorm. c. part. 4. c. 28. decret. Tarrac. lib. 5. c. 70.*

CAPUT II.

Dist. 75. c. 5. Quod dic. in fin. Tantis divinarum dispositionum mysteriis est (*Dominica dies*) consecrata, ut quidquid est a Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit digestum. In hac mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi, & mors interitum, & vita accepit initium. In hac Apostoli a Domino prædicandi omnibus gentibus evangelii tubam sumunt, & inferendum universo mundo sacramentum regenerationis accipiunt. In hac, sicut beatus Joannes Evangelista testatur, congregatis in unum discipulis, januis clausis, cum ad eos Dominus introisset, insufflavit, & dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, &c.*

In hac denique promissus a Domino Apostolis Spiritus sanctus advenit, ut cælesti quadam regula insinuatum, & traditum noverimus, in illa die celebranda nobis esse mysteria sacerdotium benedictionum, in quo collata sunt omnia dona gratiarum. *Leo epist. 79. cap. 1. ad Dioscor. Alexand. Ivo lib. 3. tit. 2. c. 6. panorm. c. part. 6. c. 70. decret.*

CAPUT III.

Diem Dominicum inchoante noctis initio, id est vespere sabbati, quæ in prima lucefcit sabbati, quando signum insonuerit, vel hora est ad vespertinum celebrandum officium, non propter honorem sabbati ultimi, sed propter sanctam illam noctem primi sabbati, hoc est, dominici diei, cum omni reverentia, & honorifica religione venerari omnibus mandamus Christianis. Abstineri primum omnium ab omni peccato, & ab omni opere carnali, etiam a propriis conjugibus, & ab omni opere terreno, & nihil aliud vacare, nisi ad orationem, concurrere ad ecclesiam cum summa mentis devotione, cessante omni causarum strepitu, cum charitate, & dilectione benedicere Deum Patrem, & laudare totis mædullis cordis unigenitum Dei Filium, qui istam diem per gloriosam suam sanctificavit resurrectionem, & hymnum dicere sancto Spiritui, qui eum benedixit per admirabilem suum adventum, quando in igneis linguis super beatos descendit Apostolos. *Act. 2.*

Sed & omnium pene dona charismatum in eadem sacratissima die creduntur in mundo collata. Nam ipsa die Dominus post resurrectionem in discipulis suis Spiritum sanctum ad remittenda peccata insufflavit. In ipsa in deserto Dominus de quinque panibus quinque hominum millia pavit. In ipsa die manna pluit de cælis primum in eremo, & multa aliæ spiritualium munificentiarum rerum in ipsa die sunt manifestatæ, quas cunctas longum esset per ordinem recenseri. Ipsum est enim sabbatum Domino dedicatum, de quo scriptura dicit *Qui fecerit in eo opus servile*, id est peccati, *morte moriatur*. Porro si de illo sabbato diceret, quod Judæi celebrant, &c. diceret tantum *sabbatum*, & nequaquam adderet *dedicatum, & meum*. Sed quia differentiam voluit facere inter illud, & istud, quod est dominica dies, ideo addit *meum*, ac si diceret *meum, non vestrum, dedicatū*, non in vestris observationibus macularum, & ideo cum omni reverentia est a nobis honorandum atque colendum. *Forojul. c. 13.*

CAPUT IV.

Christianorum religiosæ devotionis, quæ, ut creditur, ex Apostolorum traditione, immo ecclesiæ auctoritate descendit mos inolevit, ut ob memoriam Dominicæ resurrectionis, diem dominicum venerabiliter, atque honorabiliter colat, quoniam eo die Deus lucem mundi condidit, eo die, ut dictū est, Christus a mortuis resurrexit: eo die paraclerum Spiritum sanctum Apostolis misit de cælis, eo die, ut a quibusdam doctoribus traditur, manna pluit de cælo. Hæc, & his similia liquido demonstrant, hunc diem cæteris diebus celebriorem, & venerabiliorem fore, &c. Multi nostrorum visu, multi etiam quorundam re-

Act. 2.

Joann. 20.

Matt. 14.

Exod. 16.

Isac. 58.

Exod. 35.

Gen. 1.

Matt. 28.

Act. 2.

Exod. 16.

relatu didicimus, quosdam in hac die ruralia opera exercentes fulmine interemptos, quosdam artuum contractione mulctatos, quosdam etiam visibili igne, corporibus, ossibusque simul sub momento absumptis, in cineremve subito resolutis, poenaliter occubuisse, & multa alia terribilia indicia extiterunt, & hactenus existunt, quibus declaratur, quod Deus in tanti diei dehonoratione offendatur. Proinde omnibus nobis visum est, ut primum sacerdotes, postea Reges, & principes cunctique fideles summopere procurent, ut tanti diei debita observatio, religiosaque devotio, nunc usque magna ex parte neglecta, ab hinc ob insigni christianitatis devotius exhibeatur, &c. Quapropter specialiter, atque humiliter a sacerdotibus Imperialis celsitudo flagitanda est, ut ejus a Deo ordinata potestas, ob honorem, & reverentiam tanti diei, cunctis metam incutiat, ne in hac sancta & venerabili die mercatus, & placita, & ruralia quaque opera, nec non & quaslibet corrigationes ullius conditionis homines facere praesumant, quoniam dum haec agunt, & decus Christianitatis offuscant, & nomen Christi blasphemantibus locum amplius detrahendi attribuant. Decet igitur, ut eo die Christianus divinis laudibus, non ruralibus vacet operibus. *Paris. sub Ludov. & Lothar. lib. 1. c. 50.*

CAPUT V.

Salubriter admonemus cunctos fideles, ut diei dominico debitum honorem, & reverentiam exhibeant. Quoniam hujus dehonoriatio & a religione Christiana valde abhorret, & suis violatoribus animarum periculum proculdubio generat. *Paris. sub Ludov. & Lothar. lib. 3. c. 5.*

CAPUT VI.

Servetur sane cultus, honor, & reverentia dominici diei, & sanctarum solemnitatum. *Tros. cap. 15.*

CAPUT VII.

Diem dominicum latitiae diem agimus, quod in eo Dominus resurrexerit, in quo nec genua quidem flectere accepimus. *Petrus Archiepisc. Alexandr. & Martyr. in sermon. de poenitent. cap. 15.*

CAPUT VIII.

Mos & honestas a nobis exigit, ut omnem diem dominicum honoremus, eumque celebremus. *Theophil. Episc. Alexandr. in edicto.*

Vide *Mariscon. II. c. 1. tit. XIX. Ne Christiani diebus festis rebus servilibus operam dent c.* Videmus. *Theodulph. ad presb. Aurelian. eod. tit. c. Diei dominici.*

TITULUS XIII.

NE QUISQUAM DIE DOMINICO JEJUNET.

CAPUT I.

De conf. d. 3. cap. 24. JEjunium Dominici diei, & quintae feriae nemo celebrare debet, ut inter jejunium Christianorum, & gentilium, veraciter credentium, atque infidelium, & haeticorum vera, & non falsa discretio habeatur. *Milciad. ep. unic. c. 3. Ivo lib. 2. tit. 14. c. 3. panorm. & part. 4. cap. 27. decr. Tarrac. lib. 5. c. 69.*

CAPUT II.

Contra jejunantes in natali Domini, & die Dominica. *Leo ep. 91. c. 4. ad Turibium Asturic. Episcopum.*

CAPUT III.

Si quis praetextu religionis Dominica die jejunat, anathema sit. *Gangr. c. 18. Burch. lib. 13. c. 19. Ivo part. 4. c. 51. decr.* *Dist. 30. c. 7.*

CAPUT IV.

Qui Dominico die studiose jejunat, non creditur catholicus. *Carthag. IV. cap. 64. Ivo part. 4. cap. 7. decr.* *16. q. 7. Sacerdos, c. 6.*

CAPUT V.

Omnes ecclesiae filii, exceptis diebus Dominicis, in Quadragesima, etiam die sabbato, sacerdotali ordinatione, & distinctionis comminatione jejunent. *Agath. c. 12.* *De conf. d. 3. c. 9. Placuit.*

CAPUT VI.

Ne quis jejunet die Dominica causa temporis aut persuasionis, aut superstitionis. *Caes. c. 2.* *De conf. d. 3. cap. 15. * surreptiones, al.*

CAPUT VII.

Si quis natale Christi secundum carnem non vere honorat, sed honorare simulat, jejunans in eodem die, vel in dominico, quia Christum in hominis vera natura esse non credit, sicut Cerdon, Marcion, Manichaeus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit. *Brach. 1. c. 4.*

CAPUT VIII.

Exhibeamus Domino liberam servitutem, &c. non quia hoc Dominus noster a nobis expetit, ut corporali abstinentia diem Dominicum celebremus, sed quaerit obedientiam. *Mariscon. II. cap. 1.*

CAPUT IX.

Jejunium diebus Dominicis tenere, & canonica interdicit auctoritas, & resurrectionis Dominicae tanta solemnitas. *Aquisgr. II. sub Lud. part. ult. c. 17. vide Gangr. c. 18.*

CAPUT X.

Si quis presbyter, publica poenitentia a sacerdote accepta, aut aliqua necessitate, die Dominica pro quadam religione jejunaverit, sicut Manichaei, anathema sit. *Mart. Brach. c. 57. Burch. lib. 13. c. 20. Ivo part. 4. c. 52. decr.* *Dist. 30. c. ult.*

CAPUT XI.

Et mos & honestas a nobis exigit, ut omnem diem Dominicum honoremus, eumque celebremus, quoniam Christus Dominus noster praclarum in eo suae resurrectionis munus obtulit, &c. Quia ergo accidit, ut sanctorum Theophaniorum hic esset dies, jejunandorum dispensemus, & ad utrumque scientes procedamus, ut paucos dactylos fumentes, simul & haereses vitemus, quae Domini nostri Jesu Christi resurrectionem non honorant, & diei jejunii, quod debetur, reddamus, vespertinam congregationem expectantes, quae hic, Deo dante, peragitur. Congregamur ergo hic ab hora nona. *Theophilus Episcopus Alex. in edicto.*

CAPUT XII.

Milciades constituit, ut nulla ratione die Dominica, aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret, quia eos dies pagani quasi sacrum jejunium celebrabant. *Damas. in Milciad.*

TITULUS XIV.
SÆCULARES DIE DOMINICO, ET ALIIS
FESTIS DIEBUS INTERSINT SACRO.
Vide Part. II. Lib. XII. De Sacrificio Missæ.

TITULUS XV.
VARIA DE DIE DOMINICO.

CAPUT I.

Dist. 51. Qui in aliquo, c. 5. d. 75. s. 1. Ordinationes.
Episopus die Dominica consecrabitur. *Anacl. ep. 2. in princ. Tolet. IV. c. 18. Burch. lib. 1. c. 15. Ivo lib. 3. tit. 2. c. 5. panorm. & part. 5. c. 69. decr. Ans. lib. 6. c. 47.*

CAPUT II.

Diebus Dominicis in carceribus existentes visitentur. *Aurel. V. c. 20.*

CAPUT III.

Omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis, quam vini. *Mariseon. II. c. 4. Burch. lib. 5. c. 24. Ivo part. 2. c. 34. decr.*

CAPUT IV.

In Missa Dominicorum dierum, & solemnitatibus martyrum hymnus trium puerorum cantetur. *Tolet. IV. c. 13.*

CAPUT V.

Omni die Dominico, & diebus festis panis distribuatur. *Nanner. c. 9. Burch. lib. 5. c. 25. Ivo part. 2. c. 37. decr. Ans. lib. 7. c. ult.*

CAPUT VI.

Si tanta multitudo fuerit ordinandorum, ut sabbato non possit omnes Episcopus consecrare, in crastina Dominica usque ad horam sextam a mane, qui superfuert, debent ordinari; alias autem nullo modo, nisi causa grandis necessitatis, de diaconatu tantum, vel presbyteratu oportet ordines agi, & hoc in nulla festiuitate, nisi Dominica Die, quam tamen jejuniū generale in sabbato præcederit, nam & ipse Episcopus ordinari non potest, nisi in Dominica die circa horam diei tertiam. *Lemorvic. act. 2. in fin.*

CAPUT VII.

Symmachus constituit, ut omni die Dominico, vel natalitiis martyrum, hymnus angelicus, id est *Gloria in excelsis Deo* diceretur. *Ex Pontif.*

TITULUS XVI.

DE VARIIS SOLEMNITATIBUS.

Vide Part. II. Lib. IV. tit. VI.

CAPUT I.

De conf. d. 1. c. 47. Nocte.
DE nocte sancta Natiuitatis Domini. *Telephor. epist. 1. in princ.*

CAPUT II.

De Annuntiatione B. Virginis Mariæ ab Angelo, Christi que Conceptione, Natiuitates Circumcisione, oblatione in templo, Epiphania, fuga in Ægyptum, & ab eo reditu, Baptismo in Jordane meminit *Leo epist. 4. c. 2.*

CAPUT III.

Si illa, quæ post beati Joannis lavacrum a Domino gesta cognovimus, sub indiscreto honore colamus, omnia tempora continuatis erunt deputanda festis, quia omnia sunt plena miraculis, &c. *Leo ibid.*

CAPUT IV.

Solemnitates dedicationum ecclesiarum, & sacerdotū per singulos annos solemniter sunt celebrandæ, ipso Domino exempla dante, qui ad festum dedicationis templi, omnibus in faciendo dans formam, cum reliquis populis eandem festiuitatem celebraturus venit. *Felix IV. epist. 1. c. 1. in fin. Burch. lib. 4. c. 58. Ivo lib. 2. tit. 2. c. 2. panorm. Anselm. lib. 5. c. 24.*

CAPUT V.

Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Natalis, Apparitionis Domini, Trinitatis, Crucis, & Apostolorum solemnitatum meminit *Pelagius junior epist. 4. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ. Burch. lib. 3. c. 69. Ivo lib. 1. tit. 4. c. 35. panorm. & part. 2. c. 77. decret. Anselm. lib. 7. c. 111. Tarrac. lib. 5. c. 3.*

CAPUT VI.

In quorum Apostolorum, vel Martyrum, sive Confessorum, atque Virginum diebus festis a labore terreno recedere debeatis, inquiritis. In solemnitatibus utique beatæ Mariæ Virginis, & sanctorum duodecim Apostolorum, ac Evangelistarum, atque Præcursoris Domini Joannis, & sancti Stephani primi martyris, nec non & in eorum sanctorum natalitiis, quorum apud vos, Deo favente, memoria celebris, & dies festiuis habebitur. *Nicol. ad consult. Bulgar. c. 11.*

CAPUT VII.

De festo S. Matthiæ. *Alexand. III. Carnot. Episc. lib. 14. regist. post concil. Lateran. part. 50. c. 22.*

CAPUT VIII.

De festiuitate B. Bartholomæi Apostoli, de cujus celebratione dubietas oritur apud quosdam, tibi petenti consilium respondemus, quod in hoc tuæ regionis consuetudinem serues. *Innoc. III. ad Episc. Brach.*

CAPUT IX.

Cuncti diem Pentecostes post Pascha celebremus, &c. qui non fecerit, quasi novam hæresim induxisse notetur. *Elib. c. 43.*

CAPUT X.

Expleta solemnitate Pentecostes in sequenti septimana a quinta feria in sabbatum, per hoc triduum abstinentia celebrentur. *Gerund. cap. 2. de Paschate, & Pentecoste ad Baptismum c. 4.*

CAPUT XI.

De Paschate, Quinquagesima, Rogationibus, Natali Domini, Epiphania, & festiuitatibus in mense Augusti, & inter Natalem, & Epiphaniam, & de Rogationibus in Kal. Jan. & missa Circumcisionis. *Turon. II. cap. 18.*

CAPUT XII.

De cathedra S. Petri. *Turon. II. cap. 23.*

CAPUT XIII.

De feriis S. Martini, & Natalis Domini. *Mariseon. cap. 9.*

CAPUT XIV.

Ad nos pervenit, quosdam de populis catholice fidei, execrabili ritu die quinta feria, quod dicitur Jovis, multos excolere, & operationem non facere, &c. Quicumque ab hac die, præter festiuitates in eo die venientes, ausus, vel ausa fue-

De conf. d. 1. cap. 15. Joann. 20.

De conf. d. 1. c. Invenimus, 70.

fuerit vacare, & operam non facere, si ingenuus est, aut ingenua, de ecclesia repellantur, &c. *Narbon. c. 15.*

CAPUT XV.

Paschale festum uno die celebremus, & tempore, ne in Judaicum decidamus errorem: Adventum sancti Spiritus post resurrectionem Domini, nisi expectemus, tempore definito dierum numerum, non possumus impleri ejusdem Spiritus dono. Quoniam si caret plenitudinis numero, carere potest & mysterii sacramento. Nativitatis Dominicæ sacræ, quo evidenter de utero virginali Verbum prodiit caro factum, servat & temporis cursum, & repræsentat speciale diei monumentum, &c. Cur non festivitas gloriosæ matris ejus eadem observantia, uno simul ubique die, similique habetur honore. Invenitur in multis Hispaniæ partibus, hujus sanctæ Virginis festum non in uno die per omnes annorum circulos agi, &c. Quoniam dies, qua invenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & nuntiasset verbis, & indidisse miraculis, eadem festivitas non potest celebrari condigne. Quod interdum Quadragesima, vel Paschale festum videatur incumbere, in quibus nihil de sanctorum solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari, &c. neque post resurrectionem, &c. Sancitur, ut ante octavam diem, quo natus est Dominus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus: ut sicut Nativitatem filii sequentium dierum insequitur dignitas, ita festivitatem Matris tot dierum sequatur sacra solemnitas: nam quid festum Matris est, nisi incarnatio Verbi? cujus festum ita debet esse solemne, sicut est & ejusdem Nativitatis Verbi, &c. In multis quoque ecclesiis a nobis & spatio remotis, & terris, hic mos agnoscitur retineri. Itaque solemnitas Dominicæ Matris die xv. Kalendar. Januar. omnino celebretur, & Nativitas filii ejus Salvatoris nostri die viii. Kalend. earundem, sicut mos est, solemnis in omnibus habeatur. *Folet. X. cap. 1.*

CAPUT XVI.

De die Annuntiationis. *Trull. c. 52.*

CAPUT XVII.

Principales festivitates & ipsæ sunt veneranter honorandæ, vel custodiendæ, & illa festa, quæ sacerdotes in ecclesia prædicant, modis omnibus sunt custodienda. *Forojul. c. 13.*

CAPUT XVIII.

Festos dies in anno celebrare sancimus, hoc est, diem Dominicam Paschæ cum omni honore, & sobrietate venerari, similiter feriam secundam, tertiam, quartam, &c. *Magunt. c. 26. vide infra tit. XIX. c. Omnes dies dominicas.*

CAPUT XIX.

Per singulas parochias eas festivitates populus observare studeat, quas proprius eorum Episcopus venerari prædicaverit, itaut neque illas negligant, quas sacerdotes colere monuerint, neque inani superstitione eas celebrare præsumant, quæ nequaquam sunt observandæ. *Ticin. c. 17.*

CAPUT XX.

Venerabilis antistes (*Episcopus Berytensis*)

misit ampullas vitreas de sanguine, & aqua, quæ de imagine Domini Salvatoris nostri decurrerunt, &c. efflagrans, ut per annos singulos in mense Novembri, qui apud Hebræos est nonus, apud nos vero mensis undecimus, nono die ipsius mensis, id est, v. idus Novemb. non minori reverentia, quam Natalis Domini, vel Paschalis, ista dies præcipua observatione colatur. *Athan. in serm. de imagine Christi. Beryt. in fin. VII. synod. act. IV. post princ.*

CAPUT XXI.

Dies paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt. *Theodulph. ad presb. Aurel. cap. 41.*

CAPUT XXII.

Zacharias pro Principis Apostolorum natali celebrando a Rege (*Luitprando*) invitatus missarum solemnia celebravit (*Ravennæ*) &c. Regressus autem in urbem Romam cum omnibus, qui secum erant, gratias agentes Deo, denuo natale beatorum Principum Apostolorum Petri, & Pauli celebravit, &c. *Ex Pontif.*

TITULUS XVII.

QUIBUS FESTIS DIEBUS DEBEANT CHRISTIANI AD SUAS ECCLESIAS CONFLUERE.

Vide Part. I. Lib. X. Tit. XIV. & Part. II. Lib. I. Tit. XIV. quibus hæc adde:

CAPUT I.

QUI die solemnî, prætermisso solemnî ecclesiæ conventu, ad spectacula vadit, excommunicetur. *Carthag. IV. cap. 38. Ivo part. 4. c. 8. decret.* *De cons. d. 1. cap. 26.*

CAPUT II.

Presbyteri, diaconi, clerici ita Episcopo suo subiaceant, ut non alibi dies feriatis, nisi in obsequio illius liceat tenere, aut celebrare. Quod si quis per quamcunque contumaciam, aut per cuiuscumque patrocinium hoc facere distulerit, ab officio segregetur. *Marsic. c. 10.*

CAPUT III.

Baptizati Judæi quocumque loco cætero tempore conversentur. Festis tamen præcipuis novi testamenti serie consecratis, ac diebus illis, quos olim sanctione veteris legis sibi met censebant esse solemnes, in civitatibus publicisque conventibus cum summis Dei sacerdotibus celebrare præcipimus, ut eorum conversationem, & fidem & Pontifex approbet, & veritas servet. Hujus vero temerator edicti, prout Episcopus* permiserit, aut flagris, aut abstinentiæ subiacebit. *Tolet. IX. cap. 17.*

CAPUT IV.

Non liceat quemlibet clericum die dominico ab ecclesia absentem esse, sed missarum solemnibus interesse, & jejuniis. *Mart. Bracar. c. 64.*

TITULUS XVIII.

NE CHRISTIANI DIEBUS FESTIS AD LUDOS CONFLUANT, AUT REBUS TURPIBUS OPERAM DENT.

CAPUT I.

Sunt quidam, & maxime mulieres, qui festis, ac sacris diebus, atque sanctorum natalitiis, non pro eorum, quibus debent, delectantur deside-

Hoc ideo præcipitur ne forsasse alii Christiani suscipiuntur, eos adhuc colere festos illos dies si abessent.

* atas.

deriis advenire: sed ballando, verba turpia decantando, choros tenendo, ac ducendo, similitudinem paganorum peragendo, advenire procurant. Tales si cum minoribus veniunt ad ecclesiam peccatis, cum majoribus revertuntur: in tali enim facto debet unusquisque sacerdos diligentissime admonere, ut pro sola oratione his diebus ad ecclesiam decurrant, quia ipsi, qui talia agunt, non solum se perdunt, sed etiam alios deprimere attendunt. *Synod. Rom. sub Eugenio II. & Leon. IV. cap. 35.*

CAPUT II.

Sane sciendum est, quoniam idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad ecclesiam ire, psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus, quæ omnia, si quis negligens otio tantum vacare voluerit, & ad cæteras mundi vanitates licitos labores converterit, melius illi fuerat, ipso die, beati Apostoli Pauli præceptis obaudiens, laborare manibus suis, ut haberet unde tribuere necessitatem patientibus. *Nicol. ad consulta Bulgarorum c. 11.*

CAPUT III.

Cum contra divina præcepta in multis locis convivium ita fiant, ex gentili errore ducta, ut Christiani gentilibus clam jungantur (*perimus*) ut hæc prohibeantur, & ex urbibus, & possessionibus expellantur, maxime cum in natalibus martyrum per urbes, & sacra loca hæc sordes inferantur, quibus diebus, quod dicere turpe est, choreas per agros, & plateas ducunt, & matronarum honos, & aliarum multarum mulierum pudor contumeliis afficitur, ita ut sanctæ fidei cultus periclitetur. *Carthag. cap. 61. G. African. cap. 27. L.*

CAPUT IV.

Ut spectacula theatrorum dominica, & aliis diebus festis Christianorum non fiant, maxime cum in octava paschatis turbæ malunt ad hippodromium, quam ad ecclesiam convenire, neque cogatur Christianus ad spectacula venire. *Carth. c. 62. G. Afric. c. 28. L.*

CAPUT V.

De conf. d. 1. c. 65. Qui die solemnibus, prætermisso solemnibus ecclesiæ conventu, ad spectacula vadit, excommunicatur. *Carth. IV. c. 88. Ivo part. 4. c. 8. decr.*

CAPUT VI.

De conf. d. 3. c. 2. Exterminanda omnino est irreligiosa consuetudo, quam vulgus per sanctorum solemnitates agere consuevit, populi, qui debent officia divina attendere, saltationibus turpibus invigilant, cantica non solum mala canentes, sed & religionum officii perstreperantes. Hoc ut ab omni Hispania depellatur, sacerdotum, & judicum a concilio sancto curæ committitur. *Tolet. III. c. 23. Ivo part. 4. c. 12. decr.*

CAPUT VII.

Ne in festivitatibus martyrum, aut in dedicatione basilicarum turpia cantica chorus femineus cantet. *Cabil. c. 19.*

CAPUT VIII.

A festo resurrectionis Domini ad dominicam novam per totam hebdomadam in ecclesiis vacare oportet fideles incessanter, in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus exultantes in Christo, & sacrarum scripturarum lectioni attendentes, & sacrarum mysteriorum participantes, cum Christo enim surreximus, & elevati sumus. Non igitur his diebus hippodromia, aut alia publica spectacula fiant. *Trull. c. 66.*

CAPUT IX.

Quod ballimathia, & turpia cantica prohibenda sunt a sanctorum solemnibus. *Tolet. III. in fine in edicto Regis, & in titulo c. 23.*

TITULUS XIX.

NE CHRISTIANI DIEBUS FESTIS REBUS SERVILIBUS OPERAM DENT, AUT IN JUDICIIS VERSENTUR.

CAPUT I.

Constat omnes omnino observare, ut die Dominico nullas audeant operationes, mercationesque peragere, præter in cibariis rebus, ita ut libere possint, ac debite in eo die secundum possibilitatem, omnes ad ecclesiam concurrere, & in solo omnipotenti Deo oratione vacare, ut qui christiano vocabulo nuncupantur, convenienter opera peragere videantur. Qui vero rustica opera die Dominico agere præsumperit contra divina præcepta egisse non dubitet, & ad penitentiam redigatur. *Syn. Rom. sub Eugenio II. & Leone IV. c. 30.*

CAPUT II.

Sunt qui Dominico die, in quo commissa facinora debent oratione abstergere, alia delectantur committere. Itaque quod aliis diebus committantur, licentia sit iudici, auctorive, eo die personam suspectam, reatu infamatam, aut optima satisfactione, aut custodiis constituere, ut licitis diebus judicetur. Sed tamen sacerdotibus, si præsto sint, deprecetur, ut ad publicam redigatur penitentiam, ut iudicium mortis non subeat. Nam legibus infirmatur iudicium Dominico die depromptum, & obligationes ejusdem diei, Imperatorum siquidem censura dissolvit. *Syn. Roman. sub Eugen. II. & Leon. IV. c. 31.*

CAPUT III.

Ut nullus Episcopus, vel infra positus die Dominico causas judicare præsumat. *Hadr. ad Episcop. Mediom. c. 60. Burch. lib. 1. c. 102. Ivo part. 5. c. 204. decr. Ans. lib. 3. c. 88. Capitul. lib. 6. cap. 245.*

CAPUT IV.

Aliud ad me perlatum est vobis a perversis hominibus esse prædicatum, ut Dominico die nullus debeat lavari. Et quidem si pro luxuria, & pro voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo qualibet die concedimus; si autem pro necessitate corporis, hoc nec die Dominico prohibemus. *Greg. lib. 11. ep. 3. civibus Romæ. Ivo part. 4. c. 6. decr. & lib. 1. tit. 13. c. 1. pan.*

CAPUT V.

Nosse cupitis, si liceat alicui sabbato, vel dominico laborationem aliquam exercere. De hoc S. Papa Gregorius Rom. alloquens ait: [„Perversi nit

De conf. d. 3. c. 12. in fine.

nit

nit ad me quosdam perversi spiritus homines, prava inter vos aliqua, & sanctæ fidei adversa seminasse, ita ut die sabbato aliquid operari prohiberent, quos quid aliud, nisi Antichristi prædicatores dixerim? qui veniens diem sabbatum, atque dominicum ab omni faciet opere custodiri, quia enim mori se, & resurgere simulat, haberi in veneratione vult dominicum diem, & quia judaizare populum compellit, ut exteriorem ritum legis revocet, & sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult sabbatum &c. Quisquis otium sabbati secundum legis litteram custodit, cui alteri, nisi ipsi veritati contradicit? Dominico vero die a labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, ut quod negligenter per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicæ præcibus expietur. Nicol. ad Consulta Bulgar. c. 10. ex Greg. lib. 11. ep. 3. reg. Ivo lib. 2. tit. 13. cap. 1. panorm. C. par. 4. c. 6. decr. vide Nicol. c. 11. ejusdem ep. tit. XVI. c. In quorum.

CAPUT VI.

Quod interrogatis, utrum liceat in festivitatibus sanctorum iudicium peragi, & utrum eadem die debeat homo, si dignus fuerit, ad mortem iudicari, sciendum, quoniam in his festivitatibus, in quibus superius ab omni opere mundano cessandum esse monstravimus, multo magis a secularibus negotiis, & adhuc a mortibus abstinendum fore decernimus, quoniam quamvis utrumque fortasse sine culpa valeat exerceri, quando tamen his, quæ Dei sunt, arctius homo debet hære, quæ mundi sunt, a se convenit penitus refecare, præcipue cum eo die ad militiam divinam accedens homo, implicari non debeat negotiis secularibus, & ob reverentiam tantæ solemnitatis, non oporteat in medium deferri, nisi unde omnibus gaudium, pax, spiritalis lætitia generetur. Nic. ad Consulta Bulgar. c. 12.

CAPUT VII.

Consultis, si debeatis, quando nuncius venerit, ut ad præliandum pergatur, mox proficisci, an sit aliqua dies, in qua non oporteat ad præliandum exire. In quo respondemus, non est ulla dies, in quibuscumque negotiis incipiendis, vel exercendis, penitus observanda, præter, si nimia non urget necessitas, supra memoratos dies celeberrimos, & omnibus venerabiles christianis non quo vel in his tale quid fieri prohibeatur, cum non sit in diebus spes nostra ponenda, nec a diebus, sed a Deo solo vivo, & vero, salus omnis penitus expectanda, sed quod si inevitabilis necessitas non est, vacandum est in his solito studiosius orationi, & tantæ festivitatis mysteria frequentanda, &c. Si die Dominico, vel cæteris festis diebus, quando necessitas urget, liceat ambulare, vel ad bellandum procedere (ex his quæ dicta sunt) potestis advertere. Nicol. ad Consulta Bulgar. c. 34. C. 36.

CAPUT VIII.

Nullus Episcopus, presbyter, clericus die Dominico propositum cujuscumque causæ negotium audeat iudicare, nisi hoc tantum, ut Deo statuta solemnia peragant. Cæteris diebus con-

Tom. VI.

nientibus personis, quæ iusta sunt iudicent, exceptis criminalibus negotiis. Tarrac. c. 4. Burch. lib. 2. c. 87. Ivo part. 4. c. 22. decr.

CAPUT IX.

Quia persuasum est populis die dominico cum caballis, & bobus, & vehiculis itinerare non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem, nullatenus exercere, quæ res, quia ad Judæam magis, quam ad observantiam Christianam pertinere probatur, id statuimus, die dominico, quod ante fieri licuit, licere, de opere tamen rurali, id est agricultura, vel vinea, vel sectione, vel mensione, vinea sectione excussione, vel sæpe (vern.) censuimus abstinendum, quo facilius ad ecclesiam venientes, orationis gratia vacent. Quod si inventus fuerit quis in operibus superscriptis, quæ interdicta sunt, se exercere, qualiter emendare debeat, non in laici distinctione, sed in sacerdotis castigatione consistat. Aurelian. III. cap. 27. Vernens. cap. 14.

CAPUT X.

Videmus populum diem dominicam contemptui tradere, & sicut in privatis diebus operibus continuis indulgere. Decernimus, ut uniuersusque nostrum in ecclesiis admoneat sibi subditam plebem, &c. Custodite diem dominicam, quæ nos denuo peperit, & a peccatis omnibus liberavit, nullus vestrum litium fomitus vacet, nullus causarum actiones exerceat, nemo sibi talem necessitatem exhibeat, quæ jugum cervicibus iumentorum imponere cogat. Estote omnes in hymnis, & laudibus Dei animo, corporeque intenti. Si quis proximam habeat ecclesiam, properet ad eandem, & ibi dominico die semetipsum precibus, lacrymisque afficiat. Sint oculi, manusque vestræ toto illo die ad Deum expansæ, ipse enim est dies requietionis perpetuus, ipse nobis per septimæ diei umbram insinuat nescitur in lege, & prophetis. Iustum igitur est, ut hanc diem unanimiter celebremus, per quam facti sumus, quod non fuimus: fuimus enim ante servi peccati, sed per eam facti sumus filii iustitiæ, &c. Si quis vestrum hanc salubrem exhortationem parvipenderit, aut contemptui tradiderit, sciat se pro qualitate merito principaliter a Deo puniri, & deinceps sacerdotali quoque iræ implacabiliter subjacere. Si causidicus fuerit, irreparabiliter causam amittet, si rusticus, aut servus, gravioribus sultum ictibus verberabitur, si clericus, aut monachus, mensibus sex a consortio suspendetur fratrum. Hæc namque omnia & placabilem erga nos Dei animum reddunt, & plagas morborum, vel sterilitatem amoveant, atque repellunt. Notem quoque ipsam, quæ nos supernæ luci, & inaccessiblei reddidit, spiritalibus exigamus excubiis nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant qui nomine dumtaxat christiani esse noscuntur, sed oremus, & vigilemus operibus sacris, ut digni habeamur in regno coheredes fieri Salvatoris. Matiscon. II. c. 1.

CAPUT XI.

Pascha nostrum, in quo summus Sacerdos, & Pontifex pro nostris delictis nullam habens obno-

A a

xia-

2. Tim. 2.

35. 2. 4. c. 1.

* Judaicam

Gen. 1.

xiationē peccati immolatus est, debemus omnes festivissime colere, & sedulæ observationis sinceritate in omnibus venerari, ut illis sanctissimis sex diebus nullus servile opus audeat facere, sed omnes simul coadunati hymnis paschalibus indulgentes, perseverationis nostræ præsentiam quotidianis sacrificiis ostendamus, laudantes creatorem, ac generatorem nostrum vespere, & mane, & meridie. *Matisc. II. c. 2.*

CAPUT XII.

Ut omnis homo tam ingenuus, quam servus Gothus, Romanus, Syrus, Græcus, vel Judæus die dominico nullam operam faciant, nec boves jungantur, excepto si immutandi * necessitas incubuerit. Quod si quisque præsumperit facere, si ingenuus est, det comiti civitatis solidos sex, si servus, centum flagella fuscipiat. *Narb. c. 4.*

CAPUT XIII.

Non licet die dominico boves jungere, vel alia opera exercere. *Antisiod. cap. 16.*

CAPUT XIV.

Licet generaliter ab omnibus catholicis, & Deum timentibus de die dominico, quæ est prima sabbati, convenit observare, ut superius est in canonibus statutum. Statuimus, ut in ipso die dominico ruralia opera, id est arare, messes metere, exactus facere, vel quidquid ad ruris culturam pertinet, nullus penitus præsumat. Quod qui inventus fuerit faciens sub disciplina distributionis omnimodis corrigatur. *Cabil. c. 18. vid. Aurel. III. cap. 27.*

CAPUT XV.

Die dominico ab omni opere terreno cessandum, &c. cessante omni causarum strepitu. *Ferojul. cap. 13.*

CAPUT XVI.

Ne in dominicis diebus publica mercata, neque causationes, disceptationesque exercentur, & penitus a rurali, & servili opere cessetur: his solummodo peractis, quæ ad Dei cultum & servitium pertinere noscuntur. *Aurel. sub Carol. cap. 16.*

CAPUT XVII.

Interdicatur, ne mercata, & placita usquam fiant die dominica, quia oportet omnes Christianos a servili opere in laude Dei, & gratiarum actione usque ad vesperam perseverare. *Turon. sub Carol. cap. 40.*

CAPUT XVIII.

Diei dominici observatio, & veneratio plurimum negligitur. Unde oportet, ut authentica constitutione illius venerandæ diei observatio statuatur. *Cabil. sub Carol. c. 50.*

CAPUT XIX.

Festos dies in anno celebrare sancimus, hoc est diem dominicam paschæ cum omni honore, & sobrietate venerari. * Similiter feriam secundam, tertiam, & quartam. A feria quinta ante missam licentia sit arandi, vel seminandi, & hortum, & vineam excolendi, & sepem circumcludendi, ab alio vero opere cessare decrevimus. Post missam autem ab opere vacare. Diem ascensionis Domini pleniter celebrare, item pentecostem similiter ut in pascha. In natali Apostolorum Pe-

* Simili modo tota hebdomada illa observandi decrevimus, al.

tri, & Pauli diem unum, nativitatem sancti Joannis Baptistæ, Assumptionem sanctæ Mariæ, dedicationem sancti Michaelis, nativitatem sancti Remigii, sancti Martini, sancti Andree. In natali Domini dies quatuor, octavas * Domini, Epiphaniam Domini, purificationem sanctæ Mariæ, & illas festivitates martyrum, vel confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque parochia sancta corpora requiescunt, similiter etiam dedicationem templi. *Magunt. c. 36.*

* octavam, f. natalis.

CAPUT XX.

Omnes dies dominicos cum omni veneratione decrevimus observari, & a servili opere abstinere, & ut mercatus in eis minime sit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem, vel ad poenam judicetur. *Magunt. cap. 37. Capitul. lib. 5. c. 88. Burch. lib. 2. c. 81. & 85. Ivo part. 4. c. 16. decret. & lib. 2. tit. 13. c. 2. panorm.*

c. 1. de fer. Greg. IX. & in 1. coll. c. 1.

CAPUT XXI.

Diebus dominicis, secundum Domini præceptum, nulla opera servilia quilibet perficiat, nec ad placita conveniat, nec etiam donationes in publico facere præsumat, neque mercata exercent. *Rem. c. 35.*

CAPUT XXII.

Omnibus nobis visum est, ut primum sacerdotes, postea Reges, & Principes, cunctique fideles summopere procurent, ut tanti diei (dominici) debita observatio, religiosaque devotio, nunc usque magna ex parte neglecta, ab hinc ob insignem christianitatis, devotius exhibeatur, &c. Quapropter specialiter, atque humiliter a sacerdotibus Imperialis celsitudo flagitanda est, ut ob honorem, & reverentiam tanti diei, cunctis metum incutiat, ne in hac sancta, & venerabili die mercatus, & placita, & ruralia quæque opera, necnon & quaslibet corrigoines ullius conditionis homines facere præsumant. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 50.*

CAPUT XXIII.

Sunt aliqui, qui in natalibus sanctorum, aut in qualibet festivitate, causas aut dicere, aut audire volunt, & quod pejus est, non pro veritate, sed pro avaritia, & cupiditate. Debent enim causas dicere, & cum justitia deliberare, sed aliis diebus, alio tempore, non in sanctorum solemnitate, quando omnes homines magis debent Deo vacare, quam se diversis litibus impugnare. *Augustin. in homil. ad popul. apud Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 2. c. 12. ad fin.*

CAPUT XXIV.

Obnixè deprecamur, ut in observatione diei dominici, sicut jamdudum vos deprecati sumus, debitam adhibeatis curam, quatenus nisi magna compellente necessitate, in ipsa die a curis, & sollicitudinibus mundanis, quantum potestis, vos exuatis, & quod tantæ diei venerationi competit, & vos faciatis, & vestros sacro vestro exemplo & doceatis, & agere compellatis. *Concil. Paris. ad Imperat. Ludovicum, & Lotharium lib. 3. cap. 19.*

CAPUT XXV.

Jejunium diebus dominicis tenere, & canonica interdicit auctoritas, & resurrectionis domini-

cæ tanta solemnitas. Et ideo (*neque*) placita illis diebus, neque nuptias pro reverentia tantæ solemnitatis celebrari visum est. *Aquisgr. II. sub Ludov. part. 4. c. 17.*

CAPUT XXVI.

Dies quoque octo sacrosanctæ paschalis festivitatis omnibus Christianis feriatos esse decernimus ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo, cœmentario, pictorio, venatorio, forensi, mercatorio, audientiali, ac sacramentis exigendis, quatenus eisdem diebus tanto licentius, quanto liberius omnibus Christianis sanctæ resurrectionis laudibus, & sacrosanctæ prædicationi jugiter insistere liceat. Quod si quis temerare præsumperit, excommunicetur. *Melden. cap. 77.*

CAPUT XXVII.

Decreverunt sancti Pontifices, ut in locis sacratis, diebus dominicis, vel aliis solemnitatibus, judicia publica non exercentur: neque enim fas esse ibi reos puniri, ubi respectu divinæ reverentiæ misericordiam consensu fidelium consequuntur. *Synod. apud sanctum Medardum cap. 6.*

CAPUT XXVIII.

Secundum sanctorum statuta patrum in hoc sancto præjudicamus concilio, ut nullus comes, nullusque omnino sæcularis diebus dominicis, vel sanctorum in festis, seu quadragesimæ, aut jejuniorum placitum habere, sed nec populum illo præsumat coercere, &c. Diebus vero dominicis, & sanctorum festis, vigiliis, & orationibus insistendum, & ad missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo vacandum. *Triburien. c. 35.*

CAPUT XXIX.

In die dominica vestigalia non fiant, quod carregium, vel saginegium dicitur, nisi amore Dei, vel timore hostium, vel propter magnam necessitatem. *Synod. Bituricen. c. 14. apud concil. Lemovicen. Act. 2.*

CAPUT XXX.

Dixi *dominici*, quia in eo Deus lucem condidit, in eo manna in eremo pluit, in eo nasci dignatus sit, in eo stella Magis refulsit, in eodem quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum pavit, in eo baptismum in Jordane a Joanne suscepit, in eo ipse pius redemptor humani generis sponte pro salute nostra a mortuis resurrexit, in eo Spiritum sanctum super discipulos infudit, tanta debet esse observantia, ut præter orationes, & missarum solemnia, & ea, quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam & si necessitas fuerit navigandi, sive itinerandi, licentia datur, ita dumtaxat, ut hujus occasione missæ, & orationes non prætermittantur. Conveniendum est sabbato die cum luminaribus cuilibet Christiano ad ecclesiam, conveniendum est ad vigiliis, sive ad officium matutinum. Concurrendum etiam est cum oblationibus ad missarum solemnia, & dum ad ecclesiam convenitur, nulla causa dici debet, vel audiri, nulla jur-

gia sunt habenda, sed tantummodo vacandum est orationi in celebratione divinorum officiorum, & exhibitione elemosynarum, & in Dei laudibus cum amicis, & proximis, & peregrinis spiritualiter epulandum. *Théodulp. ad presb. Aurel. cap. 24.*

CAPUT XXXI.

Decernimus, ut in omnibus diebus dominicis, in quibus sanctæ resurrectionis mysterium veneramur, vel in quibuscumque reliquis solemnitatibus, quando ex more ad veneranda templorum oracula universæ plebis conjunctio devotionis congregatur studio, præter quod visum præparari convenit, ab omni corporali opere suspendantur, nec ulla causarum præcipue jurgia moveantur, &c. *Contranus Rex Francor. ad synod. Marisc. II. in fin. concil.*

Que concilium jubet Rex executioni mandat.

TITULUS XX.

COMMUNIA DE DIEBUS FESTIS.

CAPUT I.

EPiscopus, presbyter, diaconus festis diebus abstinens a carne, & vino non religionis, sed odii causa, deponatur. *Apost. cap. 53. vide cau. 51. C. 64.*

CAPUT II.

Vestram volumus prudentiam certa cognitione tenere, quoniam licet scriptum sit: *de vespere ad vespem sabbata vestra celebrabitis*, festorum tamen principium, & finis juxta eorum qualitatem, & juxta diversarum regionum consuetudinem considerari * debet. Et sicut magnitudo dierum exigit celebrari, sic prius incipere, & tardius terminari, vera ratione videntur. *Alexand. III. Ferdonen. Archiepisc.*

De Feriis c. 2. apud Gr. IX. C. in 2. coll. Lev. 23. c.

** conservari, al.*

CAPUT III.

Licet tam veteris, quam novi Testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialiter deputavit, & tam eum quam alios dies majestati altissimæ deputatos, nec non natalitia * sanctorum martyrum ecclesia decernit observanda, & in his ab omni opere servili cessandum. Nos tamen, quibus ab omnium provisorum ecclesiæ regimen est commissum, super his, quæ necessitas exigit, Christi fidelibus teneamur commode providere, ut si quando eos non servili operi, id est actioni peccati, sed necessaria victui, & vestitui quærendo forte intendere contigerit, volumus, ut eis Apostolicæ sedis providentia, misericordia consueta subveniat. Inde liquidem est, quod cum regio vestra * non multum frugibus abundet, & mare, in quo populus majorem habere consuevit sustentationem, sterilius solito effectum fuisse multorum relationibus cognoscetes, auctoritate B. Petri, & nostra indulgemus, ut liceat parochianis vestris, diebus dominicis, & aliis festivitibus, præterquam in majoribus anni solemnitatibus, si alleluia terræ se inclinaverint, eorum captioni congruenter intendere, ita tamen quod post factam capturam, ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem. *Alex. III. Archiep. Tribur. ejusque suffraganeis.*

*De Feriis c. 2. apud Gr. IX. C. in 2. coll. C. 6. de penitent. * natalia*

** regionem, vestram. * abundare.*

LIBER NONUS.

De Jejniis, Vigiliis, & Litanis.

TITULUS I.

DE LAUDIBUS JEJUNII.

CAPUT I.

Joann. 8. **H**ostis antiquus ab initio mendax, inimicus veritatis, amulus hominis, quem ut deciperet, se ante decepit. Pudicitia adversarius, luxuria magister, crudelitibus pascitur, abstinentia punitur, odit jejunia, ministris suis prædicantibus dum * dicit esse superflua, spem non habens de futuris, Apostoli sententia percussus dicentis: *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur, &c. Anter. ep. 1. in princ. Syric. ep. 2. in princ.*

CAPUT II.

Psal. 68. Audiant hi, (*Jovianus, & ejus sectatores*) prophetam dicentem: *Et cooperui in jejunio animam meam.* Ergo qui non jejunat, intectus, & nudus est, patet vulnere, denique si Adam se texisset jejunio, non fuisset nudus effectus. Nive se a morte jejunio liberavit. Et ipse Dominus ait: *Non eiicitur hoc genus demoniorum nisi per orationem, & jejunium. Ambros. & alii ad Syric. ante fin. in lib. 1. ep. B. Ambros. ep. 7.*

CAPUT III.

Psal. 149. Scio, quia utrique abstinentes, utrique docti, utrique humiles estis, unde necesse est, ut Salvatoris nostri gloria in vobis juxta vocem psalmi resonet, & in tympano, & choro laudetur. In tympano etenim sonus ex pelle sicca est, in choro vero vocum concordia. Quid igitur per tympanum, nisi abstinentia, quid per chorum, nisi unanimitas designatur? Quia ergo per abstinentiam Dominum laudatis in tympano, peto, ut per unanimitatem laudatis in choro, &c. *Greg. Anastasio presb. de Episcopo Hierosolymit. lib. 6. reg. epist. 29.*

TITULUS II.

DE OBSERVANDIS JEJUNIIS.

CAPUT I.

Dist. 30. c. Si quis eorum. 8. **S**i quis præter corporis necessitatem, superbia exercitii sui, contemnat tradita jejunia, & ab ecclesia observata, anathema sit. *Gangr. c. 19. Magunt. c. 35. Capitul. lib. 1. c. 48. & lib. 7. c. 187. in addit. Burch. lib. 13. cap. 5. Ivo part. 4. cap. 38. decret.*

CAPUT II.

Clericum, qui tempore indicti jejunii, absque inevitabili necessitate, jejunium rumpit, minorem habendum. *Carth. IV. c. 63.*

CAPUT III.

Si quis indictum jejunium superbiendo contempserit, & observare cum ceteris Christianis noluerit, in Gangrensi concilio præcipitur, ut anathematizetur, nisi emendare se studeat. *Magunt. cap. 35. Gangr. cap. 19. Capitular. lib. 5. cap. 87. Burchard. lib. 13. cap. 4. Ivo part. 4. c. 37. decret.*

TITULUS III.

DE EFFECTU JEJUNII.

CAPUT I.

CUM Deo auxiliante ad propria veneritis, jejunium indicite, litaniam celebrate, rogantes, & obsecrantes pium, & misericordem Dominum, ut furorem mitiget, iram a populo avertat, &c. *Syn. Ravenn. sub Joann. IX. part. ult. cap. ult.*

CAPUT II.

Consilium damus (*peccatoribus*) ut jejunent, & elemosynas dent, ut ad veritatis viam possint reverti. *Clarom. sub Urbano II. c. 2.*

CAPUT III.

Populis tibi commissis prædica jejunium, & supplicationes apud Dominum litaniarum, & supereminens ejus clementia adjuvabit te. *Zachar. ep. 4. ad Bonif. in princ.*

CAPUT IV.

Nosse vos velle asseveratis, si liceat omnibus vestris præcipere tempore siccitatis ad pluviam postulandam jejunium, & orationem facere. Vobis quidem hoc agere licet, quoniam jejunium, & oratio magnæ virtutis sunt, & ad has jugiter faciendas vestra multum valet hortatio. Sed congruentius est, si hæc per Episcoporum dispositionem fiant. *Nicol. ad Consulta Bulgar. c. 56.*

CAPUT V.

Si ex toto corde conversi ad Dominum veram poenitentiam, fructusque poenitentia dignos fecerimus, crebris & sanctis instantes jejniis, vigiliis castis, &c. cito ejus, qui cor contritum, & humiliatum non spernit, & cui proprium est misereri, & parcere, misericordiam consequemur. *Tros. cap. 15.*

TITULUS IV.

DE HORA, QUAE OLIM CHRISTIANI CAPIEBANT CIBUM, MAXIME TEMPORE JEJUNII.

CAPUT I.

In sabbato sancto protrahatur jejunium circa noctem. *Clarom. sub Urbano II. c. 26.*

CAPUT II.

Consulentibus vobis, si liceat absque jejuniorum tempore quantulumcumque valde mane comedere. Respondemus, quoniam neminem patrum nostrorum ante horam diei tertiam manducasse, nec sanctam ecclesiam ante hanc horam traditionem sumendi cibum accepisse recolimus, vel monumentis quibuscumque reperimus; e contrario vero quosdam eorum usque ad vesperam, alios autem usque ad nonam horam diei, porro alios usque ad sextam invenimus jejunasse, nullum autem mane cibi quantulumcumque sumpsisse comperimus, cum potius vix dictum his, qui mane comedunt, fuisse legerimus, quam mobrem ab isto maledicto vos alienos esse desiderantes hortamur, ut ante horam diei tertiam nullum omnino cor-

*Psal. 50.**Esai. 5. c.*

cor-

corporalem cibum etiam in ipsis insignibus solemnitatibus omnino sumatis. *Nicol. ad consulta Bulgar. cap. 60.*

CAPUT III.

Misisti ad me fidelissime, & sapientissime filii mi, interrogans, qua hora dies paschæ sit jejunandus, dicis enim aliquos fratres dicere, quod oportet hoc in galli cantu facere, alios vero, quod id sit faciendum vespere, qui enim Romæ sunt fratres, ut ajunt, gallum expectant, de his autem, qui hic sunt, dixisti, quod citius; horam autem exactam, & valde demensam quæris imponere, quod quidem est difficile, & lubricum, &c. Eos, qui nimium festinant, & ante mediam noctem surgunt, ut contemptores, & intemperantes reprehendimus, ut qui propemodum antequam par sit, cursum abruperint, dicente viro sapiente: *Non parvum est in vita, quod parvum abest.* Eos autem, qui differunt, & plurimum perferunt, & ad quartam usque vigiliam fortiter abstinent, in qua etiam pluribus Salvator noster in mari ambulans apparuit, ut generosos, & laborum tolerantibus suscipimus. Iis autem, qui interea ut moti sunt, vel ut potuerunt, quiescunt, non valde molesti sumus, quandoquidem nec sex jejuniorum dies æqualiter, nec similiter omnes expectant, sed alii quidem vel omnes transmittunt jejunii permanentes, alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum. Et iis quidem, qui in illis transmittendis valde laboraverunt, deinde defessi sunt, & propemodum deficiunt, ignoscendum est, quod celerius gustent: si qui autem non modo transmissis, sed ne jejunatis quidem, vel etiam in delicatis, opiparisque conviviiis, consumptis præcedentibus quatuor diebus, ad duos, eosque solos extremos dies, cum venerint, illis, a se cibo non gustato, transmissis, parasceve, & sabbato, magnum quid, & egregium se facere existimant, si ad auroram usque permanserint, non existimo eos ex æquo certamen subisse cum iis, qui se pluribus diebus prius exercuerunt. Hæc quidem, ut sentio consulens scripsi. *Dionys. Alexand. in ep. ad Basilidem c. 1.*

CAPUT IV.

Solent plures, qui se jejunare putant, mox, ut signum audierint, ad nonam manducare, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium; concurrendum est enim ad missas, & auditis missarum solemnibus sive vespertinis officiis, largitis eleemosynis ad cibum accedendum est. Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad missam convenire non valeat, æstimata vespertina hora, completa oratione sua, jejunium absolvere debet. *Theodulph. ad presb. Aurel. c. 39. Burch. lib. 13. c. 12. Ivo lib. 2. tit. 14. c. 11. part. 4. c. 45. decret.*

CAPUT V.

Abstinentia in his (jejuniorum) diebus omnium deliciarum esse debet, & sobrie, & castrevivendum; qui vero ovis, caseo, piseibus, & vino abstinere potest, magnæ virtutis est, qui autem his, aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere abstinere non potest, utatur tantum,

ut jejunium usque ad vesperam solemniter celebret, & vinum non ad ebrietatem, sed ad refectationem corporis sui sumat. *Theodulph. ad presb. Aurel. c. 40.*

CAPUT VI.

Non oportet clericos, vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam intrare convivium, neque aliquando clericos, nisi hymno dicto, edere panem, & post cibos gratias auctori Deo referre. *Mart. Brac. c. 66. Burch. lib. 2. c. 165. Ivo part. 6. c. 256. decret.*

CAPUT VII.

Admonendus est populus, ut ante publicum peractum officium ad cibum non accedat. *Theodulph. ad presb. Aurel. c. 46.*

TITULUS V.

JEJUNIUM CONJUNGANT CHRISTIANI CUM ELEEMOSYNA, ET CUM EXERCITATIONE OMNIUM VIRTUTUM.

CAPUT I.

Nil prodest homini jejunare, & orare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur, & ab obsecrationibus lingua cohibeatur. Unde ait propheta: *Cohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum: divertite a malo, & fac bonum.* *Pius ep. 1. in fin. Anselm. lib. 11. c. 11.*

CAPUT II.

Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio ipsius? Sic homo, qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis audiet? Qui conservat legem, multiplicat orationem, &c. *Pelag. II. epist. 2. in fin.*

CAPUT III.

Accepto consilio, hoc statuimus, ut post triduanum jejunium, post litanias, & multorum orationem eleemosynis conditam, divino fulti auxilio, statueremus, quod melius de electione Romani Pontificis videretur. *Greg. VII. lib. 1. Reg. epist. 1.*

CAPUT IV.

Diebus quadragesimæ, & jejuniorum summa devotione jejunandum, & omni intentione est orandum, atque unicuique pro facultatibus suis eleemosynæ tribuendæ, & nullæ lites, vel contentiones habendæ. Arguit enim eos, qui contentiones, & lites tempore jejuniorum, & qui a debitoribus debita exigunt, Dominus per Prophetam dicens: *Ecce in diebus jejuniorum vestrorum invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros reperitis, ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugna impie.* *Tribur. cap. 35.*

CAPUT V.

Diebus jejunii, eleemosyna faciendæ est, & cibum, vel potum, quo quisque uti debuit, si non jejunaret, pauperibus eroget. Quia jejunare, & cibos prandii ad cenam reservare, non mercedis, sed ciborum est incrementum. *Theodulph. ad presb. Aurel. cap. 38. Burch. lib. 13. c. 11. Ivo part. 4. c. 44. decret.*

CAPUT VI.

In his jejuniorum diebus (quadragesimæ) nul-

Diff. 44. c. ult.

De pen. d. 3. c. 21. & de conf. d. 3. c. 23. Psalm. 33.

Eccles. 34.

Esai. 34. a.

De conf. d. 1. c. 48.

ab ratione I...

læ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus, & in opere necessario persistendum. Arguit enim eos, qui contentiones & lites quadragesimæ tempore exercent, & qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens: *Esai. 58. d.* *Ecce in die jejunii vestri inveniuntur voluntates vestrae, & omnes debitores vestros repetitis, ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie. Theodulph. ad pres. Aurel. cap. 42. Burch. lib. 13. cap. 13. Ivo part. 4. c. 46. decret.*

CAPUT VII.

Abstinendum est in his sanctissimis quadraginta diebus a conjugibus, & caste, & pie vivendum, ut sanctificato corde, & corpore isti sancti dies transigantur, donec perveniatur ad diem sanctum paschæ, quia pene nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemosynæ non commendant. *Theodulph. ad presbyt. Aurel. c. 43. Burch. lib. 13. c. 14. Ivo part. 4. c. 47. decret.*

TITULUS VI.

ÆGROTI NON OBSTRINGANTUR

LEGE JEJUNII.

CAPUT I.

NEC hortor, nec admoneo, sed districte præcipio, ut jejunare minime præsumas, quia dicunt medici, huic molestiæ (*effusionis sanguinis*) valde esse contrarium, nisi forte si grandis solemnitas exigat, quinque in anno vicibus concedo. *Gregor. Mariniano Episcop. Ravenn. lib. 9. regist. epist. 28.*

CAPUT II.

Quoniam eruptionem sanguinis patientibus jejunia medici omnino dicunt esse contraria, his fraternitatem tuam hortamur affatibus, ut reducens ad animum ea, quæ est solita de ægritudine sustinere, jejunandi sibi laborem minime imponat. *Greg. Mariniano Episc. Ravenn. lib. 11. regist. epist. 32.*

CAPUT III.

De observ. jejun. c. 2. ap. Greg. IX. in 3. coll. Postulasti responsum habere de illis, qui in quadragesima, vel in aliis jejniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi etiam carniæ indulgeri, quorum quidam promittunt propter hoc eleemosynam se facturos, quidam vero propter necessitatem infirmitatis urgentis, hoc a te sibi, quasi ex debito concedendi requirunt. Super quo tibi diximus respondendum, quod cum non subiaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgens necessitas exigit, supportare potes, & debes, ut majus in eis periculum evitetur. *Innocent. III. Bracaren. Episc.*

CAPUT IV.

Mulier, si peperit, debet ne jejunare pascha, vel vinum non bibere, an a jejunio absolvitur, & vinum bibere permittitur, eo quod peperit? Resp. Excogitatum est jejunium, ut corpus humile reddatur. Si ergo corpus in humilitate, & imbecillitate versatur, debet cibi, & potus, quantum potest, esse particeps. *Timoth. Episc. Alex. cap. 8.*

CAPUT V.

Si quis sit ægrotus, & ex vi morbi valde lique-

factus, & attenuatus, & sanctum pascha venerit, debet ne omnino jejunare, an eum absolvit clericus, ut accipiat, quod potest, vel etiam oleum & vinum? Respon. Absolvi debet ægrotus, ut cibum, & potum capiat, quantum ferre potest. *Timotheus Episcop. Alex. c. 10.*

TITULUS VII.

DE NUMERO DIERUM, QUIBUS
CONSTAT QUADRAGESIMA.

CAPUT I.

Cognoscite a nobis, & a cunctis Episcopis in hac sancta, & Apostolica Sede congregatis statutum esse, ut septem hebdomadas plenas ante sanctum pascha omnes clerici, in sortem Domini vocati, a carne jejunent, quia sicut discreta esse debet vita clericorum a laicorum conversatione, ita & in jejunio debet fieri discretio, &c. Has ergo septem hebdomadas omnes clerici a carne, & deliciis jejunent, & hymnis, & vigiliis, atque orationibus Domino inhære die, noctuque studeant. *Telesph. ep. 1. in princ. Ivo lib. 2. tit. 14. c. 1. Panorm. & part. 4. cap. 25. decret. Anselm. lib. 7. cap. 165. Cesar. lib. 11. cap. 20. Tarrac. lib. 4. c. 60.*

CAPUT II.

Id sacerdotibus omnibus est decretum, ut ante paschæ solemnitatem non quinquagesima, sed quadragesima teneatur. *Aurel. c. 24. alias 26.*

CAPUT III.

Quadragesima ab omnibus ecclesiis æqualiter teneatur, neque quinquagesimam, aut sexagesimam ante pascha quilibet sacerdos præsumat indicare, &c. *Aurel. IV. c. 2.*

CAPUT IV.

Telesphorus constituit, ut septem hebdomadas ante pascha jejunium celebraretur. *Dam. in Telesph.*

TITULUS VIII.

QUADRAGESIMA EST VELUT DECIMA ANNI, QUAM CHRISTIANI OFFERUNT.

CAPUT I.

Tempore quadragesimæ, quo Deo carnis nostræ decimas damus, omni est voluptati renunciandum. *Nicol. ad consult. Bulg. c. 9.*

CAPUT II.

Non tantum decimas rerum, sed etiam dare Deo debemus decimas dierum, quod fideles quique annuatim student agere tempore quadragesimæ. *Troslejan. c. 6. ex D. Greg.*

CAPUT III.

Quadragesima cum summa observatione custodiri debet, ut jejunium in ea, præter dies dominicos, qui abstinentiæ subtracti sunt, nullatenus resolvatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni nostri, quos cum omni religione & sanctitate transigere debemus. Nulla in his occasio sit resolvendi jejunii, quia alio tempore solet jejunium caritatis causa dissolvi, isto vero nullatenus debet, quia in alio jejunare, in voluntate, & arbitrio cujuslibet positum est, in hoc vero non jejunare, præceptum Dei transcendere est, & in alio tempore jejunare præmium abstinenti acquirere est; in hoc vero præter infirmos, ac parvulos, quis-

Dist. 4. Stat. vinus, c. 4.

De conf. d. 3. cap. 6.

Loquitur de solis jejniis, que sunt in consilio.

quisquis non jejunaverit, poenam sibi acquirit, quia eisdem dies Dominus, & per Moſem, & per Heliam, & per ſemetipſum ſacro jejunio conſecravit. *Theodulph. ad preſb. Aurel. c. 37. Vide Tolet. VIII. c. 9. Tit. ſeq. capite Dicente ſcriptura.*

TITULUS IX.
QUADRAGESIMA JEJUNETUR
INTEGRA.

CAPUT I.

EPiſcopus, preſbyter, diaconus, hypodiaco-
nus, lector, cantor quadrageſimam non je-
junans, aut quartam, aut ſextam feriam, depo-
natur, niſi corporis imbecillitate impediatur, lai-
cus excommunicetur. *Apoſt. c. 69.*

CAPUT II.

De conſ. d. 3. cap. Non liceat, 2. Non oportet in quadrageſima, quinta feria ultimæ hebdomadis ſolvere jejunium, & totam quadrageſimam inficere, ſed opus eſt, tota quadrageſima arida edendo, jejunare. *Laod. cap. 50. Marr. Brac. c. 50. Burchard. lib. 13. c. 8. Ivo part. 4. c. 41.*

CAPUT III.

De conſ. d. 3. cap. 9. Placuit, ut omnes eccleſiæ filii, exceptis diebus dominicis, in quadrageſima, etiam die ſabbato, ſacerdotali ordine, & diſtrictionis comminatione jejunent. *Agath. c. 12.*

CAPUT IV.

Decernimus obſervandum, ut quadrageſima ab omnibus eccleſiis æqualiter teneatur. *Aurel. IV. c. 2.*

CAPUT V.

Si quis quinta feria paſchali, quæ vocatur cœna Domini, hora legitima poſt nonam jejunus in eccleſiis miſſas non tenet, ſed ſecundum ſectam Prifcilliani feſtivitatem ipſius ab hora tertia per miſſas defunctorum ſoluto jejunio colit, anathema ſit. *Bracar. I. c. 16.*

CAPUT VI.

** abſtinetur, al.* In die paſſionis Domini quidam ab hora nona jejunium ſolvunt, conviviis adhibentur *, & cum ſol lumen ſubdlexerit, &c. illi epulis inſerviunt, & quia totum eum diem univerſalis eccleſia propter paſſionem Domini in mœrore, & abſtinentia peragit, quicumque in eo jejunium, præter parvulos, ſenes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces ſolverit, a paſchali gaudio depellatur, nec in eo ſacramentum corporis & ſanguinis Domini percipiat, qui diem paſſionis ejus per abſtinentiam non honoravit. *Tolet. IV. c. 7.*

CAPUT VII.

Ecl. 19. a. Dicente ſcriptura: *Qui ſpernit minima pau- larum decidit*, &c. quadrageſimæ dies anni totius decimæ putantur, quæ & in oblatione jejunii Domino conſecrantur, quibus etiam conditio humani generis expiatur, dum a quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur, & ex quatuor elementis formatus propter tranſgreſſionem decalogi quater decies convenienter affligitur, &c. Quisquis ſine inevitabili neceſſitate, atque fragilitate, & evidenti languore *, ſeu etiã impoſſibilitate ætatis diebus quadrageſimæ eſum carniſum præſumpſerit attentare, non ſolum reus erit reſurrectionis dominicæ,

vetum etiam alienus ab ejuſdem diei ſancta com-
munionem, & hoc illi cumuletur ad poenam, ut ipſius anni tempore ab omni eſu carniſum abſtineat gulam, quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Illi vero, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non ante prohibita violare præſumant, quam a ſacerdote permiſſum percipiant. *Toletan. VIII. c. 9.*

CAPUT VIII.

A jejunis ſacra altaris celebrentur, ut canone Carthaginenſis dicitur, excepta die, qua cœna dominica celebratur, quæ exceptio tunc aliqua de cauſa placuit. Sed nos Apoſtolorum, & patrum traditiones ſequentes, non oportere putamus in quadrageſima ultima hebdomada quin-
tam feriam ſolvere, & totam quadrageſimam in-
ficere. *Trull. c. 29. vide Carth. c. 41. G. Carth. III. c. 24.*

CAPUT IX.

Salutaris paſſionis dies in jejunio, & oratione & compunctione cordis celebrantes fideles a media nocte magni ſabbati vigilant *, cum evangelis-
tæ Matthæus, & Lucas dicant, *valde mane, &c.* *Trull. cap. 90.*

* jejunent.

CAPUT X.

Non liceat quinta feria noviffimæ ſeptimane jejunium ſolvere, & omnem ex honorare quadrageſimam, ſed ſincere abſtinentes totam quadrageſimam peragere. *Marr. Brach. c. 50. vide Laod. cap. 50.*

De conſ. d. 3. cap. 7.

TITULUS X.

TEMPORE QUADRAGESIMÆ CIVES NON
DEGANT IN VILLIS, SED IN
URBIBUS ET OPPIDIS.

CAPUT I.

NULLI civium paſchæ, natalis Domini, vel qua-
drageſimæ * ſolemnia in villa liceat cele-
brare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe. *Aurel. c. 25. alias 27. vide Arvern. c. 14. Burch. lib. 2. c. 75. Ivo part. 4. c. 12. decr.*

*De conſ. d. 3. cap. 5. * quinquag. f.*

CAPUT II.

Nec quadrageſimæ diebus ab eccleſiis fideles deſint, nec habitent in latibulis cubicularum, ac montium, qui in ſuſpicionibus perfeverant, ſed exemplum, & præceptum cuſtodiant ſacerdotum, & ad alienas villas agendorum conventuum cauſa non conveniant. Ab univerſis Epifcopis dictum eſt: „Anathema ſit, qui hæc commiſerit“. *Cæſar. c. 2.*

De conſ. d. 5. Ne quis, c. 15.

TITULUS XI.

DE PERCEPTIONE EUCHARISTIÆ
TEMPORE QUADRAGESIMÆ.

CAPUT I.

CORPORI, & ſanguini Dominico quotidie in quadrageſima, ſi debeatis communicare, conſultis. Quod ut fiat, Deum omnipotentem ſuppliciter exoramus, & vos omnes vehementiſſime cohortamur, ſi tamen mens in affectu peccandi non ſit, vel ſi hanc, non de criminalibus peccatis conſcientia impœnitens, vel non reconciliata fortaliſſis accuſet, vel ſi fratri diſcordanti quis veſtrum ſuo vitio reconciliatus minus exiſtat, &c. interim tamen quadrageſima, quam mos eccleſiæ majorem appellat, omni eſt die, ſer-
va-

va-

vato superiori tenore, communicandum, quoniam semper est orationi vacandum, & sacrificiis fidelium concurrendum, & illud propheticum quo dicitur: *In die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*, jugiter ad memoriam revocandum; si enim ex consensu conjugatorum, etiam alio, forte mundo corpore, tempore vacatur orationi, quanto potius isto, quo Deo etiam carnis nostrae decimas damus, &c. omni est voluptati renunciandum? *Nicol. ad consulta Bulgar. c. 9.*

CAPUT II.

De conf. d. 2. cap. 17. In cœna Domini a quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus pro gravibus criminibus inhibita est, percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam poenitentes eodem die ad percipienda corporis & sanguinis Domini sacramenta reconciliant. *Ca. bilon. sub Carolo c. 47. Capitul. lib. 7. c. 68. in addit. Burchard. lib. 5. cap. 20. Ivo part. 2. cap. 30. decret.*

* se reconciliant.

CAPUT III.

Singulis diebus dominicis in quadragesima, præter hos, qui excommunicati sunt, sacramento corporis & sanguinis Christi sumenda sunt, & in cœna Domini, &c. *Theodulphus ad presbyteros Aurel. c. 41. Burch. lib. 5. c. 19. Ivo part. 2. c. 29. decr. Ans. lib. 9. c. 11.*

TITULUS XII.

TEMPORE QUADRAGESIMÆ NON FIAT OLIM QUOTIDIES ACRUM APUD GRÆCOS MORE NOSTRO.

CAPUT I.

NON oportet in quadragesima panem offerre nisi in sabbato, & dominica tantum. *Laod. cap. 49.*

CAPUT II.

Omnibus diebus jejuniorum quadragesimæ, excepto sabbato, & dominica, & sancto Annunciationis die, fiant sanctificationum, non oblationum sacra ministeria. *Trull. c. 52.*

TITULUS XIII.

TEMPORE QUADRAGESIMÆ SANCTORUM SOLEMNITATES OLIM NON CELEBRABANTUR.

CAPUT I.

33. q. 4. Non licet, c. 9. NON oportet in quadragesima martyrum natale celebrare, sed sabbatis, & dominicis diebus sanctorum martyrum memoria fiat. *Laod. c. 51. Mart. Brac. c. 48. Burch. lib. 13. c. 10. Ivo part. 4. c. 43. decr.*

CAPUT II.

Quoniam die, qua invenitur Angelus virgini Verbi conceptum & nunciasse verbis, & indidisse miraculis, eadem die festivitas non potest celebrari condigne, quod interdum quadragesima, vel paschale festum videatur incumbere, in quibus nihil de sanctorum solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari &c. xv. Kal. Januar. solemnitas dominicæ Martris. viii. Kal. Januar. nativitas Filii celebretur. *Tolet. X. c. 1. Vide Trull. c. 52. rit. præced.*

TITULUS XIV.

TEMPORE QUADRAGESIMÆ CESSENT JUDICIA, ET NEGOTIA, QUANTUM FIERI POSSIT.

CAPUT I.

ANobis scire cupitis, si quadragesimali tempore judicia sint exercenda, vel ad mortem aliquis addendus. In quo nos noveritis eadem de quadragesimali tempore super hac respondere consultatione, quæ de diebus festis jam respondisse dignoscimur. *Nicol. ad consulta Bulgar. c. 45. vide lib. præced. rit. XIX. c. Quod interrogatis.*

CAPUT II.

Vestram Deo, amabilis Augustæ, petimus clementiam, uti absque inevitabili necessitate sanctum tempus quadragesimæ liceat ecclesiasticis viris sub quiete agere, quatenus tempus illud, quod purificatio debet esse aliorum temporum, non inquinetur inquietudine perturbationum. *Aquisgr. II. sub Lud. part. ult. c. 16.*

CAPUT III.

Ut Regia magnificentia liberiore libertatem Episcopis ad suum peragendum in eorum parochiis ministerium, maxime in sacratissimis temporibus quadragesimæ scilicet, & adventus Domini tribuat, &c. Ipsi autem Episcopi concessum sibi otium non in suas voluptates, sed in divinum & officiosum convertant negotium, quatenus studentes prædicationi, & correctioni, atque confirmationi, quod hætenus per parochias fuit neglectum, solerter, & devotissime de cetero sit correctum, & emendatum, & non propter suam quietudinem Episcopi ad remotiora loca secedentes, & suum ministerium negligentes proprias deferant civitates, sed ut parochias suas cum officii efficacia circumeant, aut cum religione in suis civitatibus canonice cum suis filiis degant, &c. *Meldense cap. 28.*

CAPUT IV.

Regia majestas observare præcipiat omnibus Reipub. ministris, quod a divina auctoritate, & sanctorum patrum constitutione cautum esse dignoscitur, videlicet, ut nemo comitum, aut quicumque ex judiciaria potestate, post quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, in qua omnes poenitentes manus impositionem ad vacandum solummodo poenitentiae, & divinis officiis accipiunt, placitum, aut mallum tenere præsumant. *Meld. c. 76.*

CAPUT V.

Diebus dominicis, vel sanctorum in festis, seu quadragesimæ, aut jejuniorum, nullus comes, vel sæcularis placitum habere, sed nec populum illo præsumat coercere. *Tribur. c. 35.*

CAPUT VI.

In his jejuniorum diebus (*loquitur de quadragesima*) nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus, & in opere necessario persistendum. Arguit enim eos, qui contentiones & lites quadragesimæ tempore, & qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens: *Ecce in die jejunii vestri inveniuntur voluntates vestrae, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones jejuna-*

Esai. 58.

tis,

is, & percutitis pugno impie. *Theodulph. ad presb. Aurel. cap. 42. Burch. lib. 3. cap. 13. Ivo part. 4. cap. 46.*

TITULUS XV.

DE CHRISMATE, ET ABLUTIONE PEDUM, ET RECONCILIATIONE PENITENTIUM IN CENA DOMINI.

CAPUT I.

DE Chrismate conficiendo in cœna Domini. *Fabian. ep. 2. in princ.*

CAPUT II.

Quinta feria ante pascha absolventur penitentes. *Innoc. ep. 1. c. 7. Capitul. lib. 5. cap. 66. Cas. lib. 15. c. 27. Tarr. lib. 4. c. 36.*

CAPUT III.

Inquisivit fraternitas tua, si liceat sanctimonialibus feminis, quemadmodum viris, sibi invicem pedes abluere in cœna Domini, &c. Hoc dominicum præceptum est, quod, qui per fidem impleverit, habebit ex eo laudem. *Zachar. epist. 3. ad Bonif. in med.*

CAPUT IV.

Licet ablutio pedum omni tempore, ut fiat, expeditibile habeatur, tamen necesse est, ut specialis in eodem die, quo a Christo gestum est, omnimodo servetur. Proinde hæc sancta synodus decernit, atque instituit, ut deinceps non aliter per totius Hispaniæ, & Galliarum ecclesias eadem solemnitas celebretur, nisi pedes unusquisque Pontificum, seu sacerdotum, secundum hoc sacrosanctum exemplum suorum lavare studeat subditorum. *Tolet. XVII. c. 5.*

TITULUS XVI.

DE CIBIS, ALIISQUE REBUS PROHIBITIS IN QUADRAGESIMA.

CAPUT I.

Nulla ratio finit in quadragesimali tempore venationibus uti, venantes enim nihil præter carnes captant: ut ergo nihil carnale sectari videamini, decenter a carnibus captandis in quadragesimali præcipue tempore vobis est abstinentium. Quanto enim jejunii tempore arctius est divinis cultibus insistendum, tanto est in cunctis mundi nocivis oblectamentis longius recedendum: præterim cum neminem nisi reproborum venationes exercuisse sacra designet historia. *Nicol. ad consult. Bulg. c. 44.*

CAPUT II.

Nec uxorem ducere, nec convivia facere, in quadragesimali tempore convenire posse, ullatenus arbitramur. *Nicol. ad consult. Bulg. c. 48.*

CAPUT III.

Non oportet, post duas hebdomadas quadragesimæ quemquam ab baptismum suscipi. *Laod. cap. 45.*

CAPUT IV.

Non oportet in quadragesima nuptias, vel natalicia celebrare. *Laod. c. 52. Mart. Brac. c. 48. Ivo part. 8. c. 49. decret.*

CAPUT V.

Cognoyimus quosdam Hispaniæ sacerdotes, qui in quadragesimæ diebus *alleluja* decantant, præter in ultima hebdomada paschæ, &c. In omnibus quadragesimæ diebus, quia tempus non

Tom. VI.

est gaudii, sed mœroris, *alleluja* non decantetur. Tunc enim opus est fletibus, ac jejuniis insistere, corpus cilicio, & cinere induere, animum mœroribus deicere, gaudium in tristitiam vertere, quousque veniat tempus resurrectionis Christi. Hoc enim ecclesiæ universalis consentio in cunctis terrarum partibus roboravit, quod per Hispanias, Galliciasque provincias conservetur, &c. Si quis ergo Episcopus, presbyter, diaconus, clericus aliud fecerit, ordinis sui officio carere cogatur, & communione ejusdem paschæ privetur. *Tolet. IV. c. 10.*

CAPUT VI.

In Armenia, & aliis locis, sabbatis, & dominicis quadragesimæ jejuniorum diebus, ova, & butyrum quidam comedunt. Placuit per universam orbis totius ecclesiam uno ordine jejunium celebrari, & abstinere, ut ab omni macerabili, sic ab ovis, & butyro, quia fructus sunt, & semina eorum, quibus abstinemus. Si vero id non servaverint, clerici deponantur, laici excommunicentur. *Trull. c. 56.*

Vide de hac re *Theodulph. ad presbyteros Aurel. c. 40. tit. de hora, qua olim Christiani capiebat cibum tempore jejunii c. 43. tit. Jejunium conjungant Christiani cum elemosynis, & cum exercitatione omnium virtutum cap. Abstinentium est.*

TITULUS XVII.

NE JUDÆIS DIE CENÆ DOMINI, NEQUE ALIIS TRIBUS, QUI PROXIME SEQUUNTUR, IN PUBLICUM PRODEANT.

Vide Part. I. Lib. XII. Tit. X.

TITULUS XVIII.

COMMUNIA DE QUADRAGESIMA.

CAPUT I.

Si nulla urget necessitas, non solum quadragesimali tempore, sed omni est præliis abstinentium. Si autem inevitabilis urget opportunitas, nec quadragesimali est tempore pro defensione tam sua, quam patriæ, seu legum paternarum, bellorum proculdubio præparationi parcendum, ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet, quod faciat, & suæ, ac aliorum saluti consulere non procurat, & sanctæ religionis detrimento non præcavet. Porro muri Jericho filiis Israel, qui sabbatum jam observandum susceperant, etiam sabbato urbem circumventibus, & tubis clangentibus ad terram protracti sunt. *Nicol. ad consult. Bulgar. c. 46. Ivo lib. 8. tit. 4. c. 23. panorm. & part. 10. cap. 93. decret. Casar. lib. 7. c. 11.*

CAPUT II.

Ut in omnibus missis, sive matutinis, sive quadragesimalibus, vel quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, semper *Sanctus, Sanctus, Sanctus* eo ordine, quo ad missas publicas, dici debeat, &c. *Vasens. II. c. 4.*

CAPUT III.

Omnes presbyteri ante epiphaniam missos suos dirigant, qui eis de principio quadragesimæ nuntient, & in ipsa epiphania ad populum indicent. *Antissod. c. 2.*

B b

CA.

De cons. dist. 3. De penitentibus, c. 17.

23. q. 8. c. 15.

Jesuo 6.

33. q. 4. c. 8. & 9.

CAPUT IV.

A media quadragesima presbyteri chrisma pe-
tant. *Antif. c. 6.*

CAPUT V.

Gregorius secundus quadragesimali tempore,
ut in quinta feria jejunium, atque missarum ce-
lebritas fierent in ecclesia, quod antea non ageba-
tur, instituit. *Ex pontif.*

TITULUS XIX.

DE JEJUNIO QUATUOR TEMPO-
RUM, ET ALIORUM DIERUM.

CAPUT I.

SEmp(er) fiat jejunium veris in prima hebdoma-
da quadragesimæ; jejunium vero æstatis infra
hebdomadam pentecostes. *Clarom. sub Urbano
II. cap. 27.*

CAPUT II.

Dist. 76. c. 4. Statuimus, ut jejunia quatuor temporum hoc
ordine celebrentur. Primum in initio quadragesi-
mæ, secundum in hebdomada pentecostes, ter-
tium vero in Septembri, quartum in Decembri
more solito fiat. *Placent. sub Urbano II. c. 15.*

CAPUT III.

Dist. 76. c. 1. dist. 67. c. 1. Jejunium in ordinatione Episcopi, & aliorum.
*Anacl. epist. 2. in princ. Burch. lib. 1. c. 15. Ivo
part. 5. c. 69. decret. Anselm. lib. 6. c. 47.*

CAPUT IV.

Dist. 76. c. 1. Jejunium, quod ter in anno apud nos celebra-
re didicistis, convenientius nunc per quatuor tem-
pora fieri decernimus. Ut sicut annus per quatuor
volvitur tempora, sic & nos quaternum solemne
agamus jejunium per anni quatuor tempora, &
sicut replemur frumento, vino, & oleo ad alenda
corpora, sic repleamur jejunio ad alendas animas,
Zach. 8. c. juxta prophetæ Zachariæ vocem, &c. *Jejunium
quarti, & jejunium quinti, & jejunium septi-
mi, & jejunium decimi erit domui Judæ, &c.
Callist. epist. 1. in princ. Ivo lib. 2. tit. 14. c. 2.
panorm. & part. 4. c. 26. decret.*

CAPUT V.

Dist. 75. c. 4. & 5. Abt. 13. His, qui consecrandi sunt, jejunii, & a jeju-
nantibus sacra benedictio conferatur, &c. Cum
Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spi-
ritus sancti ad evangelium gentibus mitterent
prædicandum, jejunantes, & orantes imposue-
runt eis manus, &c. *Leo epist. 79. c. 1. ad Diosc.
Episcop. Alexand. Ivo lib. 3. tit. 2. c. 6. panorm.
& part. 6. cap. 70. & 71. decret. Anselm. lib. 7.
c. 37. Tarrac. lib. 3. c. 47.*

CAPUT VI.

Dist. 75. c. ult. Ordinationes etiam presbyterorum, & diaco-
norum, nisi certis temporibus, & diebus exerce-
ri non debent, id est quarti mensis jejunio, septi-
mi, & decimi, sed etiam quadragesimalis initii,
ac mediana quadragesimæ die, sabbati jejunio
circa vesperam noverint celebrandas. *Gelas. ep.
1. c. 13. Ivo lib. 3. tit. 2. c. 18. panorm. & part.
6. c. 74. decret. Anselm. lib. 7. cap. 38. Tarrac.
lib. 3. c. 48. & lib. 6. c. 40.*

CAPUT VII.

Si longum, vel triste videtur (*Judeis*) solem-
nitatem sustinere paschalem, & eos nunc ad ba-
ptismum festinare cognoscis, ne quod absit longa
dilatio eorum retro possit animos revocare, cum

fratre nostro Episcopo loci ipsius loquere, ut pœ-
nitentia, ac abstinentia quadraginta diebus indi-
ceta, aut die dominico, aut h celebrerrima festivi-
tas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei mi-
sericordia protegente baptizet, &c. *Greg. Faust.
Defensori ep. 1. c. 24. lib. 7. regist.*

CAPUT VIII.

Ordinationes presbyterorum, seu diaconorum
non nisi quarti, septimi, & decimi mensium je-
junii, sed & ingressu quadragesimali, atque me-
diante, vespere sabbati (*Episcopus vester*) noverit
celebrandas. *Greg. II. epist. 3. ad clerum Tu-
ring. Gelas. epist. 1. c. 13.*

CAPUT IX.

Consilium nostrum requisisti, utrum etiam je-
junandum sit in adventu Domini, cum tamen
sistentiant diversi diversa, quibusdam dicentibus,
sed paucioribus, jejunandum esse tunc temporis,
pluribus vero se asserentibus ad hæc non teneri,
&c. Nos super hoc taliter respondemus, &c. Je-
junium etiam apud nos in adventu Domini agi-
tur. *Innoc. III. Brachar. Episc.*

CAPUT X.

Triduanum jejunium in dominicæ Ascensionis
solemnitate, &c. quo triduo omnes abstineant, &
quadragesimalibus cibis utantur. *Aurel. cap. 29.
al. 27.*

CAPUT XI.

Expleta solemnitate pentecostes in sequenti
septimana a quinta feria in sabbatum per hoc
triduum abstinentia celebretur. *Gerunden. c. 2.
Cæsaraug. c. 2.*

CAPUT XII.

A feria sancti Martini usque ad natalem Do-
mini, secunda, quarta, & sexta sabbati jejunen-
tur, & sacrificium debito, quemadmodum qua-
dragesimale, ordine celebretur. In quibus diebus
canones legendos esse speciali definitione sancimus.
Marisc. c. 9.

CAPUT XIII.

In Kalendis Januarii, quæ propter errorem
gentilitatis aguntur, omnino *alleluja* non decan-
tabitur, in quibus etiam piscem, & olus, sicut,
& in illis XL. diebus, cæteris carnibus abstinentur,
& a quibusdam etiam nec vinum bibitur, &c.
Tolet. IV. c. 10.

CAPUT XIV.

Constituimus, ut quatuor tempora anni ab
omnibus cum jejunio observentur, id est mense
Martio, hebdomada prima. Et feria quarta, &
sexta, & sabbato veniant omnes ad ecclesiam ho-
ra nona cum litanis ad missarum solemniam. Si-
militer in mense Junio hebdomada secunda, feria
quarta, & sexta, & sabbato jejunetur usque ad
horam nonam, & a carne ab omnibus abstineatur.
Similiter in mense Septembri hebdomada tertia,
& in mense Decembri hebdomada, quæ fuerit ple-
na ante vigiliam natalis Domini, sicut est in Ro-
mana ecclesia traditum. *Magunt. c. 34. Capit. lib.
5. c. 86. Burch. lib. 13. c. 2. Ivo lib. 2. tit. 14. c.
7. panorm. & part. 4. c. 35. decret.*

CAPUT XV.

De incerto jejunio quatuor temporum hanc
certitudinem statuimus, ut si Kalendæ Martii in
quar-

Dist. 75. c. ult.

De observat. jejuniorum c. 2. apud Gr. IX. & in 3. coll.

Dist. 76. c. 2.

Dist. 76. c. 5.

quarta feria, siue antea evenerint, eadem hebdomada jejunium celebretur; si autem Kalendæ Martii in quintam feriam, aut sextam, aut sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam jejunium differatur. Simili quoque modo si Kalendæ Junii in quartam feriam, aut antea evenerint, in subsequente hebdomada jejunium celebretur, & si in quintam feriam, aut sextam, aut sabbatum contigerit, jejunium in tertiam hebdomadam reservetur. Et hoc sciendum est, quod si quando jejunium mensis Junii in vigilia pentecostes secundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solemni pentecostes, & tunc propter solemnitatem Spiritus sancti diacones dalmaticis induantur, & *Alleluja* cantetur, & *flexamus genua*, non dicatur. Eodem modo de Septembris jejunio constitutum est, ut si Kalendæ Septembris in quarta feria evenerint, aut antea, jejunium in tertia hebdomada celebretur, & si in quinta, aut sexta, aut sabbato contigerit, in quarta hebdomada jejunandum erit. In Decembri illud observandum erit, ut proximo sabbato ante vigiliam natalis Domini celebretur jejunium, quia si vigilia in sabbato evenerit, simul vigilia, & jejunium celebrare non convenit. *Salegunstadiens. c. 2. post Burch. decr. Ivo lib. 2. tit. 14. c. 8. panorm. & part. 4. cap. 33. decr.*

CAPUT XVI.

Servetur jejunium tam indictum, quam etiam quatuor temporum. *Troslejan. c. 15.*

CAPUT XVII.

Graduum ordinationes recte fiunt, quando jejunia quatuor temporum aguntur. *Lemovic. action. 2.*

CAPUT XVIII.

Non reprehendet nos quispiam, quartam, & sextam feriam observantes, in quibus jejunare secundum traditionem præceptum est, quartam quidem propter initum a Judæis consilium de prodicione Domini, sextam autem, quod ipse pro nobis passus sit, &c. *Petrus Alex. Archiep. serm. de pœnit. can. 15.*

CAPUT XIX.

Callistus constituit jejunium (die sabbati) quater in anno fieri frumenti, vini, & olei secundum prophetam. *Dam. in Callist.*

Vide Nicol. ad consult. Bulg. cap. 4. & 5. hoc lib. tit. XXIII.

TITULUS XX.

DE JEJUNIIS MONACHORUM.

Vide Partis I. Lib. VIII. Tit. XV.

TITULUS XXI.

NE QUISQUAM DIE DOMINICO JEJUNET.

Vide Part. II. Lib. VIII. Tit. XIII.

TITULUS XXII.

CONTRARIÆ SENTENTIÆ GRÆCORUM, ET LATINORUM DE JEJUNIO SABBATI.

CAPUT I.

SI clericus dominicum diem, vel sabbatum uno excepto jejunaverit, deponatur, laicus excommunicetur. *Ap. c. 64.*

CAPUT II.

Sabbato jejunandum esse ratio evidentissima demonstrat, nam si diem dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi non solum in pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac si sexta feria propter passionem Domini jejunamus, sabbatum prætermittere non debemus, &c. Apostolos constat biduo isto in mœreore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse, quod utique non dubium est in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari, quæ utique forma per singulas tenenda est hebdomadas propter id, quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quod si putant semel, atque uno sabbato jejunandum, ergo & dominica, & sexta feria semel in pascha erit utique celebranda, &c. Non ergo nos negamus sexta feria jejunandum, sed dicimus, & sabbato hoc agendum, &c. *Innoc. ep. 1. c. 4. Ivo lib. 2. tit. 14. c. 4. pan. & part. 4. c. 28. decr. Tarr. lib. 5. cap. 70.*

De conf. dist. 3. cap. 12.

CAPUT III.

Quia dies sabbati apud sanctos patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorumdem auctoritatem sequentes salubriter admonemus, ut quicumque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carniū eadem die, nisi majori festivitate interveniente, vel infirmitate impediēte, abstineat. *Greg. VII. in concil. Rom. an. 6. c. 9.*

De conf. d. 5. cap. 31.

CAPUT IV.

De illis, qui in sabbato juxta terrarum consuetudinem aliarum, propter debilitatem, quam in se sentiunt, carnes sumunt, quod in partibus tuis nullatenus fieri consuevit, cum ab aliis moleste feratur, & oriatur in illis occasio de retrahendi, tale tibi damus responsum, quod super hoc tuæ consuetudinem regionis facias observari, sic tamen, quod debilibus, & infirmis propter hoc periculum non emergat. *Innocent. II. Episcop. Brachar.*

De observ. jejun. c. 2. ap. Greg. IX. & in 1. coll.

CAPUT V.

Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die jejunorum superpositionem celebremus. *Eliber. cap. 26.*

CAPUT VI.

Omnes ecclesiæ filii, exceptis diebus dominicis in quadragesima etiam die sabbato, sacerdotali ordinatione, & distinctionis comminatione jejunent. *Agath. c. 12.*

De conf. d. 1. Placuit, c. 3.

CAPUT VII.

Neque per sabbata absque infirmitate quisquæ solvat quadragesimale jejunium, nisi tantum die dominico prandeat, quod sic fieri specialiter patrum statuta sanxerunt. Si quis hanc regulam irruerit, tamquam transgressor disciplinæ a sacerdotibus censeatur. *Aurel. IV. c. 2.*

CAPUT VIII.

Servetur canon jubens, ut si clericus inventatur dominica jejunare, vel sabbato, uno tantum excepto, deponatur, laicus excommunicetur. *Trull. c. 55. vid. Apost. c. 65.*

CAPUT IX.

Innocentius constituit sabbato jejunium celebrari, quia sabbato Dominus in sepulchro positus est, & discipuli jejunaverunt. *Ex Pontif. in addit.*

TITULUS XXIII.

QUIBUS DIEBUS OPORTEAT CHRISTIANOS A CARNIBUS ABSTINERE.

CAPUT I.

De cons. d. 5. cap. 31.

Quia dies sabbati apud sanctos patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorum auctoritatem sequentes salubriter admonemus, ut quicumque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carniū eadem die, nisi majore festivitate interveniente, vel infirmitate impediēte, abstineat. *Syn. Rom. sub Greg. VII. c. 8. ann. VI. XIII. Kal. Dec. Tarrac. lib. 5. cap. 52.*

CAPUT II.

Nullus Christianus a capite jejunii, usque ad pascha carnem comedat. *Clarom. sub Urbano II. c. 23. vide Telesphor. epist. 1. in tit. de numero dierum quadragesimæ c. 1. Cognoscite.*

CAPUT III.

In diebus jejuniorum, in quibus per abstinentiam, & lamentum pœnitentiæ præcipue Domino supplicandum est, modis omnibus est a carnibus abstinendum. Quoniam licet omnibus orare, & abstinere conveniat, jejuniorum tamen temporibus amplius abstinentiæ inservire oportet, videlicet, ut qui se meminit, illicita perpetrassē, secundum sacra decretalia, in his etiam a licitis se quibusdam abstineat, quadragesimali videlicet tempore, quod est ante pascha, jejunio post pentecostem, jejunio ante solemnitate assumptionis sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Domine nostræ Mariæ, nec non in jejunio ante natalis Domini nostri Jesu Christi festivitatem quæ jejunia sancta Romana suscepit antiquitus, & tenet ecclesia. In sexta vero feria omni hebdomade & in cunctis vigiliis insignium festivitatum, a carnium esu cessandum, & jejunii incumbendum, ut veraciter cum psalmo dici valeat: *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum letitia.* *Nicol. ad consulta Bulgar. c. 4.*

Psalm. 129.

CAPUT IV.

Sexta feria passionem dominicam, & Apostolorum mœstitiam recolentes, ab omnium carniū epulis, & pinguedine gustus noster arcendus, præter si natiuitas Domini, & epiphaniarum ejus, aut festivitas beatæ matris Domini, & Virginis Mariæ, seu Apostolorum principis Petri, & Pauli, atque sancti Joannis Baptistæ, seu B. Joannis Evangelistæ, necnon & clavigeri cæli germani, Andreæ scilicet Apostoli, quin etiam & beati Stephani protomartyris ipso die fortassis venire contigerit, nam quod sancta ecclesia, vel fidelis anima, in festivitate sanctorum, jejunia, vel abstinentias, quæ non sunt perpetuo voto propositæ, solvere debeat, Dominus testatur in Evangelio dicens: *Mulier cum parit, tristitiam habet, cum autem peperit puerum, jam non meminit presuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* *Nicol. ad consulta Bulgar. c. 15.*

Joann. 1.

CAPUT V.

Si eodem die (quo baptismus suscipitur) licitum sit, carnes comedi, vel quot in consequentibus ab his sit abstinendum, requiritis, &c. A carnibus ipso die, his, qui sabbato sancto, vel sabbato pentecostes baptizati fuerint, proculdubio abstinere convenit, Consequentibus vero septem diebus, qui a veteribus dies azymorum dicebantur, & diei resurrectionis dominicæ conjuncti rite celebrantur, si quisquam quandoque carnibus vesci affectat, multo magis edere carnes oportet. *Nicol. ad consult. Bulgar. c. 69.*

CAPUT VI.

Cum quæ sit illis pœnitentia iungenda quæ fieris, qui diebus quadragesimalibus, tempore illo, quo tantæ famis inedia ingruerat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti, tibi breviter respondemus, quod in articulo tali illos non credimus puniendos, quos tam urgens necessitas excusavit preces domino pro illis, & cum illis, ne ipsis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur, effundas. *Innoc. III. Episc. Bracar.*

De observ. jejun. c. 2. ap. Greg. IX. in 3. coll.

CAPUT VII.

Item secunda litania faciēda est Kal. Novembris, ea tamen conditione servata, ut si eisdem diebus dominica intercesserit, in alia hebdomada secundum prioris abstinentiæ observantiam a quinta feria incipiatur, & in sabbato vespere missa facta finiatur, quibus tamen diebus a carnibus & vino decrevimus abstinendum. *Gerund. c. 3.*

CAPUT VIII.

Kalendis Januarii præter piscem, & olus, sicut & in quadragesimæ diebus, carnibus abstinetur, & a quibusdam etiam nec vinum bibitur. *Tolet. IV. c. 10.*

CAPUT IX.

Feria IV. VI. & sabbato (quatuor temporum) Dist. 76. c. 2. jejunetur usque ad horam nonam, & a carne ab omnibus abstinetur. *Magunt. c. 34. Capitular. lib. 5. c. 86. Burch. lib. 13. cap. 2. Ivo lib. 2. tit. 14. c. 7. pan. & part. 4. c. 35. decret.*

CAPUT X.

Ut quatuordecim dies omnes Christiani ante festivitatem sancti Joannis Baptistæ in abstinentia sint carnis, & sanguinis, nisi infirmitate impediēte, aut alicujus festi solemnitate, quæ in illo Episcopio celebris habetur, intercedente. Et ante natiuitatem Domini similiter, & in vigilia epiphaniæ, & in omnium vigiliis Apostolorum, & in vigilia assumptionis sanctæ Mariæ, & in vigilia sancti Laurentii, nec non etiam in vigilia omnium Sanctorum, adiacentes prædictis vigiliis unam horam refectiois, excepta infirmitate, & nisi aliquid sit, qui proprio voto majori abstinentia uti velit. *Salegunst. cap. 1. post Burch. decret. Ivo part. 15. cap. 168. decret.*

TITULUS XXIV.

DE CIBIS OLIM PROHIBITIS.

CAPUT I.

Episcopus, presbyter, diaconus, clericus, qui comederit carnem in sanguine animæ suæ, vel a fera occisum, vel morticinia, deponatur, id

id

idenim lex vetat, laicus excommunicetur. *Apost. c. 63. Trull. c. 67.*

CAPUT II.

De his Christianis, qui inter eos, a quibus fuerant captivati, immolatiis cibis asseruntur polluti, consultationi tuæ hoc respondendum esse credimus, ut pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensanda est. Et si hoc terror extorserit, siue fames suaserit, non dubitetur abolendum, cum hujusmodi cibus pro metu, aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus. *Leo epist. 77. c. 5. ad Nicetam Aquilejen. Episcopum.*

CAPUT III.

Qui convivio solo gentilium, & escis immolatiis usi sunt, possunt jejuniis, & manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem idola adoravere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti. *Leo epist. 90 in fin. ad Rusticum Narbon. Episcopum.*

CAPUT IV.

Dei immolatiis escis consulisti, si a fidelibus supradictum fuerit vivificæ crucis signum, edi liceret, an non. Illud sufficit respondere, quod beatus Apostolus dicit: „ Si quis dixerit, hoc immolatum *est, nolite edere propter eum qui judicavit, & propter conscientiam “. *Greg. III. epist. 4. ad Bonif. Episcopum in medio.*

CAPUT V.

Animalia, siue volatilia, si sine ferro mactentur, & solo ictu hominis percussa moriantur, si liceat comedere sciscitami. De hoc sanctus Augustinus contra Faustum Manichæum pleniter scripsit, de cujus verbis nos modicum quid nunc propter prolixitatem tangimus: „ Ubi, inquit, „ ecclesia gentium talis est: Ita est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis jam hoc „ Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu a „ cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est, & qui forte pauci adhuc tangere ista „ formidant, a cæteris irridentur, ita omnium animos in hac retinuit illa sententia Veritatis: „ Non quod intrat in eos vestrum, vos coinquinat, sed quod exit “. *Nicol. ad consulta Bulgavor. cap. 90.*

CAPUT VI.

Neque quod christianus persequitur, & a pagano percutitur, & occiditur animal, neque quod paganus persequitur, & christianus occidit, a christiano comedendum est, ne videlicet fidelis cum infideli saltem in modico communicasse videatur. *Quæ enim pars fidei cum infideli? Et rursus propter conscientiam, non fidelis utique, sed infidelis gloriantis scilicet, quod sibi a christiano fuerit communicatum, ac per hoc autumantis, eo quod non fuerit a fidei spretus, quod vanitas erroris sui a christiano extiterit approbata. Nicol. ad consult. Bulg. c. 91. Ivo part. 11. c. 87. decret.*

CAPUT VII.

Si quis carnem edentem præter sanguinem, & idolothyta, & suffocata cum pietate, & fide dijudicet, quod propterea spem non habeat, anathema sit. *Gangr. cap. 2. vide Apost. cap. 51. 53. Ancyr. cap. 14. Ivo part. 4. cap. 30. decret.*

CAPUT VIII.

Qui cibis idolorum cultibus immolatis gustu illicitæ præsumptionis uruntur, ab ecclesiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi, qui bestiarum moribus extincto, vel quolibet morbo, aut casu suffocato vescuntur. *Aurel. II. cap. 20.*

CAPUT IX.

Non cibi nos gravant, sancte Papa, si captivi ea comederint, quæ qui dominium in eos obtinent, eis apposuerunt, maxime quando una de omnibus fama est, barbaros, qui in nostras regiones incursiones fecerunt, idolis non sacrificasse. *Greg. Taumarung. de his, qui in barbarorum incursione idolothyta comederunt, & alia peccarunt, cap. 1.*

TITULUS XXV.

NE QUISQUAM CARNIUM CIBOS, AUT VINUM HÆRETICORUM MORE DEFESTETUR.

Vide in Partis I. Lib. XI. Tit. XXIX.

TITULUS XXVI.

DE AGAPE, ET DE IIS, QUI FACIUNT AGAPAS.

CAPUT I.

SI quis contempserint ex fide agapas facientes, & in honorem Domini fratres vocantes, neque velit communicare in vocatione quasi contemnat, quod fit, anathema sit. *Gangr. cap. 2. Burch. lib. 19. cap. 124. Ivo part. 15. cap. 136. decret.*

CAPUT II.

Quæ abundantia liberalitatis fratrum largitiones in ecclesiis in pauperes fiunt, beatas dicimus. *Dist. 41. c. 5. Parsimoniam. Gangren. in fine. Ivo part. 8. cap. 321.*

CAPUT III.

Episcopi, vel clerici in ecclesia non conviventur, nisi forte necessitas hospitii id cogat, & populi ab hujusmodi conviviiis, quoad fieri potest, arceantur. *Carthag. cap. 42. G. Carthag. III. cap. 30. L. Afric. cap. 59. Burch. lib. 3. cap. 83. Ivo part. 3. cap. 47. decret.*

CAPUT IV.

Non oportet clericos, vel laicos vocatos in agapen, partes tollere, quia injuria fit ordini ecclesiastico. *Laod. cap. 27. Ivo part. 3. cap. 128. decret.*

CAPUT V.

Non oportet in domibus dominicis, vel ecclesiis agapas facere, & in Dei domo comedere, & accubita sternere. *Laod. cap. 28. Trull. cap. 74. vide cap. 76. Trull. & cap. 9. Antisiod. Burch. lib. 3. cap. 82. Ivo part. 3. cap. 73. decret.*

CAPUT VI.

Qui agapem pauperum defraudant, apud sanctos patres eorum necatores vocantur. *Trullent. part. 2. cap. 4.*

CAPUT VII.

Qui voluerint eulogias, a presbytero accipiant,

1. Cor. 10.
Rom. 14.
* immolati-
cium, f.

Mat. 10.

2. Cor. 6.

piant, & panem tantum frangentes, singulos accipiant biberes, & nihil amplius contingere præsumant, & sic unusquisque ad sua cum benedictione Domini redeat. *Nannet. cap. 15.*

TITULUS XXII.

COMMUNIA DE JEJUNIO.

CAPUT I.

SI quis desiderat baptizari, &c. jejuniis frequentibus operam impendat. *Clem. epist. 3. ante med.*

CAPUT II.

In paschate tantum, & pentecoste ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit sacramenta, his dumtaxat catechumenis electis, qui ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint, & exorcismis, quotidianisque orationibus, atque jejuniis fuerint expiati, &c. *Syric. epist. 1. cap. 2.*

CAPUT III.

Dist. 75. c. 4. & 5.

Jejunium temporum ordinationum. *Leo epist. 79. cap. 1. ad Diosc. Alexandr.*

CAPUT IV.

*De Feriis c. 3. apud Gr. IX. & in 2. coll. & de pœnit. c. 6. * fuerit, al.*

Si illi, qui aliquos dies in pane, & aqua ex injuncta sibi pœnitentia tenentur peragere, panem, quo vescantur, non habent, leguminibus, aut piscibus, aut aliis cibariis, si necessitas exegerit*, reficiantur, moderata tamen discretione habita, quod his non ad delitias, sed ad necessariam solummodo sustentationem utantur. *Alex. III. Archiep. Triburien. & ejus suffraganeis.*

CAPUT V.

Jejunia, seu abstinentias per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Julii, & Augusti ob eorundem infirmitatem. *Elib. cap. 23. Ivo lib. 2. tit. 14. cap. 5. panorm. & part. 4. cap. 31. decret.*

CAPUT VI.

26. q. 7. c. 6. Sacerdos.

Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a sacerdotibus imponantur. *Carth. IV. cap. 80. L.*

CAPUT VII.

Jejunia quando generaliter pro aliqua necessitate indicuntur, diligenter ab omnibus custodienda sunt, & observanda. Nec si aliquis improbitate gulæ patiat corrupti, ut de communi consortio sequestratus effectum jejunii, quæ cum cæteris abstinentendo consequi debuit, ingluvie ventris victus turpiter amittat. *Turon. sub Carolo cap. 47.*

CAPUT VIII.

** mentem.*

Pinguis venter non gignit sensum* tenuem, tantum tibi jejuniorum impone, quantum ferre potes. Sint tibi jejunia pura, casta, simplicia, moderata, & non supersticiosa. Quid prodest oleo non vesci, & molestias qualdam, difficultatesque ciborum querere, carycas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? tota hortorum cultura versatur, ut cibario non vescamur pane. Audio præterea quosdam contra hominum, rerumque naturam aquam non bibere, non vesci pane, sed sorbitiunculas delicatas, & contrita olera, betarumque succum non calice forbere, sed concha. Fortissimum jejunium est aqua, & panis, sed quia gloriam non habet, & omnes pane, & aqua vivimus, quasi publicum, &

commune, jejunium non putatur. *Hieronym. ad Nepotianum apud Aquisgr. cap. 94.*

CAPUT IX.

Decretum est, ut omnes bannitum jejunium in quocumque Episcopio celebratur, diligentissime observent, & si quis illarum octo interdictarum rerum aliquam redimere voluerit, unum pauperem, prout sua facultas erit, eadem die reficiat. *Salgunstadien. cap. 15. post Burch. decret. Ivo part. 15. cap. 181. decret.*

CAPUT X.

Non liceat quemlibet clericum die dominico ab ecclesia absentem esse, sed missarum solemnibus interesse, & jejunio. *Mart. Brachar. c. 65.*

CAPUT XI.

Non reprehendet nos quispiam quartam, & sextam feriam observantes, in quibus nobis jejunare secundum traditionem præceptum est, quartam quidem propter initum a Judæis consilium de prodicione Domini; sextam autem, quod ipse pro nobis passus sit. *Petrus Archiep. Alemand. & martyr. in serm. de pœnit. c. 15.*

De jejuniis, quæ imponebantur perjuris, & homicidis, & aliis peccatoribus, cum pœnitentiam agebant. Vide libros de pœnis peccatorum in III. Parte.

TITULUS XXVIII.

DE VIGILIIS.

CAPUT I.

Bonorum operum inter cætera, ac negotia sunt quantum unusquisque sapit, & potest totis intimi cordis visceribus Deum diligere, &c. vanas, & caducas non amplecti delicias, jejunium, & vigiliis sanctas amare. *Petrus Apost. Clem. epist. 1. ante fin.*

CAPUT II.

Has septem hebdomadas ante pascha omnes clerici a carne & deliciis jejunent, & hymnis, & vigiliis, atque orationibus Dominos inhærere noctuque studeant. *Telesph. ep. 1. in princ. Ivo lib. 2. tit. 14. c. 1. panorm. & part. 4. cap. 25. decret. Anselm. lib. 7. c. 165. Casar. lib. 11. c. 20. Tarrac. lib. 4. c. 60.*

CAPUT III.

Ex parte vestra fuit quæsitum a nobis, utrum si nativitatem Domini, vel Assumptionem B. Mariæ, vel festivitatem Apostolorum in secunda feria contigerit evenire, die sabbati præcedenti vigilia debeat jejunari, & utrum B. Matthiæ Apostoli vigilia sit jejunium injungendum. Ad quod breviter duximus respondendum, quod die sabbati festivitates prælibatas secundæ ferie præcedenti, & B. Matthiæ Apostoli debet vigilia jejunari. *Innoc. III. in epist. ad clericos S. Petri, & Magdalonen.**

Dist. 4. Statuimus, c. 4.

De obser. jejunior. c. 1. apud Greg. IX. & in 3. coll.

** In Magalonen.*

CAPUT IV.

Consilium nostrum requisisti, utrum in omnibus sit Apostolorum vigiliis jejunandum cum quidam asserant, non esse jejunandum in omnibus, sed sex tantum, &c. Utrum insuper, si festum illorum, quorum vigiliis jejunamus, secunda contingat feria celebrari, in præcedenti sabbato sint vigiliæ jejunandæ. Nos super hoc taliter respondemus, quod apud nos omnium Apostolorum

De obser. jejun. c. 2. ap. Gr. IX. & in 3. coll.

rum

rum vigiliae in observatione jejunii celebrantur, prae-ter vigili- as Apostolorum Philippi, & Jacobi, beati Joannis Evangelistae, quoniam illorum festi- vitas infra solemnitatem paschalem, istius autem natalem Domini celebratur, &c. Sanctorum vi- gilias, quorum festivitates oportet secunda feria celebrari, jejunamus in sabbato praecedenti, &c. Innoc. III. *Beachar. Episc.*

CAPUT V.

Ne foeminae in coemeterio privigilent, eo quod saepe sub obtentu orationis scelera latenter com- mittant. *Elib. c. 35.*

CAPUT VI.

Dist. 91. c. 3. Clericus, qui absque sui corporis inaequalitate vigiliis deest, stipendiis privatus * excommuni- cetur. *Carth. IV. c. 49. Casar. lib. 4. c. 112.*

CAPUT VII.

Dist. 50. c. 26. de his. Qui altari ministrant, ab omni humano san- guine, etiam hostili se abstineant. Quod si in hoc inciderint, duobus annis vigiliis, jejniis, oratio- nibus, & elemosynis expientur. *Ilerd. c. 1.*

CAPUT VIII.

mansar. Non licet compensas * in domibus propriis, nec vigili- as in festi- vitatibus sanctorum facere nec inter- ferentes, aut arbores sacras vel ad fontes vo- ta extolvere, sed quicumque votum habuerit, in ecclesia vigilet, & matricolae ipsum votum, aut pauperibus reddat, &c. *Antisiod. cap. 3. Vide cap. 5.*

CAPUT IX.

Non licet in vigilia paschae ante horam secun- dam noctis vigili- as expedire, quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere, nec in na- tali Domini, nec in reliquis solemnitatibus. *Antisiod. c. 11.*

CAPUT X.

Antiqua est vigiliarum devotio, familiare bo- num omnibus sanctis. Elaias denique propheta exclamat ad Dominum, dicens: *De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus, quia lux praecpta tua sunt super terram.* Item David & regio, & pro- phetico sanctificatus unguento, ita canit: *Media nocte surgebam, ad confitendum tibi super ju- dicia justitiae tuae.* Hoc namque tempore vastator Angelus transiens, primae g. nita Aegyptiorum percul- sit. Unde & nos vigilare oportet, ne periculo Aegyptiorum admisceamur. Iisdem etiam horis venturum se esse in Evangelio Salvator asseruit. Unde & ad vigilandum auditores suos exsusci- tans, dicit: *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes. Et si vespertina (inquit) hora venerit, & si media nocte, & si in galli cantu, & invenerit eos vigilantes, beati sunt servi illi. Itaque, & vos estote parati, quia nescitis, qua hora filius hominis venturus est.* Si quidem nec verbis solum docuit vigili- as, sed etiam confirmavit exemplo. Nam testatur E- vangelium, quia erat *Jesus pernoctans in oratio- ne Dei.* Paulus quoque & Silas in custodia publi- ca circa medium noctis orantes, hymnum, audien- tibus cunctis, juncti dixisse memorantur, &c. Est autem quoddam genus haeticorum, superfluas existimantium sacras vigili- as, & spiritali opere infructuosas, dicentium jura temerari divina, qui

noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem. Qui haetici graeco sermone Nyctazontes, hoc est, somniculosi vacantur. *Isidor. de offic. lib. 1. c. 22. apud Aquisgr. c. 130.*

CAPUT XI.

Vigilia nativitat- is Domini, paschae, penteco- fles, litania major, tres dies rogationum, vigilia sancti Joannis Baptistae, Apostolorum Petri & Pauli, S. Laurentii, Assumptionis B. Mariae, S. Bartholomaei, S. Matthaei, Apostolorum Simonis & Judae, omnium Sanctorum, sancti Andree, sancti Thomae Apostoli. *Oxonien. c. 4.*

TITULUS XXIX.

DE LITANIIS.

CAPUT I.

CUM Deo auxiliante ad propria veneritis, je- junium indicite, litani- am celebrate, rogan- tes, & obsecrantes pi- um & misericordem Do- minum, ut furorem mitiget, iram a populo aver- tat, &c. & ad protectionem, & exaltationem fan- ctae suae ecclesiae spiritualem filium nostrum ex- cellentissimum, scilicet Imp. Lambertum confer- vet, & barbararum gentium illi colla subiciat sua potenti dextra Jesus Christus Dominus nos- ter. *Syn. Ravenn. sub Joann. IX. part. ult. c. ult.*

CAPUT II.

Praedica jejunium, & supplicationes apud Do- minum litaniarum, & superveniens ejus clemen- tia adjuvabit te. *Zach. epist. 4. in princ. ad Bonifacium Episc.*

CAPUT III.

Solemnitas annuae devotionis nos, filii dile- ctissimi, admonet, ut litani- am, quae major ab om- nibus appellatur, sollicitis ac devotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare, per qua- a nostris excessibus ejus misericordiae supplicantes purgari aliquatenus mereamur, &c. *In registro epist. initio lib. 2. S. Gregorii.*

CAPUT IV.

De litaniis majoribus & solemnibus, & de usu pallii in eis. *Greg. lib. 7. regist. epist. 76. indict. II. Castorio Rav. Notario, & lib. 2. indict. II. epist. 54. Joann. Episc. Rav.*

CAPUT V.

Quomodo fieri potest (ut pallium in litaniis ferre, cineris, atque cilicii tempore, per plateas inter populorum strepitus agas licite, &c. *Greg. Jo. Episc. Ravennat. lib. 2. regist. indict. II. epist. 54.*

CAPUT VI.

Hortor, fratres carissimi, ut omni hebdomada quarta, & sexta feria litani- am inexcusabiliter in- dicatis, & contra barbaricae crudelitatis incurfus supernae protectionis auxilium imploreris, &c. *Greg. Episcopis Sicilia lib. 9. regist. indict. 4. epist. 45.*

CAPUT VII.

Oportet fratres carissimi, ut flagella Dei, quae metuere ventura debui- mus, saltem praesentia, & experta timeamus, &c. Proinde, fratres cari- simi, contrito corde, & correctis operibus crasti- na die primo diluculo ad septiformem litani- am, juxta distributionem inferius designatam, devo- ta mente cum lachrymis veniamus, &c. Litania cle-

clericorum exeat ab ecclesia B. Joannis Baptistæ. Litaniam virorum ab ecclesia B. martyris Marcelli. Litaniam monachorum ab ecclesia martyrum Joannis & Pauli. Litaniam ancillarum Dei ab ecclesia beatorum martyrum Cosmæ & Damiani. Litaniam sceminarum conjugatarum ab ecclesia beati primi martyris Stephani. Litaniam viduarum ab ecclesia beati martyris Vitalis. Litaniam pauperum & infantium ab ecclesia beatæ martyris Cæcilie, &c. *Greg. in serm. tempore mortali-
tatis lib. 11. reg. c. 2.*

CAPUT VIII.

Accepto consilio, hoc statuimus, ut post tri-
duanum jejunium, post litanias, & multorum
orationem, &c. statueremus, quod melius de ele-
ctione Romani Pontificis videretur, &c. *Gr. VII.
lib. 1. regist. epist. 1.*

CAPUT IX.

Pro excellentissimo Carolo Rege, seu liberis
ejus omnes Episcopi, presbyteri, seu Abbates
& monachi in unum collecti, in quantum extre-
mitas nostra prævalet, psalmodiam, missarum
solemnia, atque litaniarum officia omnipotenti Deo
devotissime exsolvere decrevimus. *Arel. III. c. 2.*

CAPUT X.

*De cons. d.
5. c. 3.* Rogationes, id est litanias ante ascensionem
Domini placuit celebrari, ita ut præmissum tri-
duanum jejunium in Dominicæ ascensionis so-
lemnitate solvatur. Per quod triduum servi, &
ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs uni-
versa conveniat, quo triduo omnes abstineant,
& quadragesimalibus cibis urantur. *Arel. c. 27.
alias 29. Ivo part. 4. c. 11. decret.*

CAPUT XI.

*De cons. c.
alt.* Clerici vero, qui ad opus sanctum (*litaniarum*)
adesse contempserint, secundum arbitrium Epi-
scopi ecclesiasticam suscipiant disciplinam. *Au-
rel. c. 28. alias 30.*

CAPUT XII.

De litaniam, ut explera solemnitate pentecostes,
sequenti septimana, a quinta feria usque in sab-
batum per hoc triduum abstinentia celebretur.
Gerunden. c. 3.

CAPUT XIII.

Secunda litaniam faciendam est Kal. Novemb. si
iisdem diebus dominica intercesserit, in alia heb-
domada, secundum prioris abstinentiæ observan-
tiam, a quinta feria incipiat, & in sabbato ves-
pere missa facta finiatur. *Gerunden. c. 3.*

CAPUT XIV.

Ad calcandam gentiliam consuetudinem pa-
tres nostri statuerunt, privatas in Kalend. Janua-
rii fieri litanias. *Turon. II. c. 18.*

CAPUT XV.

*De cons. d. 3.
cap. 25.* Episcopi adveniente natalis Domini die, ad-
stante populo, post lectionem evangelicam nun-
tiant, & convenientes in unum vicinæ ecclesiæ
per triduum cum psalmis per sanctorum basilicas
ambulantes celebrent litanias. Tertio autem die
celebratis hora nona, sive decima missis, dimis-
so populo præcipiant quadragesimæ jejunii ser-
vare*, & mediante quadragesima ex viginti die-
bus baptizandos infantes ad exorcismi purgatio-
nem offerre. *Bracharenf. II. cap. 9.*

* jejunia
servare.

CAPUT XVI.

Placuit etiam universis fratribus, ut in prima
hebdomada noni mensis, hoc est ante diem do-
minicam, quæ in prima in ipso mense illuxerit,
litaniam, sicut ante ascensionem Domini sancti
Patres fieri decreverunt, deinceps ab omnibus ec-
clesiis, seu parochiis celebrentur. *Lugdun. cap. 6.*

CAPUT XVII.

Quando presbyteri in parochiis ordinantur, *Dist. 38. c. 2.*
libellum officialem a suo sacerdote accipiant, &c.
ne per ignorantiam etiam in ipsis divinis sacra-
mentis offendant, ut quando vel ad litanias, vel ad
concilium venerint, rationem Episcopo reddant,
qualiter susceptum officium celebrent, vel bap-
tizent. *Toletan. IV. cap. 25. vide Arelat. sub
Carolo cap. 4. Ivo lib. 3. tit. 2. cap. 16. panorm.
C part. 3. c. 129. decret. Anselm. lib. 7. c. 104.*

CAPUT XVIII.

A die iduum Decemb. litaniam triduo ubique
annua successione peragatur, & indulgentia deli-
ctorum lachrymis impetretur. Quod si dies do-
minica intercesserit, in sequenti hebdomada cele-
bretur, &c. *Tolet. V. cap. 1. confirmatur To-
let. VI. cap. 2.*

CAPUT XIX.

Quamquam priscorum patrum constitutio
per totum annum, per singulorum mensium cur-
sum litaniarum votum decrevit persolvendum,
nec tamen specialiter sanxerit pro quibus causis
id ipsum peragendum, &c. In commune statuen-
tes decernimus, ut deinceps per totum annum
in cunctis duodecim mensibus per universas Hi-
spaniæ, & Galliarum provincias, pro statu ecclesiæ
Dei, pro incolumitate Principis nostri, atque sal-
vatione populi, & indulgentia totius peccati, &
a cunctorum fidelium cordibus expulsionem diaboli
exomologesis votis gliscentibus celebretur, &c.
Tolet. XVII. c. 6.

CAPUT XX.

Venimus in civitatem Moguntiam, ibique pa-
riter adunati Episcopi, primitus cum litaniam, tri-
duanum celebravimus jejunium, &c. *Magunt.
concil. in præfatione ad Carolum Augustum.*

CAPUT XXI.

Litaniam græco nomine appellantur, quæ lati-
ne dicuntur rogationes. Inter *λιτανείας* autem, &
ἐξομολογήτες hoc differt, quod exomologesis pro
sola peccatorum confessione agantur; litaniam ve-
ro indicantur propter rogandum Deum, & im-
petrandum in aliquo misericordiam ejus. Sed jam
nunc utrumque vocabulum sub una dignatione
habetur. *Magunt. cap. 32. Isidor. lib. 6. etymo-
log. cap. ult. in fin.*

CAPUT XXII.

Placuit nobis, ut litaniam major observanda sit
a cunctis Christianis diebus tribus, sicut legen-
do reperimus, & sicut sancti patres nostri insti-
tuerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus
induti, sed discalceati, cinere & cilicio induti,
nisi infirmitas impediatur. *Magunt. c. 33. Capitul.
lib. 5. cap. 85. Ivo part. 4. c. 39. decret. Burch.
lib. 13. cap. 6.*

CAPUT XXIII.

Constituimus, ut quatuor tempora anni ab *Dist. 76. c. 2.*
omni-

omnibus cum jejuniis observentur, id est, mense Martio, hebdomada prima, & feria quarta & sexta, & sabbato veniant omnes ad ecclesiam hora nona cum litanis ad missarum solemniam. *Magunt. cap. 34. Capitul. lib. 5. cap. 86. Burch. lib. 13. cap. 2. Ivo lib. 2. tit. 14. cap. 7. panorm. & part. 4. cap. 35. decret.*

CAPUT XXIV.

De litanis quoque majore, atque de rogationibus ventilatum est: sed communi consensu ab omnibus electum, atque decretum, juxta morem Romanum VII. Kal. Maii, illam celebrationem, secundum consuetudinem nostrae ecclesiae omittendam*. *Aquisgran. II. sub Ludov. part. 2. cap. 10. Vide Burch. lib. 13. cap. 6. Ivo part. 4. cap. 39. decret.*

CAPUT XXV.

De jejniis, quae indicabantur, & de litanis, & orationibus, quae fiebant, cum celebrabantur concilia. *Vide Magunt. sub Rabano in princ. Metz. cap. ult. Tribur. in princ.*

CAPUT XXVI.

Ubi Deus parcere (*Constantinopolitanis*) clementer dignatus, revelavit beato Proclo Trifagium acclamare, cum ipsi ad propulsandam iram litanias facerent, &c. *Asclepiad. Traliar. Episcop. ad Petrum Antioch. Episc. recitata in V. synod. gener. II. CP. actio. 1. vid. lib. XIX. tit. 20.*

CAPUT XXVII.

Narces, & Pelagius Papa consilio inito, data

litanis a sancto Paucratio cum hymnis, & canticis spiritualibus venerunt ad S. Petrum Apostolum. *Ex Pontifical.*

CAPUT XXVIII.

Honorius fecit constitutum in ecclesia, & decrevit, ut omni hebdomada sabbati die exeat litanis a beato Apollinare, & ad Beatum Petrum Apostolum cum hymnis, & canticis populis omnibus occurrere deberet, &c. *Ex Pontifical.*

CAPUT XXIX.

A domino Papa Gregorio juniore litanis crebro fiebant (*contra Tyberis inundationem*) cumque in oratione & litanis persisteret, per octavam jam diem misertus Deus aquam amovit, & fluvius ad proprium reversus est alveum. *Ex Pontif.*

CAPUT XXX.

Collectis in urbem Toletanam ex provinciis diversis Episcopis, adhortationis extitit instantia, ut tempore congruo, haec religionis per eorum sententiam institueretur observantia, ut a die Idus Decemb. secundum quod eorum decrevit sanctitas, litanis per omnes regni nostri provincias omni debeant celebrari devotionis cura. Quocirca tam sacratissimae electioni, & omni desiderio amplectendae regali auctoritate faventes, &c. decernimus, ut in triduo conscripto, juxta quod reverentissimorum virorum continet decretum, ab omni anima Christiana caelorum domino humilitatis satisfactio dependatur. *Edictum Regis Chintilla apud Toletanum V.*

LIBER DECIMUS.

De Baptismo.

TITULUS I.
DE CATECHIZANDIS, ET
CATECHUMENIS.
CAPUT I.

ANtequam quis baptizetur, docendus est, non statim post gentilitatis conversionem est baptizandus. Multo minus est statim ordinandus Episcopus cum dicat Apostolus: *Non neophytus, ne forte elatus in judicium incidat, & laqueum diaboli.* *Nicanum cap. 2. Mart. Brac. cap. 22. Ivo in prologo panorm. & decret.*

CAPUT II.

Eunomianos, & Montanistas, qui hic dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui eundem esse Patrem, & Filium opinantur, &c. quicumque ex his rectae fidei ascribi volunt, ut Graecos* admittimus, & primo quidem die ipsos christianos facimus, secundo catechumenos, &c. & sic eos catechizamus, sive iniciamus, & curamus, ut longo tempore versentur in ecclesiis, & audiant scripturas, & tunc eos baptizamus. *Constantinopolitanum cap. 7. G.*

CAPUT III.

Quosdam ex vobis comperi esse Apostolicae traditionis oblitos, &c. Ac sine ullis spiritualium

eruditionibus preparationum ita rudibus, & imperitis tradere sacramentum baptismi, ut circa renovandos nihil doctrina ecclesiastica, nihil in exercitiis impositio manuum, nihil ipsa jejunia, quibus vetus homo destruitur, operentur, &c. Admonemus igitur, & non sine periculo status eorum, qui haec faciunt, protestamur, ut ab hac praesumptione cessent. *Leo epist. 78. ad Episc. per Campan. Samnium, & Picenum constitutos cap. 1.*

CAPUT IV.

Haeretici, qui convertuntur, ut Novatiani, Photiniani, vel Thesarescaecatitae, & catechumeni, aut credentes apud eos, non ante suscipiantur, quam anathematizent omnem haeresim, eam praesertim, in qua detinebantur, & qui apud eos appellantur credentes (*πιστοίς G.*) postquam didicerint symbola fidei, uncti sancto chrismate communicent sanctis mysteriis (*sacramentis L.*) *Laodicen. cap. 7. vide Laodicen. cap. 47. infra de agrotis qui baptismum suscipiunt cap. Oportet.*

CAPUT V.

Oportet baptizandos fidem discere, & quinta feria hebdomadae (*magna*) Episcopo, vel presbyteris referre. *Laodic. cap. 46. Trull. 79. Mart.*

C c

De conf. d. 4. c. 8. Baptizandos, & c. 19. Non liceat.

Bra

* non omitt.

Dist. 48. c. 1.

1. Tim. 3.

* paganos.

Brachar, cap. 49. refert Parisiens. sub Ludov. & Lothar. lib. 1. c. 6. Capitul. lib. 7. cap. 404. Anselm. lib. 9. c. 16. Burch. lib. 4. c. 9. Ivo part. 1. cap. 204. decret.

CAPUT VI.

Catechumeni doceantur symbolum. *Brac. II. cap. 1. Vide tit. de his, qui catechumenos docent cap. Episcop.*

CAPUT VII.

In primordio sanctæ Dei ecclesiæ nemo ad perceptionem sacrosancti baptismatis admittebatur, nisi prius & fidei, & baptismatis sacramento fuisset instructus. Quod verba beati Pauli Apostoli probant ita scribentis; *An ignoratis, inquit, fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?* &c. Verum quoniam fides Christi ubique pollet, & parvuli de Christianis parentibus nati, antequam ad intelligibilem ætatem veniant, baptismatis sacramenta percipiunt, necesse est, ut quod imbecillis ætas nequivit, intelligibilis discere latagat. *Paris. sub Ludovico & Lothario lib. 1. cap. 6.*

CAPUT VIII.

Hi qui fidem Christi expetunt, & provecæ ætatis existunt, priusquam ad baptismum accedant, instruendi sunt, & fidei, & baptismatis sacramento. *Parisiens. lib. 1. c. 54.*

CAPUT IX.

Non liceat ante duas septimanas Paschæ, sed ante tres ad baptismum suscipere aliquem. Oportet autem, ut in ipsis diebus hi, qui baptizandi sunt, symbolum discant, & in quinta feria novissimæ septimanæ hoc Episcopo, vel presbytero reddant. *Marr. Brach. c. 49.*

CAPUT X.

Prostrati genibus ipsius (loquitur de quibusdam Judæis) veniam postulabant de suis sceleribus per baptismi remedium, quos suscipiens beatus Antistes cum suis clericis per dies plurimos de disciplina eruditivæ christiana. Ad ultimum vero catechumenos factos, & triduo peracto jejunio, ex aqua, & Spiritu sancto regeneravit eos. *Athanasius in sermone de imagine Christi Berytensi. VII. synod. action. 4. post princ.*

CAPUT XI.

Constitutum est, ut nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis alium suscipiat, neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum, & orationem dominicam memoriter tenuerit, exceptis his, quos ad loquendum ætas minime perduxit. *Theodulph. ad Presbyt. Aurel. c. 22.*

TITULUS II.

DE IIS, QUI CATECHUMENOS DOCENT.

CAPUT I.

QUI catechizant, id est, qui verbo instruunt incipientes, primo oportet, quod ipsi instructi sint, de anima enim agitur hominum, &c. oportet eum, qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, ut pro ingenio discipulorum semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audien-

tis capacitate dirigere. Debet ergo ipse præcipue apprime esse eruditus, & doctus, irreprehensibilis, maturus, impavidus. *Clem. ep. 1. ant. med.*

CAPUT II.

Viduarum, vel sanctimonialium, quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint apto, & sano sermone docere imperitas, & rusticas mulieres tempore, quo baptizandæ sunt, qualiter baptizatori interroganti respondeant, & qualiter accepto baptismate vivant. *Carthaginens. IV. cap. 12. L.*

CAPUT III.

Episcopi visitantes ecclesias, & dioceses discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi teneant, &c. & doceant ignaros, & hoc modis omnibus præcipiant, sicut antiqui canones jubent. Ut ante dies viginti baptismi, ad purgationem exorcismi concurrant catechumeni, in quibus viginti diebus omnes catechumeni symbolum, quod est *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, specialiter doceantur. *Bracar. II. c. 1. Burch. lib. 1. c. 85. & lib. 4. cap. 8. Ivo part. 1. cap. 75. & cap. 203. & part. 5. c. 191. decret. & lib. 1. tit. 2. cap. 32. panorm.*

TITULUS III.

DE CATECHUMENIS, QUI IN PECCATA INCIDERUNT.

CAPUT I.

DE catechumenis lapsis placuit, ut triennio audiant tantum, & postea orent cum catechumenis. *Nicæn. c. 14. G. 13. L.*

CAPUT II.

Catechumenus ingrediens in ecclesiam, & in ordine catechumenorum stans, si peccet, genu inclinatio audiat, si audiens, peccet, eiiciatur. *Neocasav. cap. 5. Burchard. lib. 4. cap. 20. Ivo part. 1. c. 215. decret.*

CAPUT III.

Si ea, quam catechumenus reliquit, duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti. Hoc & circa foeminas catechumenas erit observandum. Quod si fuerit fidelis, quæ ducitur ab eo, qui uxorem inculpatam reliquit, & cum scierit illum separatum ab uxore, quam sine causa reliquit, placuit hujusmodi in fine dari communionem. *Eliber. c. 10.*

CAPUT IV.

Qui aliquando fuerit catechumenus per infinita tempora, & nunquam ad ecclesiam accesserit, si eum de clero quisquam agnoverit voluisse esse christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptismum non negari, eo quod in veteri homine deliquisse videatur. *Elib. c. 45.*

CAPUT V.

Si augur, aut pantomimus credere voluerint, prius artibus suis renuntient, & tunc suscipiantur, ita ut ulterius non revertantur. Si fecerint, proiciantur ab ecclesia. *Eliberit. cap. 62. vide Carthag. c. 64. G.*

CAPUT VI.

Catechumena si per adulterium conceperit, & conceptum necaverit, placuit eam in fine baptizari. *Elib. c. 68.*

CA-

* Alias cum eluerit illum ab uxore, in fine danda est communicatio.

10. q. 1. c. Placuit. 12.

De conf. d. 4. c. 55.

De conf. d. 4. c. 59.

3. q. 1. cap. 12.

CAPUT VII.

5. g. 6. c. 6. Si catechumenus delator fuerit, post quinquennium admittatur ad baptismum. *Eliber. c. 73. Burch. lib. 6. cap. 27. Ivo part. 10. cap. 156. decret. Capitul. lib. 6. c. 244. & lib. 7. cap. 160. in addit.*

TITULUS IV.

DE PRÆPARATIONE, QUAM POSTULAT BAPTISMUS.

CAPUT I.

SI quis fidelis voluerit existere, & desideret baptizari, exutus prioribus malis, de reliquo pro bonis actibus hæres bonorum caelestium ex gestis propriis fiet. Accedat autem qui vult ad sacerdotem suum, & ipsi det nomen suum, atque ab eo audiat mysteria regni caelorum, jejuniis frequentibus operam impendat, ac semetipsum in omnibus prober, ut tribus mensibus jam consummatis, in die festo possit baptizari. *Clem. epist. 3. post princ. Burch. lib. 4. c. 15. Ivo part. 1. c. 210. decret.*

CAPUT II.

In paschate tantum, & pentecoste ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit sacramenta: his dumtaxat electis, qui ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint, & exorcismis, quotidianisque orationibus, atque jejuniis fuerint expiati: quatenus Apostolica impleatur illa præceptio, ut expurgato fermento veteri, nova incipiat esse conspersio. *1. Cor. 5. Syric. epist. 1. c. 2.*

CAPUT III.

In baptizandis electis, qui secundum Apostolicam regulam, & exorcismis scrutandi, & jejuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, duo tantum tempora, id est Pascha, & Pentecosten esse servanda. *Leo epist. 4. cap. 6. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 19. panorm. & part. 1. c. 59. decret.*

CAPUT IV.

Baptizandi nomen suum dent, & diu sub abstinentia vini, & carniarum, ac manus impositione, crebra examinatione baptismum percipiant. *Carthag. IV. cap. 85. Burch. lib. 4. c. 11. Ivo part. 1. c. 206. decret.*

CAPUT V.

Neophyti aliquamdiu a laucioribus epulis, & spectaculis, vel conjugibus abstineant. *Carthag. IV. cap. 86. Burch. lib. 4. c. 12. Ivo part. 1. cap. 207. decret.*

CAPUT VI.

Prostrati genibus ipsius (*Judæi quidam*) veniam postulabant de suis consequi sceleribus per baptismi remedium, quos suscipiens beatus Antistes cum suis clericis, per dies plurimos de disciplina erudivit christiana. Ad ultimum vero catechumenos factos, & triduo peracto jejunio, ex aqua, & Spiritu sancto regeneravit eos. *Athan. in sermon. de imagine Christi Berytensi. VII. syn. act. 4. post princ.*

TITULUS V.

VARIA DE CATECHUMENIS.

CAPUT I.

O Rat ecclesia, ut catechumenis ad regenera-

tionis sacramenta perductis, caelestis aula misericordiae referetur. *Cælestin. epist. 1. c. 11.*

CAPUT II.

Flamines, si fuerint catechumeni, & se a sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora ad baptismum admittantur. *Elib. c. 4.*

CAPUT III.

Gentiles, si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manum imponi, & fieri christianos. *Elib. c. 39.*

CAPUT IV.

Qui ad primam credulitatis fidem accedunt, si bonæ fuerint conversationis, intra biennium temporis placuit ad baptismi gratiam admitti debere, nisi infirmitate compellente coegerit ratio, vel socio subvenire perichitanti, vel gratiam postulanti. *Eliber. c. 42.*

CAPUT V.

Meretrix, quæ aliquando fuerit, & postea habuerit maritum, si postmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit esse recipiendam. *Elib. c. 44.*

CAPUT VI.

Per solemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal, quia si fideles per illos dies sacramenta non mutant, nec catechumenis oportet mutari. *Carth. III. cap. 5. Burchard. lib. 4. cap. 17. Ivo part. 1. cap. 212. decret.*

CAPUT VII.

Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam, & audire verbum Dei, siue gentilem, siue hæreticum, siue Judæum usque ad missam catechumenorum. *Carthag. IV. c. 84. Burch. lib. 3. c. 28. Ivo lib. 2. tit. 4. c. 14. panorm. & part. 3. c. 33. decret. Casar. lib. 4. c. 91.*

CAPUT VIII.

Quod oporteat seorsum, primum post allocutiones Episcoporum, orationes super catechumenos celebrari. Et postquam catechumeni egressi fuerint, super eos, qui sunt in pœnitentia, precem fieri. *Laod. cap. 19.*

CAPUT IX.

Judæi, si ad legem catholicam venire voluerint octo menses inter catechumenos ecclesie limen introeant &c. Sed si in periculo fuerint, & desperati, baptizentur. *Agath. cap. 34. Burch. lib. 4. c. 81. Ivo part. 1. c. 275. decret. & lib. 1. tit. 2. c. 64. panorm.*

CAPUT X.

Incestos inter catechumenos usque ad legitimam satisfactionem manere, & orare præcipimus. *Agath. cap. 61. Burch. lib. 7. c. 5. Ivo part. 9. cap. 14.*

CAPUT XI.

Energumenis catechumenis, in quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de baptismo consulendum. *Araus. cap. 15. Burch. lib. 4. c. 54. Ivo part. 1. cap. 248. decret.*

CAPUT XII.

Placuit catechumenis legi evangelia * apud omnes provinciarum nostrarum ecclesias. *Araus. cap. 18.*

De conf. d. 1. c. 66.

De conf. d. 3. c. 93.

95. 9. 2. c. 8. Deincest.

** non legi in ecclesia, al.*

CAPUT XIII.

Catechumeni nonnumquam admittendi sunt etiam inter domesticas orationes. *Araus. cap. 19. Alias. Ad baptisterium catechumeni numquam admittendi. Ibid. Burch. lib. 4. cap. 18. Ivo part. 1. cap. 213. decret.*

CAPUT XIV.

Segregandi, informandique sunt catechumeni, ut se revocent, & signandos, vel benedicendos semotim offerant eos fideles. *Araus. cap. 20. Alias. Ad fidelium benedictionem, etiam inter domesticas orationes, in quantum caveri potest, segregandi, informandique sunt, ut se revocent. Ad signandos, vel benedicendos semote offerant. Ibid. Burch. lib. 4. cap. 19. Ivo part. 1. cap. 214. decret.*

* al. A fidelium benedictione.

CAPUT XV.

Qui se incestus pollutione commaculant, & in peccato perseverant, usque ad missam tantum catechumenorum in ecclesia admittantur. *Ilerd. c. 4. refert Colon. sub Carolo III. c. 6. Raban. cap. 2. de poenit. Burch. lib. 7. cap. 3.*

35. 9. 2. De his c. 9.

CAPUT XVI.

Antiquos canones relegentes censuimus, ut sacrosancta evangelia, ante munerum illationem, in missa catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus salutaria precepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermones sacerdotis, non solum fideles, sed etiam catechumeni, ac poenitentes, & omnes, qui e diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum praedicatione audita, nonnullos attractos ad fidem evidenter scimus. *Valent. Hisp. c. 1.*

CAPUT XVII.

Catechumenis sine redemptione baptismi defunctis, non oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium. *Brac. c. 35.*

CAPUT XVIII.

Baptisterii, & catechumenorum ventilata est ratio, ut sacerdotes plenius intelligerent, qualiter condignis ordinibus efficerent christianum. *Remens. c. 7.*

CAPUT XIX.

Si puellus catechumenus, utpote annorum septem, vel homo etiam perfectus, dum fieret oblatio, opportune adfuerit, ejusque nescius particeps factus sit, quid debet de eo fieri? Respondeo; debet illuminari, a Deo enim vocatus est. *Timotheus Episcop. Alexandr. in respon. c. 1.*

TITULUS VI.

SACERDOTES HABEANT COGNITAEAE, QUAE PERTINENT AD BAPTISMI SUSCEPTIONEM.

In Part. I. Vide lib. VI. tit. IX, quibus adde:

CAPUT I.

Nullus cujuscumque dignitatis ecclesiasticae deinceps percipiat gradum, qui non totum psalterium, vel canticorum usualium, & hymnorum, sive baptizandi perfecte noverit supplementum. *Tolet. VIII. c. 8.*

CAPUT II.

Episcoporum sit magna sollicitudo presbyteris suis tradere baptismi sacramentum, & quid in eodem renunciandum, quidve credendum sit. *Tu-*

ron. sub Carolo cap. 18. Magunt. sub Raban. cap. 3.

Vide cap. Baptisterii, tit. preced.

TITULUS VII.
DISCANT CHRISTIANI MYSTERIUM BAPTISMATIS.

CAPUT I.

IN primordio sanctae Dei ecclesiae, nemo ad perceptionem sacrosancti baptismatis admittebatur, nisi prius, & fidei, & baptismatis sacramento fuisset instructus, &c. Verum quoniam fides Christi ubique pollet, & parvuli de christianis parentibus nati, antequam ad intelligibilem aetatem veniant, baptismatis sacramenta percipiunt, necesse est, ut quod imbecillis aetas nequivit, intelligibilis discere satagat, quod, quia ab usu christianae religionis propter quorundam incuriam recessit, quantae est negligentiae, quantique discriminis, satis dici non potest. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 6.*

CAPUT II.

Valde periculosum est, & a religione christiana alienum, quod post tanti doni perceptionem (loquitur de baptismo) unusquisque fidelis, cum ad intelligibilem aetatem venit, mysterium baptismatis discere, & intelligere negligit, atque eo intellecto, secundum illud vivere non satagit. Quod periculum, & ad negligentiam pertinere sacerdotum, quid solerter debent annuntiare, & ad auditorum incuriam, qui hoc & intelligere, & adimplere parvipendunt, nulli dubium est. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 9.*

CAPUT III.

Sicut studendum est sacerdotibus, ut auditores sui mysterium sacri baptismatis intelligant, & Deo opem ferente, operibus compleant, ita nihilominus procurare debent, ut abrenuntiationes, quas in diabolum, suaque opera, ejusque pompas fecerunt, intelligant, & his intellectis, ne ad eas denuo redeant, sollicito invigilent. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 10.*

TITULUS VIII.

NEMO BAPTIZETUR INVITUS.

In Part. I. Vide lib. XII. tit. I. & XVII. quibus adde:

CAPUT I.

SI aegroti respondere nequeunt, tunc baptizetur cum eorum voluntatis testimonium, sui suo periculo dederint. *Carth. cap. 45. G. Carth. III. c. 34. L. Afric. c. 12. L. Burch. lib. 4. c. 36. Ivo lib. 1. tit. 2. c. 7. panorm. & part. 1. c. 123. & 230. decret. Casaraug. lib. 12. c. 36.*

CAPUT II.

Hoc tempore lex data est, ut libera voluntate unusquisque christianitatis argumentum sulcipiat. *Carth. c. 109. G. African. c. 75. L.*

CAPUT III.

Subito obmutescens, prout statutum est, baptizari, aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis praeteritae testimonium, aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu. *Araus. cap. 12. Burchard. lib. 4. cap. 38. Ivo part. 1. cap. 232. decret.*

De conf. d. 4. c. 75. Erogantes.

86. q. 6. c. Qui recedunt. 7. in fin.

TITULUS IX.
DE ABRENTIATIONE, QUÆ
FIT IN BAPTISMO.

CAPUT I.

De conf. d. 3. cap. 22. in fin.
Ipsis, (qui baptizantur) quod in baptismo polliciti sunt, summopere est attendendum, ne infideles, sed fideles inveniantur. *Victor epist. 1. post princ. Buxh. lib. 4. cap. 3. Ivo part. 1. cap. 192. decret. in fin.*

CAPUT II.

Omnes, qui christianitatem suscepistis, & a Christo vocabulum christiani sumpstistis, ne in aliquo christianitatem vestram irritam faciatis, sed sponsonem, quam Domino in baptismo fecistis, firmiter teneatis, ne reprobi, sed condigni coram eo inveniamini. *Urban. ep. unic. ante fin.*

CAPUT III.

Episcoporum sit magna sollicitudo, presbyteris suis tradere baptismi sacramentum, & quid in eodem renuntiandum, quidve credendum sit. Renuntiatur ergo diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. Opera ejus intelliguntur, & sunt, homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & multa alia his similia, quæ nimirum diabolico instinctu prius cogitatione mentis concipiuntur, quam opere perpetrantur. Pompæ vero ejusdem sunt, superbia, jactantia, elatio, vanagloria, fastus, & alia quamplurima, quæ ex his oriri videntur. *Turon. sub Carolo c. 18. Magunt. sub Raban. c. 3.*

CAPUT IV.

Rom. 6. Oportet omnes, qui juxta Apostolum in Christo baptizati sumus, Christumque induimus in novitate vitæ ambulare, semperque ante oculos ponere pactum quod cum Domino in baptismo fecimus, ubi abrenuntiavimus Satanæ, & omnibus pompis ejus. Quod pactum tunc irritum fit, cum in fide quis permanendo, vitis, aut a fide exorbitando idolorum cultibus, aut hæresum erroribus implicatur. *Aquil. gr. c. 114.*

CAPUT V.

Pactum, quod cum Deo in baptismo fit, a multis ex toto, a multis ex parte transgreditur; ex toto quippe transgreditur, quando quis post acceptam baptismatis gratiam, aut ad infidelitatem, aut ad hæresim, aut certe ad schisma prolabitur. Ex parte vero quando quis aut ad superbiam, aut ad invidiam, aut ad cetera vitia spiritualia, quæ ex radice superbiæ prodeunt labitur, &c. Constat igitur unumquemque fidelem Deo in baptismo duarum pactationum nexibus se obligare, altera, qua abrenuntiare diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus; altera vero qua se in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum credere profitetur. Unde etiam sub ejusdem sanctæ Trinitatis invocatione baptismatis gratiam consequitur. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 9.*

CAPUT VI.

Studendum est sacerdotibus, ut auditores sui mysterium sacri baptismatis intelligant, &c. ut abrenuntiationes, quas in diabolum, suaque opera, ejusque pompas fecerunt, intelligant, &c. Abrenuntiare igitur diabolo, est penitus eam

respuere, spernere, reiicere, eique contradicere, seque, & unumquemque ab eo alienare, sive aliud quid, quod hoc verbo in hoc sensu exprimi potest. Opera ejus sunt, quæ utique operibus Salvatoris contraria existunt. Primum superbia, &c. Hæc, & his similia sunt, quæ unusquisque fidelis tempore baptismatis a se rejecit, Christoque se mancipavit, pactumque cum Deo fecit, ne poenitus ad ea, quibus abrenuntiavit, rediret. Verum si jura humanæ pactationis firmiter conservantur, fixius tamen atque ferventius, jura tanti pacti, quæ cum Deo facta sunt, inviolabiliter sunt observanda. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 10.*

CAPUT VII.

Renuntiatur (in baptismo) diabolo, & operibus ejus. Opera vero diaboli, opera carnis esse intelliguntur, quæ sunt homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & multa alia his similia, quæ diabolico instinctu prius cogitatione mentis concipiuntur, quam opere perpetrantur. Pompæ vero ejusdem sunt superbia, jactantia, elatio, vanagloria, fastus, & alia quamplurima, quæ ex his oriri videntur. *Magunt. sub Rabano cap. 23.*

CAPUT VIII.

Baptizati renuntiant satanæ, & angelis ejus. *Basil. de Spiritu sancto ad Amphilocho. cap. 27.*

TITULUS X.

DE MATERIA BAPTISMI.

CAPUT I.

*N*isi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. *Christ. apud Joann. cap. 3. num. 5.*

CAPUT II.

Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c. *Christus Matr. cap. ult. num. 19.*

CAPUT III.

Aperiens Philippus os suum, & incipiens a scriptura ista evangelizavit illi Jesum, & dum irent per viam venerunt ad quandam aquam. Et ait Eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari? dixit autem Philippus: si credis ex toto corde, licet; & respondens ait: credo Filium Dei esse Jesum Christum, & iussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum. *Act. 8. num. 35. & seq.*

CAPUT IV.

Respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur ii, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos, & iussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. *Act. 30. num. 47.*

CAPUT V.

Christus dilexit ecclesiam, seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ut sit sancta, & immaculata. *Paul. Ephes. 5. num. 25.*

CAPUT VI.

Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda. *Paul. ad Hebr. cap. 10.*

CA-

CAPUT VII.

Cap. 1. de summ. Trin. Greg. IX. in coll. 4. Sacramentum baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti consecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis, in forma ecclesiae, a quocumque rite collatum proficit ad salutem. *Innoc. III. in conc. gener. Later. cap. 1.*

CAPUT VIII.

Baptizetur unusquisque in aquis perennibus nomine trinae beatitudinis invocato, &c. *Clem. epist. 3. post princ.*

CAPUT IX.

De conf. d. 3. c. 22. Celebritatem. Si necesse fuerit, aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes quocumque loco, vel momento, ubicumque e venerit, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum christiana confessione clarificata baptizentur. *Victor epist. 1. in princ. Burch. lib. 4. cap. 3. Ivo part. 1. cap. 198. decret. Anselm. lib. 9. cap. 60.*

CAPUT X.

Aquam baptismi benedicimus, & oleum unctionis. *Basil. ad Amphilochem de Spiritu sancto cap. 27.*

CAPUT XI.

Constituit (*Victor*) ut necessitate faciente, ubicumque inventus fuisset quicumque hominum ex gentibus veniens, sive in flumine, sive in mari, sive in fonte, sive in stagno, baptizaretur, tantum christianae credulitatis confessione declarata, integer efficeretur christianus. *Damas. in Victor.*

TITULUS XI.
DE FORMA BAPTISMI.

CAPUT I.

Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Christus apud *Matt. cap. ult. num. 19.*

CAPUT II.

De summ. Trin. c. 1. Greg. IX. in 1. coll. Sacramentum baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti consecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis in forma ecclesiae, a quocumque rite collatum proficit ad salutem. Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram poenitentiam semper potest reparari. *Innoc. III. in concil. Later. cap. 1.*

CAPUT III.

Matt. 28. Si Episcopus, vel presbyter juxta Domini constitutionem non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed in tribus sine principio, vel in tribus Filiis, vel in tribus Spiritibus sanctis, deponatur. *Apoth. cap. 49. vid. cap. 50. Burch. lib. 4. cap. 22. Ivo part. 1. cap. 217. decret.*

CAPUT IV.

Baptizetur unusquisque in aquis perennibus, nomine trinae beatitudinis invocato, &c. *Clem. epist. 3. post princ.*

CAPUT V.

In Patre, & Filio, & Spiritu sancto baptizatur, & non in Archangelorum nominibus, sicut haeretici, aut Judaei, aut gentiles dementes faciunt. *Damas. epist. 1. in fine, ex Theodorito lib.*

5. cap. 11. Hist. Eccl. & Cassiod. Hist. trip. lib. 9. cap. 16.

CAPUT VI.

Arianis solum baptismum ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti perficitur, nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptismo, illisque mysteriis arbitramur. *Innocentius epist. 18. cap. 3. Ivo lib. 3. tit. 10. cap. 2. panorm. Anselm. lib. 9. cap. 58. Casar. lib. 13. c. 50. Tarr. lib. 1. c. 27.*

CAPUT VII.

A Paulianistis venientes baptizari praecipiuntur, non ab aliis, &c. Denique baptizatos rite ab Evangelista Philippo Petrus, & Joannes sola manus impositione consumant: illos vero, quos Apostolus Paulus Joannis baptismo baptizatos repererat, interrogavit, an Spiritum sanctum acceperint, fatentibusque se ne illud quidem nomen audisse, jussit eos baptizari. Videtis ergo rite baptizatos illo dono iterari non posse, & aliter sola aqua lotos, baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, &c. quia Paulianistae in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti minime baptizant. *Innoc. epist. 22. cap. 5.*

CAPUT VIII.

Dominus Jesus Christus postea quam resurrexit a mortuis, discipulis suis, in quibus omnes ecclesiarum praesules dicebantur, & formam, & potestatem tradidit baptizandi dicens: *Euntes ergo nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* *Leo epist. 4. cap. 3.*

CAPUT IX.

Dominus Jesus Christus designans in invocatione Trinitatis credentium debere baptismum celebrari dixit: *Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* &c. Si quis Episcopus, aut presbyter juxta praecipitum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed in una persona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus Patribus, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis proiciatur de ecclesia Dei. *Vigil. epist. 1. cap. 6.*

CAPUT X.

Ab antiqua patrum institutione didicimus, ut quilibet, qui apud haesim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris ecclesiae revocentur, &c. [Hi vero haeretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiaci, & Cataphryges, quia & illi Christum Dominum non credunt, & isti sanctum Spiritum perverso sensu quemdam pravum hominem Montanum credunt, quorum similes multi sunt, & alii tales, hi cum ad sanctam ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptismum non fuit, quod in errore positi in sanctae Trinitatis nomine minime perceperunt. *Greg. lib. 9. epist. 61. ad Quirinum Episcop. Ivo part. 1. cap. 153. Casar. lib. 12. cap. 68.*

CAPUT XI.

Quosdam absque interrogatione symboli ab adul-

adulteris, & indignis presbyteris, fassus es, baptizatos. In his tua dilectio teneat antiquum morem ecclesie, quia quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizatus est, rebaptizari eum minime liceat, non enim in nomine baptizantis, sed in nomine trinitatis hujus gratie donum percipit, & teneatur quod Apostolus dicit, *Unus Deus, una fides, unum baptisma*. Doctrinam vero spiritalem talibus studiosius, ut impertias demandamus. *Greg. III. in epist. 4. ad Bonif. in med.*

Ephes. 4.

CAPUT XII.

Illi, qui baptizati sunt per diversitatem, & declinationem linguarum gentilitatis, tamen quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per manus impositionem, & sacri chrismatis unctionem confirmari. *Greg. III. in ep. 5. ad Bonif. in med.*

CAPUT XIII.

Retulerunt quidam, quod fuerit in ea provincia sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, diceret: *Baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritu sancta*, &c. Si ille, qui baptizavit non errorem introducens, aut haereticum, sed pro sola ignorantia Romana locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur, quia quod tua bene compertum habet sancta fraternitas, quicumque baptizatus fuerit ab haeticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debeat, sed per solam manus impositionem purgari debet. *Zachar. epist. 2. ad Bonif. in med. Burch. lib. 4. cap. 43. Ivo part. 1. cap. 237. Caesar. lib. 12. cap. 64.*

De conf. d. 4. cap. 86.

CAPUT XIV.

Si parvulos baptizavit (loquitur de quodam Episcopo scelerato) in nomine Trinitatis, dum sacerdotio fungebatur, parvulorum baptisma sit confirmatum. *Zachar. epist. 4. in med.*

CAPUT XV.

De Arianis, qui propria lege sua utuntur, placuit, si ad ecclesiam aliqui de hac haeresi venerint, interrogent eos nostrae fidei sacerdotes symbolum, & si perviderint in Patre, & Filio, & Spiritu sancto eos baptizatos, manus iis tantum imponantur, ut accipiant Spiritum sanctum, quod si interrogati non responderint hanc trinitatem, baptizentur. *Arelat. cap. 8.*

De conf. d. 4. cap. 199.

TITULUS XII.
DE MINISTRO BAPTISMI.

CAPUT I.

Sacramentum baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti consecratur in aqua tam parvulis, quam adultis, ut forma ecclesiae, a quocumque rite collatum proficit ad salutem. *Inn. III. in concil. gener. Lateranen. cap. 1.*

Cap. 1. de sum. Trin. Greg. IX. in 1. coll.

CAPUT II.

Sine Episcopi jussu presbyter non baptizet. *Clem. epist. 3. post med. Burch. lib. 2. c. 93. Ivo part. 2. cap. 123. & part. 6. cap. 901. decret. Caesar. lib. 4. cap. 97.*

16. q. 1. c. 41. Cunctis.

CAPUT III.

Presbyteris, seu extra Episcopum, seu praesente Episcopo baptizant, chrismate baptizatos ungeri licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum non tamen frontem ex eodem oleo signare, &c. *Innoc. epist. 1. c. 2. Burch. lib. 4. c. 69. Ivo lib. 1. tit. 3. cap. 4. panorm. & part. 1. c. 263. decret. Anselm. lib. 9. cap. 25.*

De conf. d. 4. c. 119.

CAPUT IV.

Absque Episcopo, vel presbytero baptizare diaconi non audeant, nisi praedictis fortassis officii longius constitutis, necessitas extrema compellat, quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur. *Gelas. epist. 1. c. 9. Burch. lib. 4. c. 57. Ivo part. 1. c. 252. & part. 6. c. 99. decret. Anselm. lib. 7. c. 34.*

Dist. 93. Diaconos c. 13.

CAPUT V.

Nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes, sive levitas secundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio laesionis attingit, quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia, minus firma videatur. Nam & baptismum, quod procul fit ab ecclesia, sive ab adultero, sive a fure fuerit datum ad percipientem munus pervenit illibatum, quia vox illa, quae per columbam sonuit, omnem maculam humanae pollutionis excludit, qua declaratur, ac dicitur: *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto, & igne*. Nam si visibilis solis istius radii, tum per loca foetidissima transeunt, nulla contractus inquinatio maculantur, multo magis illius, qui istum visibilem fecit, virtus nulla ministri indignitate constringitur. Nam & Judas, cum fuerit sacrilegus, atque fur, quidquid egit inter Apostolos, pro dignitate commissa, beneficia per indignum data nulla ex hoc detrimenta senserunt. Declarante hoc ipsum Domino manifestissima voce: *Scribe, inquit, & Pharisei super carbendam Moysi sederunt, quae dicunt facite, quae autem faciunt, nolite facere, dicunt enim, & non faciunt*. Quidquid ergo ad hominum profectum quilibet in ecclesia minister officio suo videtur, operari, hoc totum contineri, implente divinitatis effectum. Ita ille, per quem Christus loquitur Paulus affirmat: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit: Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Adeo autem non quaeritur quis, vel qualis praedicet, sed quem praedicet, ut invidos etiam bene praedicare Christum confirmet, quomodo diabolus ipse dejectus est, & hoc ipso praedicare non desinit. Ideo ergo & ipse Acacius, cujus nomen dicimus esse reticendum, male bona ministrando, sibi tantum nocuit, nam inviolabile sacramentum, quod per illum datum est, aliis perfectionem suae virtutis obtinuit, ei autem obfuit. Quod cum ita sit, aliquorum in tantum se extendit curiosa suspicio, ut imaginentur, prolato a Papa Felice judicio, postea ineffaciter in sacramentis, quae Acacius usurpavit, egisse, ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus, vel in baptismate mysteria tradita sulceperunt, ne irrita beneficia divina videantur. Meminerint in hac quoque parte simili-

Dist. 19. Secundum c. 8.

Joann. 1. Mult. 3.

Joann. 12.

Matt. 23.

1. Cor. 3.

ter

ter tractatum prævalere superiorem, quia non sine usurpatione nominis sacerdotii adjudicatus hoc egit, in quo virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc quoque aliis rea sibi persona non nocuit. *Anastaf. II. ad Anastaf. Augustum. epist. 1. cap. 7. & 8. Nicol. ad consult. Bulg. cap. 16. Ivo part. 1. cap. 151. decret. & epist. 67. ad Bernard. Abbatem. Anselm. lib. 9. cap. Casar. lib. 12. cap. 63.*

CAPUT VI.

Præterea indicatis, quod quidam Græcus mentiens fateretur se presbyterum, cum non esset, ac per hoc plurimos in vestra patria baptizasse, &c. Quamvis ipse se sacerdotem esse simulaverit, simulatio tamen ejus, salutem plurimis contulit. Siquidem diversi fuere, qui diverso modo Christum, sed non propter Christum annuntiabant. Sed si occasione, siue quomodocumque hunc annuntiarent, hos tamen non prohibebat Apostolus, qui solum, ut Christus annuntiaretur, plurimum satagebat. Quia enim Christus ordinaverat, ut qui evangelium annuntiaret, de evangelio viveret, si multi Christi prædicabant, ut comoda terrena acquirerent, ergo non erat Christus in causa, sed avaritia. Rursum quia multi evangelii prædicatores a fidelibus magnis honoribus efferebantur, nonnulli ideo Christum prædicabant, ut similia & ipsi perciperent, ergo non erat Christus in voto, sed invidia, sed nemo istorum prohibitus est, quominus per hos Christus annuntiaretur, nimirum cum & Judas inter ceteros Apostolos a Domino missus, & miracula fecerit, & Christum annuntiaverit, & in nomine ejus plurimos baptizaverit. Itaque ut sedis Apostolicæ Præful scribit Anastasius, non quæritur quis, vel qualis prædicet, sed quem prædicet. *Nicol. ad cons. Bulg. c. 14. ex Anast. ad Anast. Imp. c. 7.*

CAPUT VII.

Porro interrogatis, utrum homines illi, qui hoc ab illo baptisma receperunt, christiani sint, an iterum baptizari debeant. Sed si in nomine summæ, ac individuæ Trinitatis baptizati fuerint, christiani profecto sunt, & eos a quocumque christiano baptizati sunt, iterum baptizare non convenit. Quoniam ut jam nominatus Anastasius Apostolicus Pontifex ad coæquivocum suum scribit Augustum, & baptismum, quod procul sit ab ecclesia, siue ab adultero, vel a fure fuerit datum, ad percipientem manus pervenit illibatum, quia vox illa, quæ sonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur, ac dicitur, *hic est, qui baptizat*, &c. Et revera, quia secundum famosissimum Apostolum: *neque qui plantat*, id est, catechizat: *neque qui rigat*, id est, baptizat: *est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*. Et ideo mali bona ministrando, non aliis, sed sibi detrimenti cumulam ingerunt. Ac per hoc certum est, quia quos ille Græcus baptizavit, nulla portio læsionis attingit, propter illud, *Hic est qui baptizat*, id est, Christus, & iterum *Deus incrementum dat*, subauditur, & non homo. *Nicol. ibid. c. 15. Anastaf. II. ad Anastaf. Aug. epist. uni c. 7.*

Dist. 19. c. 8. Secundi.

Jonn. 1. Matt. 3.

1. Cor. 3.

CAPUT IX.

Si David esse se furiosum finxit, ut suam tantum salutem operari potuisset, quam noxam contraxit, qui tot hominum multitudinem quoquo modo de potestate diaboli, & æternæ perditionis abstraxit? maxime cum se sacerdotem simulaverit, non tamen in baptizando egit, quod præter sacerdotem, in tam evidenti necessitate agere nullum oportet. Presbyterum vero, ut opinamur, idcirco se finxit esse, quoniam jam fenerat, vobis fuisse suatum, quod baptizandi ministerium non nisi presbyteris tantum, esset indultum. *Nicol. ad consult. Bulg. c. 16. Anastaf. III. epist. unica c. 7. Ivo part. 1. c. 151. decret. Anselm. lib. 9. cap. 62. Casar. lib. 12. cap. 63.*

CAPUT X.

A quodam Judæo*, nescitis, utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum, consultitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, unum quippe, idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius: Constat eos non esse denuo baptizandos, sed primum, utrum Christianus, an paganus ipse Judæus* extiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus investigandum est. Quamvis non prætereundum esse credimus, quid beatus de baptismo dicat Augustinus: „ Jam satis, inquit, ostendimus ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cujusquæ, vel dantis, vel accipientis errorem, siue de Patre, siue de Filio, siue de Spiritu sancto aliter sentiat, quæ doctrina cælestis insinuat“. Et iterum: „ Sunt etiam quidam ex eo numero, qui adhuc nequiter vivunt, aut etiam in hæresibus, vel in gentilium superstitionibus jaceant, & tamen etiam illic novit Dominus, qui sunt ejus. Namque in illa ineffabili præcipientia multi, qui foris videntur, intus sunt“; & alio loco: „ Et jam corde tardiores, quantum existimo, intelligunt baptismum Christi nulla perversitate hominis, siue dantis, siue accipientis, posse violari“, & rursum: „ Potest tamen, ait, tradere separatus, sicut potest habere separatus. Sed quam perniciose tradere: ille autem cui tradit, potest salubriter accipere si ipse non separatus accipiat“. *Nicol. ad consult. Bulgar. c. 104. Ivo lib. 1. vir. 2. cap. 22. panorm. & lib. 1. cap. 148. decret. Casar. lib. 12. c. 62.*

CAPUT XI.

Peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in infirmitatis necessitate positum catechumenum, ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit. *Elib. c. 38.*

CAPUT XII.

Si quis diaconus regens plebem, sine Episcopo, vel presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debet, &c. *Elib. c. 77.*

CAPUT XIII.

Mulier baptizare non præsumat. *Carth. IV. cap.*

1. Reg. cap. 21.

** viro. De cons. d. 4. c. 24.*

Act. 2. & 10.

** vir.*

Lib. 1. de Spiritu sancto, c. 3.

De cons. d. 4. c. 20.

cap. 100. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 18. panorm. & part. 1. cap. 65. decret.

CAPUT XIV.

Diff. 81. c. 14. Si diaconus, vel presbyter pro reatu suo se ab altaris communionem sub pœnitentis professione submoverint, hic quoque si alii defuerint, & causa certæ necessitatis exoritur, polcentem baptismum liceat baptizare. Aurelian. cap. 12. alias 14. Ivo part. 6. cap. 368. & part. 15. cap. 68. decret.

CAPUT XV.

Pro infirmitate, aut pro aliqua necessitate, illi presbyteri, quos Episcopus in sua parochia constituerit, in qualicumque loco evenerit, licentiam habeant baptizandi. Synod. apud Palat. Vernis cap. 7.

CAPUT XVI.

Ut omnes presbyteri, qui in parochia sunt, sub potestate Episcopi esse debeant, & de eorum ordine nullus presbyter præsumat in illa parochia baptizare, nec missas celebrare sine iussione Episcopi, in cujus parochia est. Synod. apud Palat. Vernis cap. 8.

TITULUS XIII.
DE EFFECTU BAPTISMI.

CAPUT I.

QUI crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit. Christus apud Marcum cap. ultimo, num. 16.

CAPUT II.

Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Paul. ad Galat. c. 3. num. 27.

CAPUT III.

Baptisma nostrum non oculis * sensus considerandum est, sed mentis. Aquam vides, vim Dei aquis occultatam * considera; namque in sancto Spiritu, & igne nos esse baptizatos * sacri sermones docent. In fide enim baptizantis, & in baptizati fide, sacra vocatione*, & perfecta* sanctificatione spiritus divini, & ignis, considera aquis (sacrum spiritum & ignem*). Accedit* namque baptizandus peccatis obnoxius, & servituti addictus corruptioni: discedit* autem manumissus a servitute, & peccatis liber, filius Dei, & hæres gratia ejuldem factus, cohæres autem Christi, ipsum indutus Christum, ut scriptum est: Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Ex actis concil. Nicæn. Diatypos. 5.

CAPUT IV.

Qui regeneratus fuerit per aquam bonis operibus repletus, hæres efficitur ejus, a quo in incorruptione regeneratus est, &c. Sed dicitis fortasse: quid confert aquæ baptismus ad Dei cultum? Primo quidem, quia quod Deo placuit, impletur. Secundo, quia regenerato ex aquis, & Deo renato, fragilitas prioris nativitatis, quæ vobis per hominem facta est, amputatur, & ita demum pervenire poteritis ad salutem. Aliter impossibile est, sic enim nobis cum sacramento verus Propheta testatus est, dicens: Amen amen dico vobis, nisi quis denuo renatus fuerit ex aqua viva, non introibit in regnum calorum. Et ideo accelerate, est enim in aquis istis misericordia ejus quædam, quæ initio ferebatur super eas, Tom. VI.

& agnoscit eos, qui baptizantur sub appellatione triplicis sacramenti, & eripit eos de suppliciis futuris, quasi donum quoddam offerens Deo, animas per baptismum consecratas. Confugite ergo ad aquas istas, solæ sunt enim, quæ possunt vim futuri ignis extinguere. Clem. epist. 4. post med. Vide eundem Clem. tit. de baptismo infantibus necessario, cap. Ne puteris.

CAPUT V.

Dum suis inconsultius homo utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus est, & nihil, quemadmodum exinde surgere posset, invenit, suæque in æternum libertate deceptus, huic ruinæ suæ jacuisset oppressus, nisi eum postea Christi, per suam gratiam, relevasset adventus, qui per novæ regenerationis purificationem præteritum omne vitium sui baptismatis lavacro purgavit, & ejus confirmans statum, quo rectius, constabiliusque procederet, tamen suam gratiam in posterum non denegavit. Innoc. epist. 25. ad concil. Carthagin. post med. Celestin. epist. 1. cap. 4.

CAPUT VI.

Illud, quod circa baptizandos in universo mundo sancta ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu, cum [sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorcismis, & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc vere appareat, quomodo Princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vasa ejus diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus. Celest. epist. 1. cap. 12. Burch. lib. 4. cap. 10. Ivo part. 1. cap. 205. decret.

De conf. d. 4. cap. 53.

Joann. 12. Matt. 12. Marc. 3. Ephes. 4. Psalm. 47.

CAPUT VII.

Proprie in morte crucifixi, & in resurrectione ex mortuis potentia baptismatis novam creaturam condit ex veteri, ut in renascentibus & mors Christi operetur, & vita, dicente beato Apostolo Paulo: An non ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Leo epist. 4. cap. 3. Ivo part. 1. cap. 45. decret.

De conf. d. 4. cap. 23.

Rom. 6.

CAPUT VIII.

A parvulo recens nato usque ad decrepitem fenem quamlibet corporis ætatem gerant, sicut nullus prohibendus est a baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo. Sed parvuli originali, majores etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcumque male vivendo addidit ad illud, quod nascendo traxere. Leo epist. 84. ante fin. vel 86. ad Aquilejen. Episcop. Ivo part. 17. cap. 4. decret.

De conf. d. 4. cap. 134.

CAPUT IX.

Omni hominem in corporis animæque substantiam a conditore universitatis formari, atque animari intra materna viscera catholica fides confitetur, manente quidem illo peccati, mortalitatisque contagio, quod in prolem a primo parente transcurrit, sed regenerationis sacramento subveniente, quo per Spiritum sanctum promissionis filii renascuntur, non in utero carnis, sed

in virtute baptismatis. *Leo epist. 91. ad Turibium, cap. 9.*

CAPUT X.

Fides catholica constanter prædicat, atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirentur corporibus, non fuerunt, nec ab ullo incorporentur, nisi ab opifice Deo, qui & ipsarum est creator, & corporum. Et quia per primi hominis prævaricationem tota humani generis propago vitata sit, neminem posse a conditione veteris hominis liberari, nisi per sacramentum baptismatis Christi, in quo nulla est discretio renatorum, dicente Apostolo: *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* *Leo epist. 91. cap. 10.*

CAPUT XI.

Si qui sunt, qui dicunt peccata in baptismo superficie tenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius, in qua ipsum fidei sacramentum festinant solvere, in quo principaliter ad cælestis munditiæ mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitus a peccatis omnibus soli illi inhæreat, de quo Psalmista ait: *Mihi autem ad hæerere Deo bonum est.* Certe enim maris rubri transitus figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes a tergo sunt mortui, sed alii contra faciem in eremo sunt inventi. Sic quippe omnes, qui in sancto baptismo tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur, quia eis, velut Ægyptii hostes a tergo moriuntur, sed in eremo alios hostes invenimus, quia dum in hac vita vivimus, priusquam ad promissionis patriam pertingamus, multæ tentationes nos fatigant, & ad terram viventium tendentibus iter includere festinant. Qui ergo dicit, peccata in baptismo funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fateatur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur, necesse est, peccata in baptismo funditus mori, quia nimirum plus valet in absolute nostra veritas, quam umbra veritatis: in Evangelio Dominus dicit: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Si igitur peccata in baptismo funditus minime dimittuntur, quomodo is, qui lotus est, mundus est totus? totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit voci veritatis, quæ ait: *Qui lotus est, mundus est totus.* Nihil ergo ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse, qui redemit. *Greg. ad Theoctistam Patric. lib. 9. registr. epist. 39. ante fin.*

CAPUT XII.

Qui ante baptismum sacrificarunt, ordinentur, abluti enim sunt. *Ancyra. cap. 12.*

CAPUT XIII.

Cum Episcopus ordinandus est, antea examinatur, &c. si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quam illa, quæ voluntarie admitta sunt, dimittantur, &c. credat. *Carth. IV. cap. 1. Burch. lib. 1. cap. 8. Ivo part. 5. cap. 62. decret.*

CAPUT XIV.

Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest re-

parari. Quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. Unde ipsa Veritas dicit: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* *Araus. II. cap. 13.*

CAPUT XV.

Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. *Araus. II. in fin.*

CAPUT XVI.

Peccatum humanæ originis per baptismi gratiam cunctis fidelibus dimititur. *Isid. lib. 3. de summo bono cap. 47. apud Aquisgr. cap. 104.*

CAPUT XVII.

Constat, quod fundamentum christianæ religionis fides sit catholica, hoc est credere in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, &c. & credere quod per Spiritum sanctum remissio peccatorum in baptismo conferatur. *Parisiens. sub Ludov. Loth. lib. 1. cap. 1.*

CAPUT XVIII.

Quia flammeus ille gladius, qui propter peccatum primi hominis januam paradisi obice mortalibus immobili oppilaverat, in sacrosancto baptismatis fonte extinguitur, & eadem janua credentibus aperitur: omnibus fidelibus studendum est, ut pactionis, & sponsonis, quam cum Deo in baptismo fecerunt, semper memores existant, caveantque ne quibuslibet vitiorum foribus se maculantes, non solum eundem sibi reaccendant ignem, verum etiam immundum spiritum a se tempore baptismatis expulsum, cum septenario dæmonum numero sibi addito, ad se quoquo modo redire faciant, fiantque illis, ut Dominus ait: *novissima pejora prioribus.* *Paris. sub Lud. Loth. lib. 1. cap. 9.*

CAPUT XIX.

Dici solet a nonnullis Christianis, quod hi, qui in Christo renati sunt, quamquam scelerate vivant, & in malis operibus diem extremum claudant, diuturno atque purgatorio, non tamen perpetuo, sint igne puniendi. Cum multi hoc asserant, & nullus id verum esse ex divinis oraculis astruere valeat, cavendum est, ut hoc non solum non credant, verum etiam ne ex ore proferant, ne forte hoc dicendo se, & alios quodammodo vana securitate deludant, &c. *Paris. sub Lud. Loth. lib. 2. cap. 10.*

CAPUT XX.

Firmissime tenendam credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua, & Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter ecclesiæ incorporata, & juxta doctrinam apostolicam in morte Christi baptizata, in ejus sanguine sit a peccatis suis abluta, quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret vera redemptio, &c. Ex ipsa tamen multitudine fidelium, & redemptorum alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Alios, quia noluerunt permanere in salute, fidei, quam ini-

Joann. 8.

Gen. 3.

Luc. 11.

Matt. 10.

initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere prava doctrina, vel vita, quam servare elegerunt, ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire, &c. *Concil. Valent. sub Loth. cap. 5.*

CAPUT XXI.

Unusquisque Christianus credat in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, &c. & quod in baptismo per eum tribuatur omnium remissio peccatorum. *Troslejan. cap. 15.*

Vide concil. Carthag. ad Innoc. concil. Milevit. in epist. ad Innoc. & epist. Innoc. ad concil. Milevit. tit. de baptismo etiam infantibus necessario cap. Parvulos. cap. Pueros. & cap. Illud, quod. Milevit. cap. 2. ibid. cap. Placuit. Gregor. ad Secundinum ibid. cap. In extremo. Cyprian. lib. 3. epist. 8. ad Fid. presbyt. eod. tit. cap. Si etiam. Concil. N. inter Leon. epist. 72. eod. tit. cap. Pelagii error. Athan. in serm. de imagine Christi apud VII. synod. gener. action. 4. Innoc. epist. 2. cap. 5. & 6. & epist. 12. cap. 2. & ep. 23. cap. 6. tit. baptisimus non tollit digamiam, cap. 1. 2. 3. & 4.

TITULUS XIV.

BAPTISMUS NON TOLLIT DIGAMIAM.

CAPUT I.

Dist. 34. c. 13. SI quis viduam, licet laicus, duxerit uxorem seu ante baptismum, seu post baptismum, non admittatur ad clerum, quia eodem videtur vitio exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur. *Innoc. epist. 2. cap. 5. Anselm. lib. 7. c. 10. Ivo part. 6. cap. 55. decret.*

CAPUT II.

Dist. 34. c. 13. Si quis viduam. Ne is, qui secundam duxerit uxorem, clericus fiat, &c. & si ab aliquibus existimetur, ante baptismum, si forte quis accepit uxorem, & ea de sæculo recedente alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errant a regula, quia in baptismo peccata dimittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur, &c. Quod si non putatur uxor esse computanda, quæ ante baptismum ducta est, ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habeantur. *Innoc. epist. 2. cap. 6.*

CAPUT III.

16. q. 1. c. 3. De monachis. Si corruptus postea baptizatur, & in monasterio sedens ad clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit, quia nec benedici cum sponsa potest jam antea corruptus. Quæ forma servatur in clericis, maxime cum vetus regula hoc habeat, ut quisquis corruptus baptizatus clericus esse voluisset, spondeat se uxorem omnino non ducere. *Innoc. epist. 2. c. 10.*

CAPUT IV.

Dist. 16. c. 3. Deinde ponitur non dici oportere digamum eum, qui catechumenus habuerit, atque amiserit uxorem, si post baptismum fuerit aliam sortitus, eamque primam videri, quæ novo homini copulata sit, quia illud conjugium post baptismi sacramentum cum cæteris criminibus sit ablatum. Quod cum de una utique dicitur, certe si tres habuerit, in vetere positus homine, uxores, erit ei, quæ post baptismum quarta est, sic interpretantibus

prima; virginis æque nomen accipiet, quæ quarta ducta est loco. Quis oro istud non videat contra Apostoli esse præceptum, qui ait, unius uxoris virum oportere esse sacerdotem? Sed obiicitur, quod in baptismo totum, quidquid in vetere homine gestum est, sit lotum. Dicite mihi, crimina tantum dimittuntur in baptismo, an & alia, quæ secundum Domini præcepta, ac Dei instituta complentur? Uxorem ducere crimen est, an non est crimen? si crimen est, ergo præfata venia dixerim, erit auctor in culpa, qui ut crimina committerent, in paradiso, cum ipse eos jungeret, benedixit. Si vero non est crimen, quia quod Deus junxit, nefas sit crimen appellari, & Salomon addidit: *Etenim a Deo præparatur viro uxor.* Quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod auctore Deo legitur consummatum. Quid de talium filiis percensetur? Numquid non erunt admittendi in hæreditatis consortio quia ex ea suscepti sunt, quæ ante baptismum fuit uxor. Eruntque appellandi vel naturales, vel spurii, quia non est legitimum matrimonium, nisi illud, ut vobis videtur, quod post baptismum assumitur? Ipse Dominus cum interrogaretur a Judæis, si liceret dimittere uxorem, atque exponeret, fieri non debere, addidit: *Quod ergo Deus junxit, homo non separet.* Ac ne de iis locutus esse creditur, quæ post baptismum sortiuntur, meminere hoc & a Judæis interrogatum, & Judæis esse responsum. Quæro, & sollicitus quæro, si una eademque sit uxor ejus, qui ante catechumenus, postea sit fidelis, filiosque ex ea, cum esset catechumenus, suscepit, ac postea alios, cum fidelis, utrum sint appellandi fratres, an non? habeant postea, defuncto patre, eriscundæ hæreditatis consortium, quibus filiorum nomen regeneratio spiritualis creditur abstulisse? Quod cum ita sentire, atque judicare absurdum est, quæ malum, ratio est, hoc defendi, & vacua magis opinione jactari, quam aliqua auctoritate roborari, cum non possit inter peccata deputari, quod lex præcepit, & Deus junxit? Numquid si quis catechumenus, virtutibus studuerit, humilitatem secutus fuerit, patientiam tenuerit, elemosynas fecerit, morti destinatos qualibet ratione eripuerit, adultèria exhorruerit, castitatem tenuerit, quæro, si hæc, cum fuerit factus fidelis, amittit, quia per baptismum totum, quod vetus homo gesserat, putatur auferri? Aspiciamus gentilem hominem Cornelium orationibus, atque elemosynis vacantem per revelationem angelum, Petrumque ipsum vidisse, numquid per baptismum hæc illi ablata sunt, propter quæ ei baptismus videtur concessus? Si ita creditur, mihi credite non modicum erratur, quia quidquid bene gestum fuerit, & secundum præcepta legalia custoditum, non potest facientibus deperire. Nuptiarum ergo copula, quia Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum. Et quod peccatum non est, solvi inter peccata credi omnino non debet. Eritque integrum, æstimate, aboleri non posse prioris nomen uxoris, cum non dimissum sit pro peccato, quia ex Dei sit voluntate completum. *Innoc. epist. 22. cap. 2. Burch. lib. 4. cap.*

1. Tim. 3. Tit. 1.

Matt. 19. Prou. 19.

28. q. 1. c. 1.

Matt. 19. Marc 20.

* qui.

AB. 10.

98. Ivo part. 1. cap. 292. & part. 8. cap. 303. decret. & lib. 6. tit. 7. cap. 1. & 2. panorm.

CAPUT V.

Aliquantum pro defensione pravi erroris opponunt, & asserunt, quod ante baptismum omnia dimittuntur, non intelligentes hujusmodi, quod sola in baptismo peccata dimittuntur, non uxorum numerus aboletur. Nam si a Deo, ut scriptum est, preparatur viro uxor, & quod Deus junxit, homo non separet, & ipsi auctores generis humani in origine a Deo benedicuntur, quo modo inter peccata ista creduntur posse dimitti? Quod si secundum illos, qui ita credunt, verum est, ergo omnis justitia, quæ a catechumenis ante baptismum fuerit operata, per baptismum auferitur? Nullus ergo contra Apostolum tale aliquid sentiat, nec admittat, sed fideliter intelligat, unius uxoris virum sive ante baptismum esse nominatum, sive post baptismum; si enim uxor ante baptismum accepta non ducitur in numerum, nec filii ex eadem suscepti inter filios poterunt numerari. Innoc. epist. 23. cap. 6.

CAPUT VI.

Neminem de digamis, aut inter nuptiarum maritis ordinari clericos posse, nec requirendum, utrum ne initiati sacramentis divinis, an gentiles, hac se infelici fortis necessitate maculaverint. Vallens. Gall. cap. 1.

TITULUS XV.
DE BAPTISMO INFANTIUM, ET
DE EJUS NECESSITATE.

Vide in Partis I. Lib. XI. Tit. XL.

CAPUT I.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Christus apud Joann. cap. 3. num. 5.

CAPUT II.

Euntes in mundum universum prædicato evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Christus Marci num. 15.

CAPUT III.

Ne tempore interdicti baptismus infantibus negetur. Callist. II. in concil. Rom. cap. 11.

CAPUT IV.

Quicumque se ecclesiæ vovit obsequiis, a sua infantia ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet ministerio sociari. Syric. epist. 1. cap. 9. Ivo part. 6. cap. 91. decret.

CAPUT V.

Neque coram Episcopo licet presbyteris in baptisterium introire, nec præsentem Antistitem infantem tingere, aut signare, &c. Leo epist. 84. in fin. ad Nicetam Aquilejen. Episcop. Ivo part. 17. cap. 4. decret.

CAPUT VI.

Asserunt (quidam hæretici) parvulis inutiliter baptismum conferri, &c. quia non nisi per charitatem, & in charitate crimina dimittantur parvulis, qui nec sentiunt, nec consentiunt, & charitatem non habent, quæ sentientibus, & consentientibus tantum infunditur, peccatum non dimittitur in baptismo, & sic eis baptismum non con-

fertur, quia non est talibus conferendum. In evangelio quoque legitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur. Unde parvuli, sive fuerint, sive non fuerint baptizati, condemnabuntur, utpote non credentes. Ad id autem taliter respondemus, quod baptismum circumcissioni successit, &c. cum ergo circumcissio tam adultis, quam parvulis ex præcepto Domini conferretur, ne baptismus, qui successit in loco ipsius, & generalior tamen existit, cum non tam viri, quam foeminae baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis est, quam parvulis conferendus. Nam sicut olim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: Anima, cuius præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo: ita nunc indistincte vox intonat evangelica: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum Dei: ab hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens. Unde sicut anima circumcisa de populo suo non peribat, sic qui ex aqua fuerit, & Spiritu sancto renatus, regni cælorum introitum obtinebit, &c. Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem. Cæterum ex vi litteræ satis patet prædictas auctoritates intelligendas esse tantummodo de adultis, qui habent multitudinem peccatorum, cum de parvulis non possint intelligi, qui prædicto tantum originali tenentur. Similiter, etiam alia auctoritas solvenda est: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, &c. cum non possint credere parvuli, sed adulti, & ob hoc tota auctoritas hæc intelligenda est tantummodo de adultis, nec ad alios prima, & ad alios secunda refertur, &c. Innoc. III. Arclat. Archiep.

CAPUT VII.

Quoniam superiori concilio statutum esse mecum recognoscit unanimitas vestra, ut hi, (qui apud Donatistas parvuli baptizati sunt) nondum scire valentes erroris eorum interitum, & posteaquam ad ætatem rationis capacem pervenerunt, agnita veritate falsitatem eorum abhorrentes, ad ecclesiam Dei catholicam, per universum mundum diffusam, ordine antiquo per manus impositionem recepti sunt, debere talibus suscipiendum munus clericatus non impedire nomen erroris. Carth. cap. 58. Afric. cap. 24. L. Deusd. cap. 2.

CAPUT VIII.

Infantes si non inveniuntur certi testes, qui sciant eos baptizatos fuisse, neque ipsi per ætatem de traditis mysteriis respondere possint, sine intervallo volumus eos baptizari, ut in Mauritania fieri. Carth. cap. 73. G. Afric. 39. L. Carth. V. cap. 6. L. Trull. c. 85. Vornat. cap. 70. Burch. lib. 4. cap. 45. Ivo lib. 1. tit. 2. c. 86. panorm. & part. 1. cap. 147. & 239. decret. Anselm. lib. 9. cap. 56. Casar. cap. 12. cap. 53.

CAPUT IX.

Parvuli, qui nuper e materno utero editi sunt, si infirmi, ut assolet, fuerint, & lac maternum non

Prov. 79.
Matt. 19.

1. Tim. 3.
Tit. 1.

Marc. ult.

Gen. 17. 6.

Joann. 3. 6.

* peccato, f.

1. 9. 4. 6. 4.

De conf. d. 4.
Placuit, 6.
111.

De bap. c. 3.
apud Greg.
IX. & in 3.
coll. c. 1. Ma-
jores.

non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt, si oblati fuerint, baptizentur. *Gerund. cap. 5.*

CAPUT X.

Sacrofancti baptismatis inappretiable donum est semper & saepe non solum nolentibus, verum etiam nescientibus imperitur, sed hoc a nullo profanari permittitur. Quod si hoc opponitur, nec dum rationis capacem existere, qui hoc probatur accipere, hinc omnino * cognoscant, quia si majores impune non deserunt, quod parvuli vel nesciendo, vel nolendo percipiunt, quanto magis non convenit violari, quod pro mortis, aut peccatorum evadenda pernicie, occulta Dei dispensatione dinoscitur obvenisse? *Tolet. VIII. c. 7.*

* omnimodo.

CAPUT XI.

Si parvulos aegrotans ad quemlibet presbyterum, baptismi gratia, de cujuslibet parochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullo modo denegetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus absque baptismi gratia mortuus fuerit, noverit se ille, qui eum non baptizavit, pro ejus anima rationem redditurum. *Theod. ad presbyt. Aurel. c. 17.*

Vide *Caelestin. epist. 1. c. 12. tit. de caeremoniis, quae in baptismo observari solent, c. Illud, quod, & Syric. epist. 1. cap. 2. tit. de diebus ad suscipiendum baptismum constitutis. Brach. II. c. 7. tit. Ne pecunia accipiatur causa baptizandi, c. Unusquisque.*

TITULUS XVI.

DE IMMERSIONE, ET DE IMMERSIONUM NUMERO.

CAPUT I.

DE Eunomianis, qui in una tantum immersione baptizant. *Vide CP. c. 7.*

CAPUT II.

Si Episcopus, vel presbyter non tres immersiones unius mysterii celebraverit, sed unam immersionem, quae in Domini morte datur, deponendus est. Non enim dixit Dominus: *In morte mea baptizate, sed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Apost. cap. 50. Burch. lib. 4. cap. 23. Ivo lib. 1. tit. 2. c. 51. panorm. & part. 1. c. 128. decret. Caesar. lib. 12. c. 41.*

De conf. 8. 4. c. 79. Si quis.

Matt. ult.

CAPUT III.

In baptismatis regula, & mors intervenit, in perfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio resurgens instar est de sepulchro. *Leo epist. 4. cap. 3. ad Episcopos Siciliae. Triburien. c. 12. Burch. lib. 4. c. 2. Ivo part. 1. c. 45.*

CAPUT IV.

De renascentium trina immersione, de baptismi quoque solemniter adimplendo, similiter quid apostolica vel sanxerit, vel observet auctoritas, in subiectis tuae charitatis evidenter agnoscat. *Vigil. epist. 1. c. 2. & in tit. c. Eiusdem.*

CAPUT V.

De trina immersione baptismatis nihil responderi verius potest, quam quod ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctae ecclesiae consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus triduanam sepulturae sacramenta signamus: ut dum tertio

De conf. d. 4. c. 80.

infans ab aquis educitur resurrectio triduanam temporis exprimitur. Quod si quis forte etiam pro summae Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obstitit baptizando semel in aquis mergere, quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate in aquam, vel ter, vel semel immergere, quando, & in tribus personis personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc usque ab haereticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum personae numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse gloriantur. *Greg. in epist. ad Leandrum Episcop. lib. 1. regist. epist. 41. Tolet. IV. c. 5. Vormat. c. 5. Ivo lib. 1. tit. 2. c. 53. panorm. & part. 1. cap. 130. decret. Anselm. lib. 9. cap. 17. & 61. Caesar. lib. 12. cap. 43. Tarrac. lib. 4. cap. 10.*

CAPUT VI.

De baptismi sacramento, propter quod in Hispaniis quidam sacerdotes trinam, simplicam quidam immersionem faciunt, &c. Apostolicae sedis in formemur praecipis &c. Beatae memoriae Greg. Rom. ecclesiae Pontifex, &c. efflagitante sanctissimo Leandro de hac Hispaniae diversitate sic ait: [De trina vero immersione baptismatis, &c. Propter vitandum schismatis scandalum, vel haeretici dogmatis usum, simplicam teneamus baptismi immersionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, haereticorum approbare assertionem, &c. Ne forte cuiquam sit dubium hujus simpli mysterium sacramenti, videat in eo mortem, & resurrectionem Christi significari; nam in aquis immersio, quasi in infernum descensio est, & rursum ab aquis emergio, resurrectio est. Item videat in eo unitatem Divinitatis, & Trinitatem personarum ostendi: unitatem, dum semel mergimus, Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizamus. *Tolet. IV. c. 5. Vormat. c. 5. Ivo lib. 1. tit. 2. c. 52. panorm. & part. 1. cap. 129. decret. Caesar. lib. 12. c. 42.*

De conf. d. 4. c. 80. De conf. d. 4. c. 85.

CAPUT VII.

De trina immersione. *Basil. de Spiritu sancto ad Amphilochem. c. 27.*

TITULUS XVII.

DE VARIIS CAEREMONIIS, QUAE IN BAPTISMO OBSERVARI SOLENT.

CAPUT I.

Quosdam haereticos recipimus, ut paganos ad fidem conversos. Prima die facimus eos Christianos, altera catechumenos, tertia exorcizamus eos, insufflando eis ter in faciem, & aures, atque ita instruimus, & facimus, ut aliquo tempore sint in ecclesia, & audiant scripturas, & postea eos baptizamus. *CP. cap. 7. G.*

CAPUT II.

Baptizetur unusquisque in aquis perennibus nomine trinae beatitudinis invocato super se, perunctus primo oleo per orationem sanctificato, ut ita demum per haec consecratus possit percipere locum cum sanctis. *Clem. ep. 3. post princ.*

CA-

CAPUT III.

Do conf. d.
4. c. 119. Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præfente Episcopo cum baptizant, chrismate baptizatos ungeri licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum. *Inn. ep. 1. c. 3. Burch. lib. 4. c. 69. Ivo lib. 1. tit. 3. c. 4. panorm. & part. 1. c. 263. decret.*

CAPUT IV.

De conf. d.
4. c. 93. Illud, quod circa baptizandos in universo mundo sancta ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplatur intuitu, cum [sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius ad fontem vitæ adeunt quam exorcismis, & exsufflationibus clericorum, spiritus ab eis immundos abigatur, ut tunc vere appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vasa ejus diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus. *Celestin. epist. 1. cap. 12. Burchard. lib. 4. c. 10. Ivo part. 1. cap. 205. decret.*

Joann. 1.
Matt. 12.
Mar. 3.

Epbes. 4.
Psalms. 67.

CAPUT V.

Nec per impositiones manus fidelibus baptizandis, vel conversis, ex hæresi Spiritum sanctum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare, &c. nec coram Episcopo in baptisterium introire, nec præfente Antistite infantem ringere, aut signare presbyteris, & chorepiscopis permittitur, sed tantum Episcopis. *Leo epist. 86. in fin. Damas. epist. 4. in med. Hispal. II. c. 7.*

CAPUT VI.

De sacram. un-
ctio. c. 47. De oleo catechumenorum, & infirmorum benedictio. *Innoc. III. Patriarchæ CP.*

CAPUT VII.

ap. Gv. IX.
& in 3. coll.
Ibid.
1. Pet. 2. b. Quia Christus fecit nos in sanguine suo Deo nostro regnum, & sacerdotes, propter quod Petrus Apostolus ait: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Idcirco in novo testamento non solum sacerdotes, & reges, sed omnes christiani bis ante baptismum, sed oleo benedicto, primum in pectore, deinde inter scapulas, & bis post baptismum, sed chrismate sacro, primum in vertice, demum in fronte. In pectore namque baptizandus inungitur, ut per sancti Spiritus donum abiciat errorem, & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia *justus ex fide vivit.* Inter scapulas autem baptizandus inungitur, ut per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exercent, quia *fides sine operibus mortua est*, ut per fidei sacramentum sit munditia cogitationum. In pectore, ut per operis exercitium sit fortitudo laborum. In scapulis, quatenus fides per dilectionem, secundum Apostolum operetur. In vertice vero baptizatus inungitur, ut sit paratus omni petenti de fide reddere rationem, quia per caput mens intelligitur, juxta quod legitur: *Oculi sapientis in capite ejus, cujus superior pars est ratio, & inferior est sensualitas.* Unde bene per verticem, quæ superior pars capitis, intelligitur ratio,

Rom. 16.
Heb. 16. 8.

Jacob. 6.

Ecl. 2. c.

quæ superior pars est mentis. In fronte ungitur baptizatus, ut libere confiteatur, quod credit, &c. *Innoc. III. Patriarchæ CP.*

CAPUT VIII.

Pedes eorum, qui baptizantur, lavandi non sunt a sacerdotibus, vel clericis. *Elib. c. 48.*

1. q. 1. E.
mendari c.
104.

CAPUT IX.

Quod oporteat eos, qui baptizantur post lavacrum, chrisma ecclesiæ accipere, & regni Christi participes inveniri. *Laod. c. 48.*

CAPUT X.

Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate usquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in baptismate chrismari. De eo autem qui in baptismate quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter nos chrismatis ipsius non nisi una benedictio est, non præjudicans quidquam dico, sed ut necessaria habeatur rechrismatio. *Araus. 1. cap. 1. Burch. lib. 4. c. 73. Ivo part. 1. c. 267. decret.*

De conf. d.
1. c. 115.

CAPUT XI.

Omnes a die quadragesima cum infantibus suis ad ecclesiam observare præcipimus, ut impositionem manus certis diebus adepti, & sacri olei liquore peruncti, legitimi dies festivitate fruantur, & sacro baptismate regenerentur, &c. *Marticon. II. c. 3.*

CAPUT XII.

Nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem & antea tenuit Metropolitana Bracharensis ecclesia, & pro amputanda aliquorum dubietate Profuturus Episcopus scriptum sibi, & directum a sede beatissimi Petri Apostoli susceptum. *Brach. I. c. 23.*

CAPUT XIII.

Præcipiant (*sacerdotes*) quadragesimæ jejuniis servare*, & mediante quadragesima ex viginti diebus baptizandos infantes ad exorcismi purgationem offerre. *Brach. II. c. 9.*

* *jejunia servare.*

CAPUT XIV.

Sicut baptismus, excepta infirmorum causa, non nisi a jejuniis celebratur sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritus sancti excepta præmissa causa infirmorum, non nisi a jejuniis celebranda est Pontificibus. *Parisiens. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 33.*

CAPUT XV.

Sacramenta baptismatis volumus, ut in singulis parochiis secundum Romanum ordinem inter nos celebrentur jugiter, atque conserventur, id est scrutinium ad ordinem baptismatis, sicut in decretis Leonis Papæ sub duobus continentur capitulis, hæc [duo tempora id est pascha, & pentecoste ad baptismum a Romano Pontifice legitima præfixa sunt. Item, cap. 12. Non interdicta licentia, quia in baptismate tribuendo, quolibet tempore, periclitantibus subvenitur. Et Syrius (*prima decretali c. 2.*) „Si in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda baptismatis, omni volumus celeritate succurri“. *Magunt. c. 4. Magunt. sub Raban. c. 3. Leo epist. 4. c. 6.*

De conf. d.
4. c. 12.

CAPUT XVI.

Silvester constituit, ut baptizatum presbyter liniat

liniat chrismate levatum de aqua propter occasionem transitus mortis. *Damas. in Silo. post princ.*

CAPUT XVII.

Aquam baptismi benedicimus, & oleum unctionis, & eum etiā, qui baptizatur, & quibusnam scripturis? non ex tacita, & mystica traditione. Quid vero ipsum olei usum, quānam scriptis mandata oratio docuit? ut ter autem immergatur homo, unde? Quin & alia quoque, quæ circa baptismum fiunt, renuntiare Satanæ, & angelis ejus, ex quānam sunt scriptura, non autem ex hac non publicata, & arcana doctrina, quam in minime curioso, & nequaquam plusquam oportet, investigante silentio, patres custodierunt, recte illi edocti, quæ sunt in mysteriis præclara, ac veneranda silentio servare? *Basil. de Spiritu sancto ad Amphilocho. c. 27.*

CAPUT XVIII.

Novatus jacens in lecto pro necessitate perfusus est, nec reliqua in eo, quæ baptismum subsequi solent, solemniter adimpleta sunt, nec signaculo chrismatis consummatus est, unde nec Spiritum sanctum umquam potuit promereri, &c. *Cornel. apud Euseb. lib. 6. hist. eccl. c. 35.*

Vide Leon. epist. 78. ad Episcopos per Campaniam, c. 1. tit. de catechizandis catechumenis, c. Quosdam.

Vide Syric. epist. 1. c. 2. tit. de præparatione, quam postulat baptismus, c. In paschate. Brach. II. c. 1. tit. 1. de iis, qui catechumenos docent. Carthag. IV. c. 85. tit. de præparat. ad baptismum, c. Baptizandi, de sale. Carthag. III. cap. 5. tit. varia, de catechumenis cap. Per solemnissimos.

TITULUS XVIII.

DE LOCO, IN QUO BAPTISMUS EST SUSCIPIENDUS.

CAPUT I.

De conf. d. 3. c. 22. Celebritatem.

SI necesse fuerit, aut mortis periculum ingruerit gentiles ad fidem venientes, quocumque loco, vel momento, ubicumque evenerit, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum christiana confessione clarificata, baptizentur. *Victor epist. 1. in princ. Burch. lib. 4. c. 3. Ivo part. 1. c. 198. decret. Anselm. lib. 9. c. 60.*

CAPUT II.

De conf. d. 1. Cleric. c. 33.

Deponatur clericus, qui sine licentia Episcopi intra domum in oratoria domo sacrificat, vel baptizat. *Trull. c. 31.*

CAPUT III.

In ecclesiis, non in domibus, aut privatis oratoriis baptismus celebretur: contra faciens clericus deponatur, laicus excommunicetur. *Trull. cap. 19.*

CAPUT IV.

Licet initio quadragesimæ baptizandi generaliter claudatur mysterium, tamen ut ecclesiasticæ consuetudinis ordo depolceat, necesse est, ut & ostia baptisterii in eodem die pontificali manu, & annulo signata claudantur, & usque in cœnæ Domini solemnitate nullatenus referentur, ob id videlicet, ut per signaculum Pontificum, excepto gravissimæ necessitatis obventu, in his die-

bus monstratur, per totum orbem non licere fieri baptismum, &c. Quod quia in aliquibus ecclesiis minima hæc sancta consuetudo ab Episcopis custoditur, atque peragitur, ideo per hanc nostram sententiam sancimus, atque decernimus, ut ita a totius Hispaniæ, & Galliarum Pontificibus custodiantur, quatenus in prædicto die, initii videlicet quadragesimæ, & ostia sancti baptisterii cum laudum consummatione claudantur, & ab Episcopis suorum annulorum sigillo obsignentur, ita ut nisi in cœnæ Domini celebritate, quando more solito altaria assolent devesiri, eadem debeant ostia referari. *Tolet. XVII. c. 3.*

CAPUT V.

Publicum baptisterium in nulla parochia esse debeat, nisi ubi Episcopus constituerit, cujus parochia est, nisi tantum si necessitas evenerit, pro infirmitate, aut pro aliqua necessitate, illi presbyteri, quos Episcopus in sua parochia constituerit, in qualicumque loco evenerit, licentiam habeant baptizandi, ut omnino sine baptismo non moriantur. *Syn. apud Palat. Vernis. c. 7.*

CAPUT VI.

Nemo presbyterorum baptizare præsumat, nisi in vicis, & ecclesiis baptismalibus, atque temporibus constitutis, nisi causa ægritudinis, vel certæ necessitatis, sicut sacra canonum docet auctoritas, & vici auctoritatem, & privilegia debita, & antiqua retineant. *Meldens. c. 48. Burch. lib. 4. c. 14.*

CAPUT VII.

Si valida infirmitate occupati, & desperati ad ecclesiam provehi non possint, loco mundo perspecto, baptismus celebretur, & procuratore presbyteri caute observetur, & collocetur. *Trihur. c. 12.*

CAPUT VIII.

Victor constituit, ut necessitate faciente ubicumque inventus fuisset, quicumque hominum ex gentibus veniens, sive in flumine, sive in mari, sive in fonte, sive in stagno baptizaretur, tantum christianæ credulitatis confessione declarata, integer efficeretur christianus. *Damas. in Victor.*

TITULUS XIX.

DE DIEBUS AD SUSCIPIENDUM BAPTISMUM CONSTITUTIS.

CAPUT I.

Baptismus date omnibus infirmis, sanis autem in pascha, & pentecoste. *Silo. in Syn. CCLXXXIV. Epist. c. 12.*

CAPUT II.

Baptismus non fiat nisi in pascha, & pentecoste, nisi ex necessitate. *Greg. VII. in concil. Rom. ann. incert. c. 29.*

CAPUT III.

Die paschæ baptismus celebrandus est catholicus. *Victor epist. 1. in princ.*

CAPUT IV.

Non ratione, auctoritate, sed sola temeritate præsumitur, ut passim, ac libere natalitiis Christi, seu apparitionis, necnon & Apostolorum, seu martyrum festivitatis innumeræ plebes baptismi mysterium consequantur. Cum hoc sibi privilegium apud nos, & apud omnes ecclesias do-

De conf. d. 3. c. 22. Celebritatem.

De conf. d. 4. c. 11.

dominicum specialiter cum pentecoste sua pascha defendat, qui solis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit sacramenta, his dumtaxat electis, qui ante quadraginta, vel eo amplius, dies nomen dederint, & exorcismis, quotidianisque orationibus, atque jejuniis fuerint expiati, quatenus Apostolica illa impleatur præceptio, ut expurgato fermento veteri, nova incipiat esse conspersio. Sicut sacram ergo Paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam, ita infantibus, qui nondum loqui potuerint per ætatem, vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit, sacri unda baptismatis omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens uniusquisque de sæculo, & regnum perdat, & vitam, &c. Præfatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab Apostolica petra, super quam Christus universalem construxit ecclesiam, soliditate divelli. *Syr. epist. 1. cap. 2. Tribur. cap. 12. Burch. lib. 4. cap. 5. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 9. panorm. & part. 1. cap. 58. & 200. decret. Casaragust. lib. 12. cap. 10.*

CAPUT V.

Cum mihi innotuerit, vos in eo, quod inter sacramenta ecclesie principale est, ab Apostolica institutionis consuetudine discrepare, ita ut baptismi sacramentum numerosius in die Epiphaniae, quam paschali tempore celebretis, miror vos, vel prædecessores vestros, tam irrationabilem novitatem usurpare potuisse, ut confuso temporis utriusque mysterio, nullam esse differentiam crederetis inter diem, quo adoratus est Christus a Magis, & diem, quo resurrexit a mortuis. *Leo epist. 4. c. 1.*

CAPUT VI.

Proprie in morte crucifixi, & in resurrectione ex mortuis potentia baptismatis novam creaturam condit ex veteri, ut in renascentibus, & mors Christi operetur, & vita, discente beato Apostolo Paulo: *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? conscripti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vite ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, &c.* Quæ latius magister gentium ad commendandum sacramentum baptismatis disputavit, ut appareat, ex hujus doctrinae spiritu regenerandis filiis hominum, & in Dei Filios adoptandis illum diem esse, & illud tempus electum, in quo per similitudinem, formamque mysterii ea, quæ geruntur in membris, his, quæ in ipso sunt capite, gesta congruerent, dum in baptismatis regula, & mors intervenit interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio resurgentis instar est de sepulchro. Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem, in quo orta est, & virtus muneris, & species actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipse Dominus

Jesus Christus, posteaquam resurrexit a mortuis, discipulis suis, in quibus omnes ecclesiarum præfules docebantur, & formam, & potestatem tradidit baptizandi dicens: *Euntes ergo nunc, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi, resurrectionis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Additur sane huic observantiæ, etiam pentecostes ex adventu Spiritus sancti sacra solemnitas, quæ de paschalis festi pendet articulo. Et cum ad alios dies alia festa pertineant, hæc semper ad eum diem, qui resurrectioni Domini est insignis, occurrit, porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum, & eos, quos a die paschæ, aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas interclusit, invitans, ut quibuslibet necessitatibus impediti desiderii sui effectum dono Spiritus sancti consequantur, &c. Hoc autem nos non ex nostra persuasionem defendere, sed ex Apostolica auctoritate servare, satis ideo probamus exemplo, sequentes beatum Apostolum Petrum, qui in ipso die, quo omnem credentium numerum promissus Spiritus sancti replevit adventus, trium milium populum sua prædicatione conversum lavacro baptismatis consecravit, &c. Unde quia manifestissime patet, baptizandis in ecclesia electis hæc duo tempora, de quibus locuti sumus, esse legitima, dilectionem vestram monemus, ut nullos alios dies huic observantiæ misceatis. *Leo epist. 4. c. 3. 4. 5. ad Episc. Siciliae. Tribur. c. 12. Ivo part. 1. c. 45. 46. Burch. lib. 4. c. 2.*

CAPUT VII.

Si quis Epiphaniæ festivitatem, quæ in suo ordine, debito honore veneranda est, ob hoc existimat privilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quod in eodem die Dominus ad baptismum sancti Joannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eandem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec quærens remedium renascendi, sic voluit baptizari, quomodo voluit circumcidi, hostiamque pro se emundationis offerri, ut qui factus erat ex muliere, sicut Apostolus ait, fieret & sub lege, quæ non venerat solvere, sed adimplere, & implendo finire, sicut beatus Apostolus prædicat, dicens: *Finis autem legis Christus ad justitiam omni credenti.* Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenens, se docuit esse principium. Et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis & aqua baptismatis, &c. His itaque fratres charissimi talibus, ac tantis existentibus documentis, quibus omni ambiguitate submota, evidenter agnoscitis in baptizandis electis, &c. (duo tantum tempora, idest pascha, & pentecosten esse servanda.) Hoc vestrae indicimus charitati, ut ab Apostolicis institutis nullo ulterius recedatis excessu, quia

1. Cor. 5.

Matt. 16.

Matt. 28.

Act. 2.

De conf. d. 4. cap. 12. Duo tempora.

De conf. d. c. 14.

De conf. d. 4. c. 13.

Rom. 6.

Joann. 1.

Galat. 4. Matt. 5. Rom. 10.

De conf. d. 4. c. 12. Dist. 11. c. 10.

quia multum posthac esse non poterit, si quispiam Apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas. *Leo epist. 4. cap. 6. ad Episcopos Sicilia. Magunt. cap. 4. Magunt. sub Raban. cap. 3. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 10. al. cap. 18. panorm. & part. 1. cap. 47. & 59. decret. Anselm. lib. 9. c. 14.*

CAPUT VIII.

Magna indignatione commoveor, quod quosdam ex vobis ita comperi esse Apostolicæ traditionis oblitos, & studio sui erroris intentos, ut præter paschæ festum, cui sola pentecostes solemnitas comparatur, audeant sibimet non aliqua humanæ infirmitatis necessitate cogente, sed solo indisciplinati arbitrii libertate, jus baptismatis vindicare, & in natalibus martyrum regenerationis celebrare mysteria, &c. Admonemus igitur, & non sine periculo status eorum, qui hæc faciunt, protestamur, ut ab hac præsumptione cessetur, & summam hanc, potentissimamque Dei gratiam, nonnisi in paschalis, & pentecostes die, desiderantibus, & credentibus conferatis. *Leo ep. 78. cap. 1.*

CAPUT IX.

De conf. d. 4. cap. 18. Baptizandi sibi quispiam passim quocumque tempore nulla credat inesse fiduciam, præter paschale festum, & pentecostes, venerabile sacramentum, excepto dumtaxat gravissimi languoris incurso, in quo verendum est, ne morbi crescente periculo sine remedio salutaris fortassis ægrotaans exitio præventus abscedat. *Gelas. epist. 1. c. 12. Conc. Paris. sub Ludov. & Lothar. c. 7. lib. 1. Corpus canon. c. 10. Gelasii. Burch. lib. 4. cap. 4. Ivo part. 1. cap. 199. decret. Anselm. lib. 9. cap. 13. Tarrach lib. 4. cap. 9.*

CAPUT X.

De conf. d. 4. cap. 98. Comperimus multos Judæorum ad christianam fidem divina gratia inspirante velle converti, &c. Quibus si longum, vel triste videtur solemnitatem sustinere paschalem, & eos nunc ad baptismum festinare cognoscitis. [Ne quod absit longa dilatio eorum retro possit animos revocare, cum fratre nostro Episcopo locis ipsius loquere, ut pœnitentia, ac abstinentia quadraginta diebus indicta, aut die dominico, aut si celeberrima festivitas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente, baptizet. *Gr. lib. 7. Indict. 1. epist. 24. Fantino Defensori. Ivo part. 1. c. 61.*

CAPUT XI.

Sacro sancti baptismi sacramentum non nisi in paschali festivitate, & pentecoste noverit esse præbendum, exceptis his, qui mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subvenire. *Greg. II. epist. 5. ad Clerum Turingiæ. Ivo lib. 1. tit. 2. c. 14. panorm. & part. 1. c. 63. decret.*

CAPUT XII.

Insignia anni, sive solemnia tempora, quibus baptismata celebrantur, secundum canones duo sunt, paschæ scilicet, & pentecostes. Verum circa vos nulla sunt in baptizando tempora penitus observanda, quemadmodum nec erga eos, qui mortis vicinæ periculum metuentes, tanto lava-

Tom. VI.

cro purgari desiderant. *Nicol. ad consult. Bulg. cap. 69.*

CAPUT XIII.

Catechumeni in paschæ solemnitate, vel pentecostes ad baptizandum veniant. Ceteris solemnitatibus infirmi tantum debent baptizari, qui quocumque tempore sunt baptizandi. *Gerund. c. 4. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 13. panorm. & part. 1. c. 60. decret.*

De conf. d. 4. c. 15. De catechumenis.

CAPUT XIV.

Comperimus christianos non observantes legitimū diē baptismi, pene per singulos dies, ac natales martyrum filios suos baptizare, ita ut vix duo, vel tres reperiantur in sancto pascha, qui per aquam, & Spiritum sanctum regenerentur. Idcirco censemus, ut ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare, &c. Ideoque omnes omnino a die quadragesimo cum infantibus suis ad ecclesiam observare præcipimus, ut impositionem manus certis diebus adepti, & sacri olei liquore peruncti, legitimi diei festivitate fruantur, & sacro baptismate regenerentur, quo possint, & honoribus, si vita comes fuerit, sacerdotalibus fungi, & singularis celebrationis solemnitate frui. *Marisc. II. cap. 3.*

CAPUT XV.

Non licet absque paschæ solemnitate ullo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos grabatarios dicunt. Quod si quis in alio pago contumacia faciente post interdictum hoc infantes suos ad baptismum detulerit in ecclesias nostras, non recipiatur. Et quicumque presbyter ipsos extra nostrum præceptum recipere præsumpserit, tribus mensibus a communione ecclesiæ sequestratus sit. *Antisiod. c. 18.*

CAPUT XVI.

Licet initio quadragesimæ baptizandi generaliter claudatur mysterium, tamen ut ecclesiasticæ consuetudinis ordo deposcit, necesse est, ut & ostia baptisterii in eodem die pontificali manu, & annulo signata claudantur, & usque in cœnæ Domini solemnitatem nullatenus referantur, ob id videlicet, ut per signaculum Pontificum, excepto gravissimæ necessitatis obventu, in his diebus monstretur, per totum orbem non licere fieri baptismum, &c. Per hanc nostram sententiam sancimus, atque decernimus, quatenus in prædicto die initii videlicet quadragesimæ, & ostia sancti baptisterii cum laudum consummatione claudantur, & ab Episcopis suorum annulorum sigillo obsignentur, ita ut in cœnæ Domini celebritate, quando more solito altaria assolent devesiri, eadem debeant ostia referari. *Foler. XVII. cap. 3.*

CAPUT XVII.

Sacramenta baptismatis volumus, ut in singulis parochiis secundum Romanum ordinem inter nos celebrentur, &c. sicut in decretis Leonis Pape sub duobus continentur capitulis, cap. xi. Hæc duo tempora, id est pascha, & pentecoste ad baptizandum a Romano Pontifice legitima præfixa sunt, &c. *Magunt. cap. 4. Magunt. sub Raban. c. 3. Corpus Canon. c. 11. & 12. Leo.*

CAPUT XVIII.

Præfixa tempora canonum super celebratione

E c

b2.

De conf. d. 4.
cap. 18.

baptismatis a multis partim ignorantia, partim præsumptione violantur, &c. Quod ad negligentiam sacerdotum, necnon & auditorum pertinere dubium non est. Quo itaque tempore baptismus celebrari debeat, Gelasius in decreta lib. cap. x. scribit, Baptizandi inquit sibi quisquam, &c. *Ut supra hoc eod. tit. Parisiens. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 7. Corpus Canon. cap. 10. Gelasii.*

CAPUT XIX.

Sicut duobus temporibus pascha videlicet, & pentecoste baptismum, ita etiam traditio sancti Spiritus per impositionem manus fidelibus traditur, exceptis videlicet, ut dictum est, infirmis, & morbo periclitantibus, quibus sicut baptismatis gratia succurrendum, ita incunctanter donum sancti Spiritus est tradendum. *Parisien. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 33.*

CAPUT XX.

Sacro sancti baptismi sacramentum non nisi in paschali festivitate, & pentecoste unusquisque fidelium noverit esse præbendum, exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subveniri. *Vormatiens. cap. 1. Burch. lib. 4. c. 7. Ivo part. 1. c. 202. decret.*

CAPUT XXI.

Sacro sanctum baptismi mysterium sciant omnes in Christo regenerati, non nisi præfixis, & legitimis in anno celebrari temporibus, cum hoc sibi privilegium, ut in epistola Syricii Papæ legitur, cap. 2. & apud nos, & apud omnes ecclesias specialiter cum pentecoste sua dominicum pascha defendat. In quo, ut legitur in epistola Leonis Papæ cap. 9. orta est & virtus muneris, & species actionis, &c. usque ad octavum diem ipsa regeneratio sacra ab omni christiano populo celebrabitur, quia resurrectio Domini octo diebus colitur. *Triburiens. cap. 12. vid. Syric. ep. 1. cap. 2. & Leon. epist. 4. cap. 3. supr. Corpus Canon. cap. 9. Leonis.*

TITULUS XX.

NON DENEGETUR BAPTISMUS HIS,
QUI SUNT IN PERICULO MORTIS
ETIAM EXTRA TEMPORA
STATUTA.

CAPUT I.

Baptismum date omnibus infirmis, sanis autem in paschate, & pentecoste. *Silvest. in synod. 248. Episcop. cap. 12.*

CAPUT II.

De conf. d. 1.
c. 22. Cele-
briratem.

Si necesse fuerit, aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes, quocumque loco, vel momento, ubicumque evenerit, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum christiana confessione clarificata baptizentur. *Victor epist. 1. in princ. Burch. lib. 4. c. 3. Ivo part. 1. cap. 198. decret. Anselm. lib. 9. c. 60.*

CAPUT III.

Infantibus, qui nondum loqui potuerint per ætatem, vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit, sacri unda baptismatis omni volumus celeritate succurri, &c. Quicumque etiam discrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis

ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis desperationem inciderunt, & sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri, eodem, quo poscunt, momento temporis expectata regenerationis præmia consequantur. *Syric. epist. 1. cap. 2. refert conc. Magunt. c. 4. Magunt. sub Rab. cap. 3.*

CAPUT IV.

In mortis periculo in obsidionis & crimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii nullo tempore hoc veræ salutis singulare remedium cuiquam denegamus. *Leo epist. 4. cap. 6. Burch. lib. 4. cap. 2. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 12. panorm. & part. 1. cap. 197. decret. Anselm. lib. 9. c. 14.*

CAPUT V.

Summam hanc, potentissimamque Dei gratiam (loquitur de baptismo) non nisi in paschali & pentecoste die desiderantibus, & credentibus conferatis, manente quolibet tempore gravium necessitatum, ac periculorum consideratione, secundum quam oporteat subvenire, ne conditione mortali coarctata infirmitas necessaria liberatione fraudetur. Cum propter multa pericula sit cavendum, ne cuiquam, aut in desperata ægritudine, aut in hostili incurso, aut in timore naufragii per sacerdotem Domini regeneratio denegetur. *Leo ep. 78. c. 1.*

CAPUT VI.

Baptizandi sibi quispiam passim quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam præter paschale festum, & pentecoste venerabile sacramentum, excepto dumtaxat gravissimi languoris incurso, in quo verendum est, ne morbi crescente periculo, sine remedio salutaris fortassis ægrotus exitio præventus abscedat. *Gelas. epist. 1. cap. 12. refert Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 7. Burch. lib. 4. cap. 4. Ivo part. 1. cap. 199. decret. Tarrac. lib. 4. cap. 9. Anselm. lib. 9. cap. 13.*

CAPUT VII.

Baptizari vel enixam mulierem, vel hoc, quod genuerit, si mortis periculo urgetur, vel ipsa in hora eadem qua gignit, vel hoc, quod gignit eadem hora, qua natum est, nullo modo prohibetur. Quia sicut sancti mysterii gratia viventibus, atque discernentibus cum magna discretione providenda est, ita his, quibus mors imminet, sine ulla dilatione offerenda est, ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis mysterium quaeritur, interveniente paululum mora, inveniri non valeat, qui redimatur. *Greg. ad August. interrogazione 10. Ivo part. 1. cap. 62.*

CAPUT VIII.

Sacro sancti baptismi sacramentum non nisi in paschali festivitate, & pentecoste noverit esse præbendum, exceptis his, qui mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subvenire. *Greg. II. ep. 3. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 14. panorm. & part. 1. cap. 63. decret.*

CAPUT IX.

Pregnans, quando vult baptizari, potest: nihilque habet commune cum ventre, utriusque enim separata voluntas est in confessione fidei. *Neoc. cap. 6. Marr. Brach. cap. 54. Ivo part. 1. c. 225. decret.*

De conf. d.
4. c. 16. Si
quis.

De conf. d.
4. c. 18.

Dist. 5. c. 3.

De conf. d.
4. c. 17. Ve-
nerabilis.

De conf. d.
4. cap. 126.
Si qua.

CAPUT X.

Intra quinquennii tempora catechumena, si graviter fuerit infirmata, dandum ei baptismum placuit, non denegari. *Eliber. cap. 11.*

CAPUT XI.

Eos, qui spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet. *Eliber. cap. 37.*

CAPUT XII.

Qui ad primam credulitatis fidem accedunt, si bonæ fuerint conversationis, intra biennium placuit ad baptismi gratiam admitti debere, nisi infirmitate compellente, coegerit ratio, vel socio subvenire periclitanti, vel gratiam postulanti. *Elib. cap. 42.*

CAPUT XIII.

Oportet eos, qui in infirmitate suscipiunt baptismum, & convaluerunt, fidem discere, & agnoscere, quod Dei dono munificati sunt. *Laod. cap. 47. refert Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 6. Burchard. lib. 4. cap. 35. Ivo part. 1. c. 229. decret.*

CAPUT XIV.

Si ægroti respondere nequeant, tunc baptizentur, cum eorum voluntatis testimonium sui suo periculo dederint. *Carth. c. 45. G. Afr. 12. L. Carth. III. cap. 34. L. Burch. lib. 4. cap. 36. Ivo lib. 1. tit. 2. c. 7. panorm. & part. 1. c. 123. & 230. decret. Casar. lib. 12. c. 36.*

CAPUT XV.

Judæi octo menses inter catechumenos ecclesie limen introeant, sed si in periculo fuerint, baptizentur. *Agath. cap. 34. Burch. lib. 4. cap. 81. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 64. panorm. & part. 1. c. 75. decret.*

CAPUT XVI.

Subito obmutescens, pro ut statutum est, baptizari, aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. *Araus. cap. 12. Burch. lib. 4. c. 38. Ivo part. 1. c. 232. decret.*

CAPUT XVII.

Energumenis catechumenis in quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de baptismo consulendum. *Araus. cap. 15. vide cap. 13.*

CAPUT XVIII.

Catechumeni in paschæ solemnitate, vel pentecostes ad baptizandū veniant. Ceteris solemnitatibus infirmi tantum debent baptizari, qui quocumque tempore baptizandi. *Gerund. c. 4. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 13. panorm. & part. 1. c. 60. decret.*

CAPUT XIX.

Parvuli, qui nuper e materno utero editi sunt, si infirmi, ut affolet, fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt, si oblatis fuerint, baptizentur. *Gerund. c. 5. Burch. lib. 4. c. 32. Ivo part. 1. c. 226. decret.*

CAPUT XX.

Comperimus christianos non observantes legitimum diem baptismi pene per singulos dies, ac natales martyrum filios suos baptizare &c. Ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare,

præter illos, quos infirmitas nimia, aut dies extremus compellit filios suos baptismum percipere, &c. *Marisc. II. cap. 3.*

CAPUT XXI.

Non licet absque paschæ solemnitate ullo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos *grabatarios* dicunt. *Antif. c. 18.*

CAPUT XXII.

Nemo presbyterorum baptizare præsumat, nisi in vicis, & ecclesiis baptismalibus, atque temporibus constitutis, nisi causa ægritudinis, vel certæ necessitatis, &c. *Meldenf. c. 18.*

CAPUT XXIII.

Sacrofancti baptismi sacramentum, non nisi in paschali festivitate, & pentecoste unusquisque fidelium noverit esse præbendum: exceptis his quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subveniri. *Vormat. c. 1. Ivo part. 1. c. 202.*

CAPUT XXIV.

Periculo quocumque modo præoccupatis, & desperatis omni tempore subveniendum, & baptismi sacramentum est tribuendum, quia necessitas vix habet legem. *Tribur. c. 12.*

CAPUT XXV.

Si catechumenus a dæmone corripitur, & voluerit ipse, vel sui, ut sanctum baptismum accipiat, debent ne accipere, an non, & maxime si morti propinquus fuerit? Respondeo, si is, qui a dæmone corripitur, non fuerit ab immundo spiritu mundatus, non potest sanctum baptismum accipere, sed in exitu a vita baptizatur. *Timotheus Episc. Alexand. in responsis, c. 2.*

CAPUT XXVI.

Si segregationem aliqui sustinuerint propter lapsum puni, deinde sint morituri, existentes catechumeni baptizentur, & ne ab humanis excedant gratiæ non participes, scilicet communione carentes. *Cyrillus Episc. Alexand. ad Episc. in Lybia, & Pentapoli.*

CAPUT XXVII.

Si parvulus ægrotans ad quemlibet presbyterum baptismi gratia de cujuslibet parochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus absque baptismatis gratia mortuus fuerit, noverit se ille, qui eum non baptizavit, pro ejus anima rationem redditurum. *Theodulph. ad presb. Aurel. c. 17. Burch. lib. 4. c. 49. Ivo part. 1. c. 243. decret.*

De baptizatis in morbo non ordinandis: Vide in Parr. II. lib. XV. de Ordinis sacramento.

TITULUS XXI.

DE VOLUNTATE AD SUSCIPIENDUM BAPTISMUM.

CAPUT I.

Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum clausisse diem litteris tuis significasti, quia in sanctæ matris ecclesie fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cælestis patriæ gaudium esse adeptum, & sanctorum patrum auctoritate Augustini, atque Ambrosii incunctanter asserimus, &c. Augustinus, Baptismus invisibiliter

De presbyt. nondum baptizato, c. 2. ap. Gr. IX. & in 2. coll. Vide de conf. cap. 34. Baptismi.

De conf. d. 4. c. 75. Ægrotantes.

De conf. d. 4. c. 93.

26. q. x. c. 7. Qui recedunt.

De conf. d. 4. c. 15. De catechumenis.

ministratur, (quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.) Librum beati Ambrosii de obitu Valentiniani idē asserentis resolve: („Quem in evangelio eram generaturus, „ amisi, sed ille non amisit gratiam, qua popo- „ scit, qui mihi in sermone, quo utebar ad ple- „ bem, hodie surrexit, &c. Sed audivi vos dole- „ re, quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi „ voluntas, nisi petitio? &c. Aut si quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet, „ ergo nec martyres, si catechumi fuerint, coro- „ nantur? Quod si suo abluuntur sanguine, & „ hunc sua pietas abluit, & voluntas.“) Sopitis igitur quæstionibus doctorum patrum sententias teneas, & ecclesiæ tuæ juges preces, hostiasque pro eo offerre jubeas. *Innoc. II. Cremon. Episcop. ex Ambros. de obitu Valentiniani, & August. 13.* lib. de civitate Dei cap. 7. vide lib. 4. de Baptismo contra Donatist. c. 22. vide Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 99. & 102. panorm. & part. 1. cap. 177. decret.*

* 8. alias.

De baptismo c. 3. ap. Gr. IX. & c. un. in 1. coll. Majores.

CAPUT II.

Religioni christianæ contrarium est, ut semper invitus, & penitus contradicens ad recipiendam, & servandam christianitatem aliquis compellatur, &c. qui terroribus, atque suppliciis violenter attrahitur, ut ne detrimentum incurrat, baptismi suscipiat sacramentum, talis quidē, sicut & is, qui fide ad baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum, & ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est tamen ad observationem fidei christianæ, &c. Ille vero, qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti (baptismi) quia plus est, expresse contradicere quam minime consentire. *Innoc. III. Arelat. Archiep.*

CAPUT III.

Dormientes, & amentes, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterant, quia eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si fuerint sic immergi, characterem nec suscipiunt sacramenti, secus autem si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Unde tales in necessitatis articulo consuevit ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem non invenit obstantem. *Innoc. III. Arelat. Archiep.*

Dist. 45. De Judæis. c. 6.

CAPUT IV.

Judæi, qui jam pridem ad christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti, quia jam constat eos esse sacramenti divini associatos, & baptismi gratiam percepisse, & chrismate unctos esse, & corporis Domini, & sanguinis extitisse participes, oportet, ut fidem etiam, quam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen divinum blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis, ac contemptibilis habeatur. *Tolet. IV. cap. 56. Inn. III. in epist. ad Arelaten. Archiep. Burch. lib. 4. cap. 82. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 65. panorm. & part. 1. c. 276. decret.*

TITULUS XXII.

DE SUSCEPTORIBUS.

CAPUT I.

ITA diligere debet homo eum, qui se suscipit ^{30. 7. 3. c. 1.} ex sacro fonte, sicut patrem, quinimo quanto præstantius est spiritus carne, quod illud spirituale sit patrociniū, & secundum Deum adoptivo, tanto magis spiritualis pater in omnibus est a spiritali filio diligendus. Marcus enim Evangelista Petri discipulus, & ex sancto fuit ejus baptismo filius, quem nisi dilexisset ut patrem, ei non in omnibus obedisset ut filius. *Nicol. ad Consult. Bulg. cap. 2. Ivo lib. 6. tit. 11. cap. 4. panorm. & part. 1. cap. 135. & part. 9. c. 34. decret. Cesar. lib. 10. c. 130.*

CAPUT II.

Scire vos velle significatis, quid de his, qui legem christianam respuunt, agere debeatis? In quo notandum est, quoniam omnis homo, sicut per alterius culpam, id est adæ, contraxit, unde purgatione per aquam baptismatis egeat, ita cum ad fidem promittendam, ad regenerationis occurrit undam, aliam eligit quodammodo patrem spiritalem, videlicet, a quo susceptus instruatur, & omni custodia muniatur, & tamquam depositum quoddam rectori ecclesiæ repræsentetur. Præterea qui fidem respuit, quam promisit, ab illo, a quo susceptus est, & qui fidei ejus intervector extitit, debet per omnia revocari. Jam vero si non audierit eum, quem ipse pro se dederat vadem, dicendum est ecclesiæ, a qua majori studio ad ovile proprium ovis reduci convenit, quæ erravit. *Nicol. ad consult. Bulg. c. 18.*

Matt. 18.

CAPUT III.

Non licet Abbati filios de baptismo habere, nec monachis commatres habere, *Antisiod. cap. 25. De conf. d. 4. c. 103. Cesar. lib. 9. c. 43. Ivo part. 1. c. 132. decret.*

CAPUT IV.

Parentes filios suos, & patrini eos, quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summo opere studeant, illi, quia eos genuerunt, & eis a Domino dati sunt, isti, quia pro eis fidejussores existunt. *Arelat. sub Carolo c. 19.*

CAPUT V.

Unusquisque compater, vel proximi spirituales filios suos catholice instruat. *Magunt. c. 47.*

CAPUT VI.

Quia illi, qui in sua sponsione eos, quos de sacrosancto fonte suscipiunt, nec fidei, nec baptismatis sacramento sunt instructi, idcirco eos, quos suscipiunt, & secundum sanctorum Patrum documenta, docere debuerant, erudire nequeunt, &c. Qualiter autem hi, qui de sacro fonte alios suscipiunt instruere debeant, B. August. in sermone habito apud populum demonstrat, dicens: „ Quicumque igitur viri, quæcumque mulieres „ de sacro fonte filios spiritualiter susceperunt, „ cognoscant se pro eis fidejussores extitisse apud „ Deum, & ideo necesse est, ut semper illis sollicitudinem veræ charitatis impendant, admo- „ neant, & castigent, atque corripiant, ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servant, & cæteris bonis operibus dediti „ sint.“ *Paris. sub Lud. & Loth. lib. 1. c. 7.*

CA.

CAPUT VII.

Qui alios de sacro fonte suscipiant, quique ad percipiendum sancti Spiritus donum, coram Pontificibus pro aliis patroni existunt, intelligere debent, & vim tanti sacramenti, & quid pro aliis sponponderint. Illos tamen in hoc capitulo specialiter ab his officiis removendos judicamus, qui propter reatum suum publica pœnitentia sunt mulctati, videlicet ut nec alios de sacri fontis baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum sancti Spiritus donum, aliorum patroni coram Pontificibus existant, donec per dignam pœnitentiæ satisfactionem reconciliationem mereantur. *Parisi. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 54. Capit. lib. 6. c. 179.*

CAPUT VIII.

Nullus alteri suscipiat a fonte infantem, nisi qui apprime signaculum, id est abrenuntiationem diaboli, & professionem catholicæ fidei tenuerit, & infantem nequaquam duo, vel plures, sed unus fonte baptismatis suscipiat, nam unus

Ephef. 4.

Deus, unum baptisma, unus qui a fonte suscipit, debet esse pater, vel mater infantis. Meten. c. 3.

CAPUT IX.

Constitutum est, ut nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis alium suscipiat, neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum, & orationem dominicam memoriter tenuerit, &c. *Theodulph. ad presb. Aurel. c. 22.*

Vide Magunt. c. 55. tit. sequenti c. Nullus.

TITULUS XXIII.

DE COGNATIONE, QUÆ ORITUR ET BAPTISMO.

CAPUT I.

30. q. 1. c. 1. Pervenit.

Quidam viri, & mulieres præterito sabbato paschali die pro magno populorum incurfu, nescientes, proprios suos filios susceperunt ex lavacro sancto, &c. Invenimus in archivis hujus Apostolicæ sedis jam talia contigisse in ecclesia Isauriæ & Ephesiorum, simulque Hierosolymis, & alibi, & Episcopis ab hac Apostolica sede scire volentibus, si viri, & mulieres redirent ad proprium torum, beatæ memoriæ sanctissimi patres Julius, Innocentius, & Cælestinus cum Episcoporum plurimorum & sacerdotum conventu, in ecclesia beati Apostolorum Principis prohibentes talia perscriperunt, & confirmaverunt, ut nullo modo jam in conjugio se reciperent mulieres, aut viri, qui quacumque ratione suos susceperunt natos, sed separent se, ne suadente diabolo talis vitium peccati inoleat per mundum, & universorum error accrescat. Quomodo sunt septem dona Spiritus sancti, ita sunt septem dona baptismi, a primo pabulo sacri talis, & ingressus sanctæ ecclesiæ usque ad confirmationem Spiritus sancti per chrisma. Ab hoc primo Spiritus sancti dono, usque ad septimum nullus christianus suam commatrem in conjugio recipere debet, & qui præsumperit, anathematis vinculo religetur in perpetuum, nisi pœnitentiam egerit digne: mulieres vero cum separatæ fuerint pro hac illicitate, a propriis viris totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali recepit. *Deus dedit*

epist. un. ex synod. Burch. lib. 17. cap. 44. Ivo lib. 6. tit. 11. c. 8. panorm. & part. 1. cap. 305. decret. Anselm. lib. 10. cap. 29. Cæsar. lib. 10. cap. 78. Tarrac. lib. 5. c. 2.

CAPUT II.

Si quis commatrem spiritualem duxerit in conjugium, anathema sit. *Greg. II. in synod. Rom. cap. 4.*

CAPUT III.

Presbyteram, diaconam, nonnam, aut monacham, vel etiam spiritualem commatrem, nullus sibi præsumat nefario conjugio copulare, nam qui hujusmodi opus perpetraverit, sciat se anathematis vinculo esse obligatum, &c. *Syn. Rom. sub Zachar. c. 5.*

CAPUT IV.

Qui copulantur parentibus, vel commatribus, & filiis, & e converso, excommunicentur. *Greg. VII. in concil. Rom. ann. incert. c. 16.*

CAPUT V.

Ita diligere debet homo eum, qui se suscepit ex sacro fonte, sicut patrem, &c. Nulla vero inter eos, & filios eorum consanguinitas est, quoniam spiritus ea, quæ sanguinis sunt, nescit, caro enim secundum Apostolum concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, hæc enim invicem adversantur. Est tamen alia inter eos gratuita & sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritalis proximitas. Unde inter eos non arbitramur esse quodlibet posse conjugale connubium, quandoquidem nec inter eos, qui natura, & eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt, &c. Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cæleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit. Longe igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius ejus, vel frater meus esset, elegit, prudentiisque ab alterna corporis commistione secernitur, quoniam Spiritus sanctus sua nos charitate coadunavit, quam si vel carnalis necessitudo, vel invicem nos mutabile cujusdam corruptibilis hominis arbitrium copulasset. *Nicol. ad consult. Bulgar. cap. 2. Ivo lib. 6. tit. 11. c. 4. panorm. & part. 1. cap. 135. & part. 9. cap. 34. decret. Cæsar. lib. 10. c. 130.*

30. q. 3. c. 1.

Galat. 5.

CAPUT VI.

Quoniam major est spiritus conjunctio, quam corporum, scimus in aliquibus locis quosdam ex sacro & salutari baptismate pueros suscipientes, cum eorum matribus viduis copulari. Id fieri prohibemus; sed si contraxerint, separentur, & pœnis fornicantium subjaceant. *Trull. c. 53.*

CAPUT VII.

Dictum nobis est, quasdam fœminas desidiose, quasdam vero fraudulentè, ut a viris suis separentur, proprios filios coram Episcopis ad confirmandum tenuisse. Unde nos dignum duximus, ut si qua mulier filium suum desidia, aut fraude aliqua coram Episcopo ad confirmandum tenuerit,

30. q. 1. c. 4.

rit, propter fallaciam suam, vel fraudem, quamdiu vivat agat poenitentiam, a viro tamen suo non separetur. *Cabilon. sub Carolo c. 31. Burch. lib. 17. c. 23. Ivo lib. 7. tit. 9. c. 5. panorm. & part. 9. c. 81. decret.*

CAPUT VIII.

Nullus proprium filium, vel filiam de fonte baptismatis suscipiat, nec filiolum, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium, aut filiam ad confirmationem duxerit, ubi autem factum fuerit, separentur. *Magunt. sub Carolo c. 55. Capit. lib. 5. c. 100.*

CAPUT IX.

Perlatum est ad nos, quod quidam Alemannus nomine sibi commatrem spiritualem, ex parochia Arnonis Episcopi, scelesto conjugio associasset, sed postea per sacramenta ab ea separatus, modo iterum eam sibi impia copulatione habet sociatam, quem quia tale scelus perpetratum habere audivimus, secundum constitutionem S. Gregorii Papæ gladio spirituali percutimus, eumque anathematis vinculo innodamus. *Magunt. sub Arnulph. c. 18.*

CAPUT X.

30. 7. 4. c. 4. Qui spiritalem habet compatrem, cujus filium de lavacro sacri fontis accepit, & ejus uxor commater non est, liceat ei, defuncto compatre suo, ejus viduam ducere in uxorem, si nullam habent consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? numquid non possunt conjugi, quos nulla proximitas carnalis, vel nulla generatio fecerit spiritualis? *Tribur. c. 47. Burch. lib. 17. cap. 45. Ivo lib. 7. tit. 9. c. 5. vel lib. 7. cap. 67. panorm. & part. 9. c. 96. decret.*

CAPUT XI.

30. 7. 3. c. ult. Si quis suæ spiritualis commatris filiam, fortuito, & ita contingere rerum casu, in conjugium duxerit, consilio maturiori servato, habeat, atque honeste legitimo conjugio operam det. *Tribur. cap. 48. Burch. lib. 17. cap. 46. Ivo part. 9. cap. 97. decret.*

TITULUS XXIV.

BAPTIZENTUR HI, QUI IGNORANT SE BAPTIZATOS ESSE.

CAPUT I.

De cons. d. 4. cap. 112. **C**UM baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attendere de eo possit, quod neciat consecratum, nihil est, in quo peccatum possit obrepere, cum in hac parte conscientia suæ nec ille reus sit, qui consecratur, nec ille qui consecrat. Scimus quidem inexpiabile esse facinus, quoties juxta hæreticorum damnata a sanctis patribus instituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante doctrina, quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptisate sacramentum, sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur. Atque ideo quoties persona talis incidit, sollicita primum examinatione discutite, & longo tempore, nisi forte supremus finis immineat, indagate, utrum nemo sit penitus, qui

testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis, & cum constiterit, hunc, qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium. Nec vereamur huic salutis januam aperire, quam nunquam antea docetur ingressus. *Leo in synod. epist. 35. cap. 1. sive epist. 37. Leoni Episc. Ravenn. Ivo part. 1. cap. 48. decret.*

CAPUT II.

Qui ignorant, an sint baptizati, baptizentur. Qui sciunt se baptizatos, sed ignorant qua fide fuerint, qui eos baptizaverunt, per manus impositionem recipiantur. *Leo epist. 90. vel 92. c. 19. & 17. ad Rusticum Narbon. Episc. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 84. & 87. panorm. & part. 1. cap. 236. & 238. decret. Burch. lib. 4. cap. 42. & 44. Anselm. lib. 9. cap. 55. & 57.*

CAPUT III.

Quoties tam de baptismo aliquorum, vel confirmatione, quam de ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus certa ratio habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive ecclesie consecratae sint, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque ecclesie canonice consecrentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum. *Gregor. ad Felicem Siciliae Episc. cap. 3. lib. 12. indict. 8. epist. 31. Anselm. lib. 5. c. 23.*

CAPUT IV.

Quos a paganis baptizatos esse asseruisti, de quo baptizes in nomine Trinitatis*. *Greg. II. ep. 8. in med. Ivo part. 11. cap. 91. decr. Caesar. lib. 12. cap. ult.*

CAPUT V.

Eos, qui se dubitant fuisse baptizatos, an non, ut baptizentur, præcipimus. *Greg. II. ep. 8. in fin.*

CAPUT VI.

Pro parvulis, qui a parentibus subtrahuntur, & an baptizati sint, ignorant, hos, ut baptizare debeas, secundum patrum traditionem, si non fuerit, qui testificetur, ratio poscit. *Gregor. III. epist. 4. ad Bonif. Episc. ante fin. Ivo part. 1. cap. 146. Caesar. lib. 12. cap. 52.*

CAPUT VII.

Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari. *Carth. c. 73. G. Carth. V. c. 6. Afric. c. 39. L. Trull. c. 85. Vormac. c. 70. Burch. lib. 4. cap. 45. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 86. panorm. & part. 1. cap. 147. & 239. decret. Anselm. lib. 9. cap. 56. Capit. lib. 7. cap. 391. Caesar. lib. 12. cap. 53.*

CAPUT VIII.

De iis, qui nullo testimonio se baptizatos noverint, ut baptizentur. *Hippon. cap. 40.*

TITULUS XXV.

NE PECUNIA ACCIPIATUR BAPTIZANDI CAUSSA.

CA.

De cons. d. 4. cap. 113. Si nulla, & c. 38. Hi de quibus.

De cons. d. 4. cap. 52. sine nomine Trinitatis.

De cons. d. 4. cap. 110.

De cons. d. 4. cap. 111.

Ephes. 4.

CAPUT I.

ILLud quoque præcipimus, ut pro chrismate, & baptismo, & sepultura nihil unquam exigatur. *Urban. II. in concil. Placent. cap. 14. alias in concil. Clari montis.*

CAPUT II.

1. q. 1. c. 99.

Mat. 10.

Baptizandis, consignandisque fidelibus sacerdotes pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes, quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur, &c. Si fecerint, periculum subituri sunt sui honoris. *Gelas. epist. 1. cap. 7. Burch. lib. 4. cap. 71. Ivo part. 1. cap. 72. C. 265. decr. Casar. lib. 4. cap. 37.*

CAPUT III.

1. q. 1. cap.

104. Emen-

dari.

Qui baptizantur, nummos in concham non mittant, ne sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur, &c. *Eliber. cap. 48.*

CAPUT IV.

1. q. 1. cap.

102. Placuit.

Modicum balsami, quod benedictum pro baptisimi sacramento per ecclesias datur, quia a singulis remisses pro ipso exiguntur, nihil ulterius exigatur, &c. *Brach. II. cap. 4.*

CAPUT V.

1. q. 1. cap.

103. Placuit.

Unusquisque Episcopus per ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi, qui infantes suos ad baptismum offerunt, si quid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis; si vero non habent, quid offerant, nullum illis pignus tollatur a clericis, nam multi pauperes hoc timentes filios a baptismo retrahunt, qui si forte dum differuntur, sine gratia baptismi de hac vita recesserint, necesse est, ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum spolia pertimescentes a baptismi gratia se retraxerunt. *Brachar. II. cap. 7.*

CAPUT VI.

Presbyteri, qui sanctum Dei baptismum infantibus tradunt, nihil pro tali gratia a parentibus eorum auferre præsumant. *Emerit. cap. 9.*

CAPUT VII.

1. q. 1. cap.

101. Quid-

quid.

Qui pro baptizandis, consignandisque fidelibus, aut collatione chrismatis, vel promotionibus graduum, pretia, vel præmia, nisi voluntarie oblata, acceperit, &c. si sciente loci Episcopo, tale quidquam a subditis perpetratur, idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat, &c. si autem suorum quispiam, eodem nesciente, quodcumque pro supradictis capitulis accipiendum esse sibi crediderit, si presbyter est, trium mensium excommunicatione plectatur, si diaconus, quatuor, subdiaconus vero, vel clericus his cupiditatibus serviens, & competenti poena, & debita excommunicatione plectendus est. *Tolet. XI. cap. 8. Ivo part. 1. cap. 73. C. part. 5. cap. 126. decret.*

CAPUT VIII.

Nullus pretium pro baptismo accipiat, nisi quod fideles sponte dare, vel offerre voluerint. *Bituric. cap. 12. apud Lemovic. actio. 2.*

TITULUS XXVI.

NEMO AUDEAT EOS, QUI BAPTIZATI SUNT, REBAPTIZARE, NEQUE QUISQUAM SE REBAPTIZARI PERMITTAT.

CAPUT I.

UNA fides, unum baptisma. *Paul. ad Ephes. cap. 4.*

CAPUT II.

Baptizatos a Latinis ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant, &c. sacro suadente concilio districte præcipimus, ut talia decetero non præsumant, &c. si quis tale præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus ab omni officio, & beneficio ecclesiastico deponatur. *Innoc. III. in concil. gener. Later. cap. 4.*

De bap. cap. ult. Gr. IX. C. 1. cod. III. in 4. coll.

CAPUT III.

Qui satisfactorius Deo per poenitentiam se rebaptizatum legitime doluerit, utrum ad hoc facinus concurrerit, an impulsus accesserit, requiratur, &c. Ideo memineritis hanc super his nos habere sententiam, ut servata discretione peccantium, non eadem cuncti, qui lapsi sunt, lance pensentur, quoniam majoris castigationis exigendus est usura, cui domus Domini commissa fuerit disciplina. *Felix III. in synod. Rom. cap. 1. Burch. lib. 4. cap. 99. Ivo part. 1. cap. 293. decr.*

CAPUT IV.

Quos Episcopus presbyteros, vel diaconos fuisse constiterit, & seu optantes forsan, seu coactos lavacri illius unici, salutarisque claruerit fecisse jacturam, &c. usque ad exitus sui diem in poenitentia, si resipiscunt, jacere conveniet, nec orationi non modo fidelium, sed nec catechumenorum omnimodis interesse, quibus communio laica tantum in morte reddenda est. *Felix III. in synod. Rom. cap. 2. Burch. lib. 4. cap. 99. Ivo part. 1. cap. 293. decret.*

De conf. d. 4. Eos. 118.

CAPUT V.

De clericis autem, & monachis, aut puellis Dei, aut secularibus servari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna synodus circa eos, qui lapsi sunt, vel fuerint, servandum esse constituit, ut scilicet, qui nulla necessitate, nullius rei timore, aut periculo se, ut rebaptizentur hæreticis impie dederunt, si tamen eos ex corde poeniteat, tribus annis inter audientes sint, septem autem annis subjaceant inter poenitentes manibus sacerdotum, duobus autem annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodo secularibus in oratione socientur, &c. *Felix III. in synod. Rom. cap. 3. Nicæn. cap. 11. Burch. C. Ivo ubi supra.*

Dist. c. Eos.

CAPUT VI.

Pueris autem, quibus quod adhuc imberbes sunt, a pubertate vocabulum est, seu clericis, sive laicis, aut etiam similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquamdiu sub manus impositione detentis reddenda communio est, nec eorum expectanda poenitentia, quos excipit a coercitione censura. *Felix III. in synod. Rom. c. 4. Burch. C. Ivo ubi supra.*

*Dist. c. Eos. * investes, vel impubes.*

CAPUT VII.

Cæteros, id est, clericos, sive monachos, seu laicos utriusque sexus personas, quos violentiæ periculis coactos iterationem baptismatis subisse constiterit, vel qui aliquo commento hujus se facinoris piaculo dixerint non teneri, his poenitentiam per triennium durare decrevimus, & per manus

nus impositionem ad societatem recipi eos sacramenti. *Felix III. in syn. Rom. c. 4. Burch. & Ivo ubi sup. Anselm. lib. 7. c. 14. Tarr. lib. 1. c. 31.*

CAPUT VIII.

1. 7. c. 10. Illo per omnia custodito, ne ex eis unquam, [qui in qualibet ætate alibi, quam in ecclesia catholica baptizati, aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam prorsus permittantur accedere. Quibus satis esse debet, quod in catholicorum numero sunt recepti. *Felix III. in syn. Rom. cap. 5. Burch. Ivo, Anselm. & Tarrac. ut sup.*

CAPUT IX.

Vide de conf. d. 4. c. 107. Non licet. Reordinationes, seu & rebaptizationes, & secundum mutationes sancti patres in Africano concilio congregati omnimodis interdixerunt, quos secuti & nos interdiximus. *Synod. Ravenn. sub Joann. IX. part. 1. cap. 5. Carth. III. cap. 38.*

CAPUT X.

Episcopus, aut presbyter, qui habentem vere baptismum rebaptizet, &c. deponatur, ut irridens crucem, & mortem Domini, &c. *Apost. cap. 47. Burch. lib. 4. cap. 56. Ivo part. 1. cap. 250. decret.*

CAPUT XI.

Baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem catholicam festinare signasti, & quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle, quod non libet, cum hoc fieri, & Apostolus veter, & canones contradicant, & post cassatum Ariminense concilium, missa ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant. Quos nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solum septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus oriens, occidentisque custodit, a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio synodali separari sententia. *Syric. epist. 1. cap. 1.*

CAPUT XII.

18. 8. A Paulianistis venientes baptizari præcipiuntur, non ab aliis, &c. Denique baptizatos rite ab Evangelista Philippo Petrus & Joannes sola manus impositione consumant. Illos vero, quos

18. 19. Apostolus Paulus Joannis baptismate baptizatos repererat, interrogavit, an Spiritum sanctum acceperant, fatentibusque se ne illud quidem nomen audisse, iussit eos baptizari. Videtis ergo rite baptizatos illo dono iterari non posse, & aliter sola aqua lotos baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, &c. quia Paulianistæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti minime baptizant. *Innoc. epist. 22. c. 5. vide Nicæn. c. 19.*

CAPUT XIII.

1. 9. 1. c. 51. Hi qui. His, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti sunt, vel errore traducti, & nunc se contra catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio, qua in societatem nostram, non nisi per poenitentiae remedium, & per impositionem Episcopalis manus, communionis recipiant unitatem, &c. Qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola invocatione Spiritus sancti per imposi-

tionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumptere. Et [hanc regulam, ut sciatis, servandam omnibus ecclesiis prædicamus, ut la vacuum semel initum, nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, cuius ablutio nulla iteratione temeranda est, &c. Leo epist. 77. alias 79. cap. 6. & 7. ad Nicetam Aquilejen. Episc. Burch. lib. 4. c. 48. Ivo part. 1. c. 242. decret. Tarrac. lib. 4. c. 11. & lib. 6. cap. 49. vide tit. Baptizentur hi, qui ignorant se baptizatos esse, c. 1.*

CAPUT XIV.

Sicut baptizatus semel, iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordinem non debet consecrari. *Greg. lib. 2. epist. 32. ad Joann. Episc. Ravenn. Ivo lib. 3. tit. 7. c. 1. panorm. & part. 6. c. 82. decret. Anselm. lib. 7. c. 92. alias 104.*

CAPUT XV.

Quosdam absque interrogatione symboli ab adulteris, & indignis presbyteris fassus es baptizatos. In his tua dilectio teneat antiquum morem ecclesiæ, quia quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizatus est, rebaptizari eum minime liceat, &c. *Greg. III. epist. 4. in med.*

CAPUT XVI.

Illi, qui baptizati sunt per diversitatem, & declinationem linguarum gentilitatis, tamen quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per manus impositionem, & sacri chrismatis unctionem confirmari. *Greg. III. epist. 5. in med.*

CAPUT XVII.

Quicumque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari, sed per solam manus impositionem purgari debet. *Zach. ep. 2. in fin. Burch. lib. 4. c. 40. & cap. 43. Ivo part. 1. cap. 234. & 237. decret.*

CAPUT XVIII.

De Arianis, qui propria lege sua utuntur, ut rebaptizentur, placuit. Si ad ecclesiam aliqui de hac hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei sacerdotes symbolum, & si præviderint in Patre, & Filio, & Spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponatur, &c. *Arelat. c. 8. vide Arelat. II. c. 17.*

CAPUT XIX.

Descendens in aquam, & interrogatus in Trinitate secundum evangelii fidem, & Apostolorum doctrinam, & confessus bonam conscientiam in Deum, de resurrectione Jesu Christi, non iterum interrogetur in eadem fide, ut in aqua iterum intingatur. Illicitas esse sancimus rebaptizationes, & satis esse alienum a sincera fide, & catholica disciplina. *Carthag. I. cap. 1.*

CAPUT XX.

Sane credo vos retinere multis conciliis a patribus nostris & traditionem temerariam esse damnatam, & rebaptizationis impietatem esse puniendam, quas res etiam nostro concilio credo jam terminum accepisse. *Carthag. I. c. 14.*

CAPUT XXI.

Synodo Capuzæ statutum est, ut rebaptizationes

De conf. d. 4. cap. 97. Non licet.

nes non fiant. *Carthag. cap. 49. G. Afric. c. 15. Carthag. III. cap. 38. L. Vide Carthag. I. cap. 1. L. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 76. panorm. & part. 1. cap. 152. decret. Cæsar. lib. 12. cap. 61.*

CAPUT XXII.

Judex civitatis, vel loci, si hæreticum, aut Bonofiacum, vel cujuslibet alterius hæresis sacerdotem, vel quamcumque personam de catholicis rebaptizasse cognoverit, quia Reges nos constat habere catholicos, non statim rebaptizantes adstrinxerit, & ad Regis fidem atque justitiam propterea distringendos adduxerit, annuali excommunicationi subdatur. *Aurelian. III. c. 30.*

CAPUT XXIII.

Quicumque rebaptizandi sacrilegum opus, esse bonum credit, aut crediderit, agit, aut egerit, anathema sit. *Tolet. III. ante canones in fidei confessione Episcoporum.*

CAPUT XXIV.

De conf. d. 5. c. 2. Di-ctum. Nobis visum est eandem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minime debere. *Cabilon. sub Carolo cap. 27. Burch. lib. 4. c. 50. Ivo lib. 1. tit. 3. c. 9. panorm. & part. 1. c. 244. decret. Capitul. lib. 7. c. 53. in addit.*

TITULUS XXVII.
DE PENA ILLORUM, QUIBIS
SUSCIPIUNT BAPTISMUM.

CAPUT I.

Venientes a Novatianis, vel Montensibus per manus impositionem suscipiantur, præter eos, quos rebaptizant. *Syric. & synod. Rom. epist. 4. c. 8. apud concil. Felien.*

CAPUT II.

Multa de rebaptizatis, & de poena, qua afficiendi sunt, qui rebaptizant, aut rebaptizantur. *Felix III. in synod. Rom. supr. tit. Nemo audeat eos, qui baptizati sunt, rebapt. c. 3. 4. 5. 6.*

CAPUT III.

Venientes a Novatianis, vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur, quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati, præter eos, si qui forte a nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt. Hi si resipiscentes, & ruinam suam cogitantes redire voluerint, sub longa poenitentia satisfactione admittendi sunt. *Innoc. epist. 2. cap. 8.*

CAPUT IV.

1. 9. 1. c. 1. Si quis & c. 112. Omnis. 1. 9. 7. c. 21. Saluberrimam. Hæretici conversi, in quo inveniuntur ordine maneat, si tamen iterata tinctio non fuerint maculati. *Leo epist. 3. ad Julian. Aquilejen. Episc. & epist. 33. ad Septimum Alinum Episc. Ivo part. 6. c. 97. decret. & lib. 3. tit. 10. c. 4. panorm.*

CAPUT V.

De his, qui baptismatis gratia salutis accepta, apud Arianos iterum baptizati, profundæ voraginis sunt morte demersi, illud convenit observari, ut quia pro peccatis plurimis in gentibus iniquitas ipsa surrexit, in æstimatione fraternitatis tuæ, aliorumque Pontificum per suas dioeceses relinquatur, ut si qualitas, & poenitentis devotio fuerit approbata, indulgentiæ quoque remedio sit vicina, quorum tamen reconciliatio, non per illam impositionem manus, quæ per invo-

Tom. VI.

cationem sancti Spiritus fit, operatur, sed per illam, qua poenitentia fructus acquiritur, & sanctæ communionis restitutio perficitur. *Vigil. ep. 1. cap. 3.*

CAPUT VI.

Afros passim ad ecclesiasticos ordines tendentes nulla ratione suscipias, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpe probati sunt. *Gr. epist. 25. lib. 2. regist. Gr. II. epist. 3. Anselm. lib. 7. c. 21.*

CAPUT VII.

Presbyter, vel diaconus depositus ob crimen, non revertatur ad clerum, ut nec rebaptizatus. *Carthag. c. 27. G. Carth. V. c. 11. L. Raban. c. 1. de poenit. Capit. lib. 5. c. 66. Burch. lib. 19. c. 72. Ivo part. 15. c. 85. decret.*

CAPUT VIII.

De his, qui in prævaricatione rebaptizati sine aliqua necessitate, vel tormento delapsi sunt, &c. placuit, ut circa eos illa Nicænæ synodi statuta ferventur, quæ de prævaricatoribus sancita esse noscuntur, id est, ut septem annis inter catechumenos orent, & duobus inter catholicos, & postea moderatione, & clementia Episcopi fidelibus in oblatione Eucharistiæ communicent. *Ilerd. c. 9. vid. Nicæn. c. 11.*

CAPUT IX.

Cum rebaptizatis fideles religiosi nec in cibo participant. *Ilerd. c. 14. Burch. lib. 4. c. 55. Ivo part. 1. cap. 249. decret.*

CAPUT X.

Non promoveantur ad sacerdotium, qui in hæresi baptizati, aut rebaptizati esse noscuntur. *Tolet. IV. c. 18.*

CAPUT XI.

Qui se post unum, & sanctum lavacrum, vel profanis sacrificiis dæmonum, vel incesta lavatione polluerunt, eam censura formam servant, ut his juxta synodum Nicenam satisfactionis quidem aditus non negetur, acturi vero poenitentiam usque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis, &c. *Valent. Gallia e. 2. Nicæn. c. 11.*

TITULUS XXVIII.

DE PÆNIS, QUIBUS AFFICIUNTUR II, QUI APUD HÆRETICOS BAPTISMUM SUSCIPIUNT, AUT FILIOS HÆRETICIS DEFERUNT BAPTIZANDOS. Vide in Part. I. lib. XI. Tit. XXI. & sequenti.

TITULUS XXIX.

HÆRETICI SINE FORMA ECCLESIAE BAPTIZATI, SI AD ECCLESIAM VENIUNT, ITERUM BAPTIZENTUR. Vide in Part. I. lib. XI. tit. VIII.

TITULUS XXX.

HÆRETICI RITE BAPTIZATI, PER MANUS IMPOSITIONEM, AUT PER FIDEI PROFESSIONEM SUSCIPIUNTUR AB ECCLESIA.

Vide in Part. I. lib. XI. tit. IX.

TITULUS XXXI.

BAPTIZATI APUD HÆRETICOS, QUI FORMAM ECCLESIAE SERVANT, NON REBAPTIZENTUR.

Vide in Part. I. lib. XI. tit. X.

Ff

TI.

TITULUS XXXII.

COMMUNIA DE BAPTISMO.

CAPUT I.

Dist. 31. cap. Quoniam. 15. Lectores, & cantores non ducant uxores alterius religionis; si duxerint, & liberos susceperint, si eos permiserint baptizari apud hæreticos, deducant ad communionem catholicæ ecclesiæ, non baptizatos non permittant baptizari apud hæreticos. *Chalc. cap. 14. Ivo lib. 3. tit. 8. cap. 27. panorm.*

CAPUT II.

Si laicis abstinencia imperatur, ut possint deprecantes audiri, quanto magis sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur? qui si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet? excusabit? quo pudore, qua mente usurpabit? &c. *Syric. in synod. Rom. epist. 4. cap. 9. apud conc. Telen. & Turon. cap. 1.*

CAPUT III.

Ipsa lavatio pedum nostrum significat baptismum, quando sancti chrismatis unctione perficitur, atque confirmatur, &c. Illa, quæ circa divina mysteria, & erga baptizandos in universo mundo sancta ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplanda sunt intuitu, ne locum supervacuis intentionibus, & superstitionibus faciamus. *Fabian. epist. 2. in princ.*

CAPUT IV.

De his super quibus rogastis vos informari, id est utrum majus esset sacramentum manus imposito Episcoporum, aut baptismus. Scitote utrumque magnum esse sacramentum, & sicut unum a majoribus fit, id est, a summis Pontificibus, ita, & majori veneratione venerandum, & tenendum est. Sed ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta, ut ab invicem nisi morte præveniente nullatenus possint segregari, & unum sine altero rite perfici non potest. Nam unum præveniente morte salvare sine altero potest, aliud autem non potest, &c. Forte cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post mysterium baptismatis mysterium confirmationis? aut quantum video non totum de fonte suscipimus, si post fontem adjectione novi generis indigemus. Non ita dilectissimi. Attendat charitas vestra. Sicut exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum, ita in baptizato benedictio illa munitio est, &c. Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapso, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur, &c. *Melriad. epist. univ. cap. 2. Burch. lib. 4. cap. 61. Ivo lib. 1. tit. 3. c. 2. panorm. & part. 1. c. 255. decret. Anselm. lib. 9. cap. 24. & 26. Ca-*

De conf. d. 5. cap. 2.

Jaraug. lib. 12. cap. 90. Euseb. Emisse in hom. de Pentecoste.

CAPUT V.

Si priscis temporibus, de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter Jobolis successione, uxorius usus fuerat relaxatus, &c. quanto magis hi sacerdotes, vel levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent, &c. *Innoc. epist. 2. cap. 9. & epist. 3. cap. 1. Ivo lib. 3. tit. 8. cap. 11. panorm. & part. 6. cap. 94. decret. Anselm. lib. 7. cap. 132. & lib. 8. cap. 8.*

Dist. 31. c. Tenere. 4. Luc. 1. Levit. 25. Dist. 82. Pro-

posuisti, c. 2.

CAPUT VI.

Inter sacramenta ecclesiæ principale est sacramentum baptismi. *Leo epist. 4. ad Episcopos Siciliae, cap. 1.*

CAPUT VII.

Quinta feria ante pascha, dum sacrum chrisma consecratur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diversis candelis ecclesiæ oleo collecto, &c. indeficienter cum multa diligentia inspectæ ardebunt, ita ut oleum ipsam sufficere possit usque ad tertium diem. De quibus candelis sancto sabbato pro fontis sacri baptismate sumptus ignis per sacerdotem renovabitur. *Zachar. epist. 5. ad Bonifac. Episc. ante med.*

CAPUT VIII.

Qui peregre fuerint baptizati non ordinentur in alienis provinciis. *Eliber. cap. 24.*

CAPUT IX.

Gentiles, si infirmitate desideraverint sibi manus imponi, si fuerint eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manum imponi, & fieri christianos. *Eliber. cap. 39.*

CAPUT X.

Eis, qui in infirmitate credere volunt, debet manus imponi. *Arclat. cap. 6.*

CAPUT XI.

Non oportet post duas hebdomadas quadragesimæ quemquam ad baptismum suscipi. *Laodic. c. 29. Non liceat. c. 45. Mart. Brach. c. 49.*

CAPUT XII.

Ut presbyteri mortuos non baptizent. *Carth. cap. 18. G. Carth. III. cap. 6. L. Burch. lib. 4. c. 37. Ivo part. 1. cap. 231. decr.*

CAPUT XIII.

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: „ Accipe, & comenda „ memoriæ, & habeto potestatem imponendi „ manus super energumens, sive baptizatum, sive „ catechumenum “. *Carthag. IV. cap. 7. Ivo lib. 3. tit. 3. cap. 10. panorm. & part. 6. cap. 16. decret. Anselm. lib. 7. cap. 49. vide Raban. lib. 1. cap. 17. de Instit. cleric.*

CAPUT XIV.

Si quis in errore Priscillani sectam sequitur, vel profitetur, ut aliud in salubri baptismo contra sedem sancti Patri faciat, anathema sit. *Tolet. I. in fin.*

CA-

CAPUT XV.

Hoc etiam salubriter profiteamur, & credimus quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamus, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio ea, quæ sibi sunt placita, implere possimus. *Araus. II. in fin.*

CAPUT XVI.

Non licet in baptisterio corpora sepelire. *Antif. cap. 14.*

CAPUT XVII.

Sacramenta itaque baptismatis volumus, ut concorditer, atque uniformiter in singulis parochiis secundum Romanum ordinem inter nos celebrentur jugiter, atque conserventur. *Magunt. sub Carolo cap. 4. Magunt. sub Raban. cap. 3.*

CAPUT XVIII.

Presbyterorum, qui præsent ecclesiæ Christi, & in consecratione divini corporis, & sanguinis consortes cum Episcopis sunt, ministerium esse

videtur, ut in doctrina præsent populis, & in officio prædicandi, nec in aliquo desides inventi appareant. Item ut de omnibus hominibus, qui ad eorum ecclesiam pertinent, per omnia curam gerant, &c. Quapropter ab ortu nativitatis cujusque ad se pertinentis prædictam curam habeat, ne aliquis eorum absque renatione sacri baptismatis moriatur. *Aquisgr. II. sub Ludov. part. 3. cap. 5.*

CAPUT XIX.

Legum ecclesiasticarum consuetudo, & auctoritas talis est, ut in causis gestorum semper scripturam requirant, adeo ut qui ad sacrum fontem accedit, suum dare nomen præcipiatur. *Synod. apud 5. Medard. in accusatione Hinemari. Burchard. lib. 2. cap. 197. Ivo part. 6. c. 269. decret.*

CAPUT XX.

Ne tempore interdicti baptismus negetur. *Fistav. cap. 1.*

CAPUT XXI.

Non liceat presbytero prius Episcopo introire in baptisterium, sed cum Episcopo, nisi forte aut absens fuerit, aut agrotus. *Mart. Brac. c. 53.*

2. q. 1. c. 4. c. 1. de lib. obi. in 1. coll.

De cons. d. 4. cap. 124.

LIBER UNDECIMUS.

De Confirmationis Sacramento.

TITULUS I. DE CHRISMATE EX OLEO, ET BALSAMO.

CAPUT I.

Dominus Jesus postquam cenavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut a sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit, ipsa enim lavatio pedum nostrum significat baptismum, quando sancti chrisma unctio perficitur confirmatur, &c. *Fabian. epist. 2. in princ. Capitul. lib. 7. cap. 130. Ivo part. 2. cap. 73. decret. Anselm. lib. 2. cap. 25. al. 30.*

CAPUT II.

Quinta feria paschæ *, dum sacrum chrisma consecratur, tres lampades magnæ capacitatis ex diversis candelis ecclesiæ oleo collecto, in secretioris ecclesiæ loco ad figuram interioris tabernaculi insistente, indeficienter cum multa diligentia inspectæ ardebunt. *Zach. epist. 5. ante med.*

CAPUT III.

Græcos dicere perhibetis, quod in illorum patria chrisma oriatur, & ab illis per totum mundum tribuatur, & ideo nosse desideratis, si verum sit. Sed jam credimus, quod vestra solertia, quam verum non sit, animadvertit. *Nicol. ad consult. Bulg. c. 94.*

CAPUT IV.

Audivimus, quod contra morem sanctæ ecclesiæ, vestra non ex balsamo sanctum chrisma, sed ex butyro conficiat. *Gr. VII. lib. 8. regist. ep. 1.*

CAPUT V.

Ad exhibendum exteriorem, & visibilem un-

ctionem benedicatur oleum, quod dicitur catechumenorum, vel infirmorum, & conficitur chrisma, quod ex oleo fit, & balsamo mystica ratione; per oleum enim nitor conscientia designatur, juxta quod legitur: *Prudentes virgines Mat. 25. acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus;* per balsamum enim exprimitur odor sanctæ, propter quod dicitur: *sicut balsamum aromatizans Eccl. 24. b. odorem dedit, &c. Innoc. III. Patriarc. CP.*

CAPUT VI.

Fidelis mulier cum continuis torminibus vexaretur, &c. ad locum repere cœpit, in cujus parietibus sanctorum effigies depinxerat, fide usa pro scipione, chrisma autem accipiens in aquam effudit, illamque bibit, & confestim sanitati sanctorum intercessione est restituta. *Ex lib. passionis sanctorum Cosmæ, & Damiani lecto in VII. synod. general. act. 4. ad medium.*

CAPUT VII.

Aquam baptismatis benedicimus, & oleum unctiois, & eum etiam, qui baptizatur, & quibusnam scripturis, & non ex tacita, & mystica traditione? quid vero ipsam olei usum, quænam scriptis mandata oratio docuit. *Basil. de Spiritu sancto. Amphiloch. c. 27.*

TITULUS II.

EPISCOPI EST CONFICERE CHRISMA, NON AUTEM PRESBYTERI.

Vide in Part. I. lib. IV. tit. XLIV. & lib. VI. Tit. LV.

CAPUT I.

Nemo presbyterorum chrisma conficiat. *Silvest. in synod. Rom. CCLXXXIV. Episcoporum, c. 5.*

De cons. d. 3. c. Litteris. 18.

* ante pascha.

De sac. unctio. c. unic. apud Gr. IX. in 3. coll.

CAPUT II.

Non licet (*Chorepiscopis, & presbyteris*) ecclesiam, vel altaria consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizandis, vel confertis ex hæresi Spiritum sanctum tradere, nec chrisma conficere, &c. *Leo epist. 86. Hispal. II. c. 7. Vide Damas. epist. 4. in med. de ministro confirm. c. Chrisma, & seq.*

CAPUT III.

Nullus alius, nisi Episcopus, chrisma conficiat, & per diocesim destinet, ita ut de singulis ecclesiis ad Episcopum ante diem paschæ diaconi destinentur, aut subdiaconi; qui confectum chrisma ab Episcopo destinatum, ad diem paschæ possint ad tempus deferre, Episcopus [omni tempore *, potest chrisma conficere, sine conscientia Episcopi presbyteri nihil agant. Statutum est diaconum non chrismare, sed presbyterum absente Episcopo, præsentem vero non nisi ab ipso fuerit præceptum. Hanc constitutionem Archidiaconus præsentibus, vel absentibus Episcopis suggerat, ut eam Episcopi, & presbyteri custodiant. *Tolet. I. c. 20. Mart. Brac. c. 51. & 52.*

* id est singulis annis. De cons. d. 4. c. 124. Dist. 95. c. 11. Presbyter.

CAPUT IV.

Si quis presbyter ausus fuerit chrisma benedicere, aut ecclesiam, aut altaria consecrare, a suo officio deponatur, nam & antiqui canones hoc vetuerunt. *Brac. c. 37.*

CAPUT V.

Ut Chorepiscopus modum suum juxta canonicam institutionem teneat, & nec sanctum chrisma, nec sanctum Spiritum paraclitum solis Episcopis juxta decreta Innocentii tribuere debitum, tradere tentet, &c. *Meld. c. 44.*

CAPUT VI.

Episcopo liceat chrisma conficere, & per suas dioceses destinare, ita ut ad dirigendum chrisma diaconus, aut subdiaconus ante diem paschæ de singulis ecclesiis ad Episcopum destinetur. *Mart. Brac. c. 51. V. Tolet. I. c. 20.*

CAPUT VII.

Silvester constituit chrisma ab Episcopo confici, & privilegium Episcopis contulit, ut baptizatum consignent propter hæreticam suasionem, & ut baptizatum lineat presbyter chrismate levatum de aqua propter occasionem transitus mortis. *Damas. in Sylvest. post princ.*

Vide Innoc. epist. I. c. 3. tit. de ministro confirm. c. De consignandis.

TITULUS III.
PER SINGULOS ANNOS BENE-
DICENDUM CHRISMA.

CAPUT I.

De cons. d. 3. c. Litteris. 18.

INvenimus quosdam Episcopos non per singulos annos in cœna Domini chrisma conficere, sed duos, aut tres annos confectioem sancti chrismae semel actam conservare, dicunt enim nec balsamum per singulos annos posse reperire, nec necesse fore per singulos annos chrisma conficere, sed dum una confectio chrismae abundat, aliam fieri necesse non habere. Errant enim, qui talia excogitant, & mente vesana potius, quam recta sentientes hæc dicunt: „ In illa enim

„ die Dominus Jesus postquam coenavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, &c. chrisma conficere docuit“, &c. nam sicut ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti chrismae confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renovanda, & fidelibus tradenda, quia novum sacramentum est per singulos annos, & jã in dicto die innovandum, & vetus in sacris ecclesiis cremandum. Ita a sanctis Apostolis, & successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana ecclesia, & Antiochena a tempore Apostolorum custodit, hæc Hierosolymorum, & Ephesinorum tenet, in quibus Apostoli præsentibus hæc docuerunt, & vetus chrisma incendi, & non amplius quam uno anno uti permiserunt, atque deinceps novo frui, non veteri jubentes docuerunt. Si quis ergo his obviare tentaverit, omnem sibi per vos, & per omnes recte intelligentes indulgentiæ aditum intelligat obseratum, &c. *Fabian. epist. in princ. Capitul. lib. 7. cap. 130. Ivo part. 2. cap. 73. decret. Anselm. lib. 9. cap. 25. al. 30.*

CAPUT II.

Presbyteri, qui per dioceses ecclesias regunt a suis Episcopis omni anno ante paschæ solemnitatem chrisma petant. *Carth. IV. cap. 36. Capitul. lib. 7. c. 394. Burchard. lib. 4. c. 70. Ivo lib. 1. tit. 2. c. 94. panorm. & part. 1. c. 270. decret. Casar. lib. 4. c. 111.*

CAPUT III.

Unusquisque presbyter, qui in parochia est, semper in cœna Domini a suo Episcopo, & chrisma, & oleum petat. *Synod. Sueffion.*

CAPUT IV.

Nemo sacrum chrisma nisi in quinta feria majoris septimanæ, id est in cœna, quæ specialiter appellatur dominica, conficere præsumat. *Syn. Meld. c. 46.*

TITULUS IV.

PETANT PRESBYTERI AB EPISCO-
PIS CHRISMA.

Vide in Part. I. Lib. IV. Tit. XLI.

CAPUT I.

PER singula territoria presbyteri, vel ministri ab Episcopis, non prout libitum fuerit, a vicinioribus, sed a suis propriis per annos singulos petant chrisma, appropinquante solemnitate paschali, nec per quemcumque ecclesiasticum, sed si qua necessitas, aut ministrorum occupatio est, per subdiaconum, quia inhonorem est inferioribus summa committi. Optimum est autem, ut ipse suscipiat, qui in tradendo usus est: si quid autem obstat, saltem is, cujus officium est sacrarium disponere, & sacramenta suscipere. *Vasen. cap. 3. Vormat. c. 60. Et sicut reliquiæ sanctorum deportari solent, ita deportet. (hæc addit Vormat.) Capit. lib. 7. c. 394. Burch. lib. 4. cap. 78. Ivo part. 1. c. 272. decret.*

CAPUT II.

A media quadragesima presbyteri chrisma petant, & si quis infirmitate detentus venire non potuerit ad Archidiaconum suum, vel Archisubdiaconum, transmittat, & chrisma, & lineo im-

imponant, sicut reliquæ sanctorum deportari solent. *Antif. c. 7.*

CAPUT III.

Quandocumque jure canonico Episcopus circumit parochiam ad populos confirmandos, presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum cum collectione, & adjutorio populi, qui ibi confirmari debet, & in cœna Domini semper novum chrisma ab Episcopo quærat. *Syn. Franc. Capit. lib. 5. c. 2.*

CAPUT IV.

De conf. d. 4. c. 124. Episcopo liceat chrisma conficere, & per suas dioeceses destinare, ita ut ad dirigendum chrisma diaconus, aut subdiaconus ante diem paschæ de singulis ecclesiis ad Episcopum destinetur. *Mort. Brach. c. 41. Tolet. I. c. 20.*

TITULUS V.

CUSTODIATUR CHRISMA DILIGENTER.

CAPUT I.

De custod. Euch. c. 2. Gr. IX. tit. 1. de bapt. in 4. coll. STATUIMUS, ut in cunctis ecclesiis chrisma, & Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur, &c. *Innoc. III. in concil. gen. Later. c. 20.*

CAPUT II.

Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel cujuslibet rei donare præsumant, genus enim sacramenti est, & non ab aliis, nisi a sacerdotibus contingi debet, quod si fecerint, honore priventur. *Arclat. sub Carolo c. 18.*

CAPUT III.

Presbyteris injungendum est, ne sacrum chrisma foras conclave dimittant, ubi a quolibet attingi possit. Nam criminosos eodem chrismate unctos, aut potatos nequaquam ullo examine deprehendi posse, a multis putatur. *Turon. sub Carolo, c. 20.*

CAPUT IV.

Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub pretextu medicinæ, vel maleficii donare inde præsumant; quod si fecerint, honore priventur. *Magunt. c. 27.*

CAPUT V.

Communi decreto statutum est, & hoc interdictum a sancta synodo nimium laudatum est. Cuncti presbyteri ut libros, & sacerdotalia vestimenta suo Episcopo in proxima synodo ostendant, & ut chrisma suum sub sigillo, & sera semper custodiant, &c. *Concil. Metens. c. 3.*

CAPUT VI.

Provideant Archidiaconi, quod diligenter juxta formam concilii generalis, Eucharistia, chrisma, & oleum sanctum salva sub clavibus recondantur, fideli custodia reputata. *Oxonienf. c. 16. Lateran. sub Innoc. III. c. 20.*

TITULUS VI.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

Vide in Part. I. Lib. IV. Tit. XLV.

CAPUT I.

OMnibus festinandum est, sine mora renasci Deo, & demum consignati ab Episcopo, id est septiformem gratiam Spiritus sancti percipere, quia incertus est unuscujusque exitus vitæ.

Cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi Spiritus gratia ab Episcopo confirmatus, quia aliter perfectus esse christianus non poterit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria, aut voluntate remanserit, &c. Demum ex operibus bonis ostendat in se similitudinem ejus, qui eum genuit patris. *Clemens epist. 4. ante fin.*

CAPUT II.

Utrum majus esset sacramentum manus impositio Episcoporum, aut baptismus? Scitote utrumque magnum esse sacramentum, & sicut unum a majoribus sit, id est a summis Pontificibus, quod a minoribus perfici non potest, ita & majori veneratione venerandum, & tenendum est. Sed ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta, ut ab invicem, nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari, & unum sine altero rite perfici non potest; nam unum præveniente morte salvare sine altero potest, aliud autem non potest, &c. *Meliad. epist. 1. ante med. Burchard. lib. 4. cap. 61. Ivo lib. 1. tit. 3. cap. 2. panorm. 2. part. 1. cap. 255. decret. Casar. lib. 12. cap. 90. Tarrac. lib. 4. cap. 5.*

De conf. d. 5. De his, c. 5.

CAPUT III.

Chrisma conficere, & chrismate baptizatorum frontes signare, &c. & præsentem Episcopo infantem tingere, & aut signare Chorepiscopi non possunt. *Damas. ep. 4. in med. Leo epist. 86.*

CAPUT IV.

Quod autem solis Apostolis, eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum, liber actuum Apostolorum docet. Præsertim cum nullus ex septuaginta discipulis, quorum isti (*Chorepiscopi*) in ecclesia speciem gerunt, legatur donum sancti Spiritus per manus impositionem tradidisse, &c. *Damas. ibid. post medium.*

Act. 8.

CAPUT V.

Benedictio, quam Chorepiscopi ante suam prohibitionem per manus impositionem dabant, magis nobis videtur vulnus inferre, quam salutem, &c. Et illi, qui Pontificatus apicem non habebant, quomodo ea, quæ non habebant, dare poterant? &c. reiterari necesse est, quod legitime actum, aut collatum minime approbatur, si perfectum esse debebit, &c. *Damas. ibid. ante fin. vide Ivo lib. 3. tit. 10. cap. 3. panorm. Casar. lib. 4. cap. 42.*

1. q. 7. c. 25. 2. q. 1. c. 3. Per illicitum.

CAPUT VI.

Nec erigere altaria, nec ecclesias, vel altaria consecrare (*Chorepiscopis*) licet, &c. nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, &c. Quæ omnia solis debent summi Pontificibus auctoritate canonum præcipitur, ut per hoc, & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstratur. *Leo epist. 86. ad Germaniæ, & Galliæ Episcopos ante fin. Damas. epist. 4. in med. Hispan. II. cap. 7.*

CAPUT VII.

Presbyteri baptizatos infantes signare in frontibus chrismata non præsumant, sed presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte. *Gregor. lib. 3. epist.*

De conf. d. 4. cap. 120.

epist. 9. Januario Episcopo Caralit. Burch. lib. 4. cap. 70. Ivo part. 1. cap. 264. decr.

CAPUT VIII.

Dist. 95. c. 3.

Pervenit ad nos, quosdam schandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem ecclesie nostrae fecimus: sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus. *Gregor. lib. 3. epist. 27. indict. 12. Januar. Episc. Caralit.*

CAPUT IX.

26. 9. 6. Ministrare, c. 3.

Ab universis Episcopis dictum est: chrismatis confectio, & puellarum consecratio a presbyteris non fiant, &c. Hæc omnibus placent. *Carthag. cap. 6. G. Carthag. II. c. 3. L.*

CAPUT X.

Ne per impositiones manus fidelibus baptizandis, vel conversis ex hæresi paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare, &c. nec præfente Antislite infantem tingere, aut signare presbyteris, aut Chorepiscopis licet, sed tantum Episcopis. *Hispalens. II. cap. 7. Damas. epist. 4. in med. Leo epist. 86. in fin.*

CAPUT XI.

Consecratio virginum, & benedictio, vel unctio altaris a presbyteris minime fiat. Similiter non liceat eis ecclesias consecrare, nec per impositionem manus paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare. *Vormat. cap. 8.*

TITULUS VII.

DE EFFECTU CONFIRMATIONIS.

CAPUT I.

EGO rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, qui non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. *Christus Joann. 14. cap. num. 16.*

CAPUT II.

Joel 2. d.

Hoc est, quod dictum est per Prophetam Joel: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, &c. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti: Vobis enim est repromissio, & filius vestris & omnibus, qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. Petrus Act. 2. cap. num. 17. & 38.*

CAPUT III.

Miserunt ad eos (Apostoli ad Samaritanos) Petrum, & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. *Act. 8. num. 14.*

CAPUT IV.

Baptizati sunt (Ephesii) in nomine Domini

Jesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant, erant autem omnes viri fere duodecim. *Act. 19. num. 6.*

CAPUT V.

Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. *Paul. Corinth. I. num. 20.*

CAPUT VI.

Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut plene christiani inveniantur, quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur. De Spiritu sancto accipimus, ut efficiamur spirituales, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. De Spiritu sancto accipimus, ut sapiamus inter bonum, malumque discernere, justa diligere, injusta respicere, ut malitiæ, & superbiæ repugnemus, ut luxuriæ, ac diversis illecebris, & fœdis, indignisque cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto accipimus, ut amore vitæ, & gloriæ ardore succensi erigere a terrenis mentem ad superna, & divina valeamus. *Urban. epist. unic. in fin. Burch. lib. 4. cap. 66. Ivo lib. 1. tit. 3. cap. 1. panorm. & part. 1. cap. 260. & 269. decr. Anselm. lib. 9. cap. 23. Casaraugust. lib. 12. c. 91. Tarrac. lib. 4. cap. 4.*

CAPUT VII.

Quod in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populos donavit universis. Sed quia diximus, quod manus impositio, & confirmatio ad baptismi perfectionem pertineat, & qui jam regeneratus in Christo est, confirmare aliquid possit, forte cogitet sibi aliquis, quid mihi prodest post mysterium baptismatis, mysterium confirmationis? aut quantum video, non totum de fonte suscipimus, si post fontem adjectione novi generis indigemus. Non ita dilectissimi. Sicut exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum, ita in baptizato benedictio illa munitio est, &c. Ergo Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. At si continuo transitoris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos; confirmatio autem armat, & instruit ad agones mundi hujus, & prælia reservandos. Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte, quia non potest peccare post mortem. *Miltiad. epist. 1. post med. Euseb. Emiffen. in homil. pentecost. CA-*

De conf. d. 5. cap. 1.

1. Cor. 2.

De conf. d. 5. cap. 2.

CAPUT VIII.

Donum sancti Spiritus per impositionem manuum Episcopi tradunt. *Joann. III. epist. unic. in princ.*

CAPUT IX.

Omnes christiani bis unguuntur post baptismum sed chrismate sacro, primum in vertice, demum in fronte, &c. In fronte ungitur baptizatus, ut libere confiteatur, quod credit, &c. Per fontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur *confirmatio*: quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur, & robur. Unde cum cæteras unctiões simplex sacerdos, id est presbyter, valeat exercere, hanc non nisi summus sacerdos, id est, Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicarii sunt Episcopi, qui per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actum Apostolorum lectio manifestat, &c.

Innocent. III. CP. Patriarchæ.

CAPUT X.

Oportet eos, qui baptizantur, post lavacrum chrisma ecclesiæ accipere, & regni Christi participes inveniri. *Laod. cap. 7. CP. cap. 7. Burch. lib. 4. cap. 65. Ivo part. 1. cap. 259. decret.*

CAPUT XI.

Per impositiones manus, &c. conversis ex hæresi Spiritum sanctum tradere Episcopis tantum licet. *Hispalens. II. cap. 7.*

TITULUS VIII.

AB HÆRETICIS BAPTIZATI PER CONFIRMATIONEM RECIPIUNTUR AB ECCLESIA.

In Partis I. Vide Lib. XI. Tit. IX. quibus adde:

CAPUT I.

SI ab hæreticis baptizatum quemquam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteretur, sed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, & per Episcopalem manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequatur, &c. *Leo epist. 35. cap. 2.*

CAPUT II.

Qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt, &c. sola sanctificatio sancti Spiritus invocanda est, ut quod ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur. *Leo epist. 77. cap. 7.*

CAPUT III.

Bonosiacos, quos sicut Arianos, baptizari in Trinitate manifestum est, dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate & manus impositione in ecclesia recipi sufficit. *Arelat. II. cap. 17.*

TITULUS IX.

DE DIEBUS AD SUSCIPIENDUM HOC SACRAMENTUM CONSTITUTIS.

CAPUT I.

ITA conjuncta sunt hæc duo sacramenta (*Baptismus, & Confirmatio*) ut ab invicem nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari, & unum sine altero rite perfici non potest, &c. *Miltiad. epist. 1. ad med.*

CAPUT II.

Sicut duobus temporibus pascha videlicet, & pentecoste baptismum, ita etiam traditio sancti Spiritus per impositionem manuum fidelibus tradatur, exceptis videlicet, ut dictum est, infirmis, & morte periclitantibus, quibus sicut baptizatis gratia succurrendum, ita incunctanter donum sancti Spiritus est tradendum. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 33.*

TITULUS X.

NON EST SUSCIPIENDUM BIS HOC SACRAMENTUM.

CAPUT I.

NON rursus jacentes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, & fidei ad Deum baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum, &c. Impossibile enim est, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei, ostentui habentes, &c. *Paulus Hebr. 6. num. 1. & 4.*

CAPUT II.

Cum dubitatur de confirmatione, confirmetur. *Greg. lib. 12. ep. 31. ad Felic. Episc. Anselm. lib. 5. cap. 23.*

CAPUT III.

De homine, qui a Pontifice confirmatus fuerit, denuo illa talis reiteratio prohibenda est. *Gr. 5. c. 9. II. epist. 4. ante med.*

CAPUT IV.

Dictum est nobis, quod quidam de plebe bis, vel ter, vel eo amplius ab Episcopis ignorantibus, tamen ab eisdem Episcopis confirmantur. Unde visum est nobis, eandem confirmationem, sicut nec baptismum iterari minime debere. *Cabil. sub Carolo c. 27. & Burch. lib. 4. c. 50. Ivo lib. 1. rit. 3. c. 9. panorm. & part. 1. c. 244. decret. Capit. lib. 7. c. 53. in addition.*

TITULUS XI.

DE PATRIBUS SPIRITUALIBUS.

CAPUT I.

QUI ad percipiendum sancti Spiritus donum, coram pontificibus pro aliis patrini existunt, intelligere debent, & vim tanti sacramenti, & quid pro aliis sponderint. Illos samen in hoc capitulo specialiter ab his officiis removendos judicamus, qui propter reatum suum publica poenitentia sunt mulctari, videlicet, ut nec alios de sacri fontis baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum sancti Spiritus donum, aliorum patrini coram Pontificibus existant, donec per poenitentiae satisfactionem, reconciliationem mereantur. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 54.*

CAPUT II.

Constitutum est a sanctis patribus, ut nullus coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum, & orationem Dominicam memoriter tenuerit, &c. *Theodulph. ad presbyteros Aurelian. c. 22.*

De sac. unct.
c. unic. ap.
Greg. IX. &
in 1. coll.

Act. 8.9. &
19.

19. 1. Hi
qui bapti-
sma.

14. 1. Hanc
regulam.

TITULUS XII.
DE COGNATIONE QUÆ ORITUR
EX HOC SACRAMENTO.

CAPUT I.

30. 9. 1. c. 11. **S**Citis, quia quomodo sunt septem dona Spiritus sancti, ita sunt septem dona baptismi, a primo pabulo sacrați salis, & ingressus sanctæ ecclesiæ, usque ad confirmationem Spiritus sancti per chrisma. Ab hoc primo Spiritus sancti dono usque ad septimum nullus christianus suam commatrem in conjugio accipere debet &c. *Deusd. ad Gord. Episc. in fin. Burch. lib. 17. c. 44. lib. 6. tit. 11. c. 8. panorm. & part. 1. c. 305. decret. Anselm. lib. 10. cap. 29. Cæsar. lib. 10. cap. 78. Tarrac. lib. 5. c. 2.*

CAPUT II.

30. 9. 1. c. 4. **D**istum nobis est, quasdam foeminas desidiose, quasdam vero fraudulenter, ut a viris suis separentur, proprios filios coram Episcopis ad confirmandum tenuisse. Unde nos dignum duximus, ut si qua mulier filium suum desidia aut fraude aliqua coram Episcopo ad confirmandum tenuerit, propter fallaciam suam, vel fraudem quamdiu vivat, agat pœnitentiam, a viro tamen suo non separetur. *Cabil. sub Carolo cap. 31. Burch. lib. 17. c. 23. Ivo lib. 7. tit. 9. c. 3. panorm. & part. 9. c. 81. decret.*

CAPUT III.

Nullus filiolum, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium, aut filiam ad confirmationem duxerit: ubi autem factum fuerit, separentur. *Magunt. cap. 55.*

TITULUS XIII.
NE PECUNIA ACCIPIATUR CHRISMATIS,
AUT CONFIRMATIONIS CAUSSA.

Vide in Part. I. Lib. IV. Tit. LII. & LIII. & Lib. X. Tit. XXV. quibus adde:

CAPUT I.

*De simon. Greg. IX. c. 8. eod. tit. in 1. coll. c. 7. * venalitas.* **P**RO sepultura quoque, chrisma, & olei sacri perceptione nulla tuiusquam pretii exactio intercedat *, &c. *Alexand. III. in conc. Turon. c. 6.*

CAPUT II.

Statuimus, ut si quis quodlibet sacramentum ecclesiasticum, ut puta chrisma, vel oleum sanctum, consecrationem altarium, vel ecclesiarum interveniente execrabili ardore avaritiæ per pecunias acquisivit, honore male acquisito careat, & emptor atque venditor & interventor nota infamiae percillantur. *Innoc. II. in concil. Rom. c. 1. post Ivo nis panorm.*

CAPUT III.

** acceptione.* Illud quoque adiciunt, præcipimus, ut pro chrisma, olei sacri, sepulture exactio * nullum venditionis pretium exigatur. *Innoc. II. in concil. Rom. cap. 18. Eugen. III. in concil. Remens. c. 16.*

CAPUT IV.

** accepto.* Statutum est, ut cum chrisma presbyteris diœcesanis pro Neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur, ne gratia Dei pretio benedictionis affecta * simoniacum interitum ementibus, vendentibusque adsociet. *Barcinon. II. c. 2.*

CAPUT V.

Placuit ut modicum balsami, quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia a singulis tremisses pro ipso exiguntur, nihil ulterius exigatur, ne forte quod pro salute animarum per invocationem sancti Spiritus consecratur, sicut Simon magus donum Dei pecunia voluit emere, ita nos venundantes damnabiliter venundemur. *Brach. II. cap. 4.*

CAPUT VI.

Quisquis ab Episcopo sanctum in potestate presbyteris ad distribuendum tempore opportuno acceperit chrisma, nihil ab eis beneficii causa tollere, aut petere præsumat. *Emerit. c. 9.*

CAPUT VII.

Quidam fratres dixerunt, consuetudinis antiquæ fuisse in eorum ecclesiis, ut pro balsamo emendo ad chrisma faciendum, sive pro luminaribus ecclesiæ concinnandis binos, vel quaterenos denarios presbyteri darent. Unde omnes [statuimus, ut sicut pro dedicandis basilicis, & dandis ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo, sive luminaribus emendis, nihil presbyteri chrisma accepturi dent. Episcopi itaque de facultatibus ecclesiæ balsamum emant. Luminaria singuli in ecclesiis suis concinnanda provideant. *Cabil. sub Carolo cap. 16. Burch. lib. 4. cap. 93. Ivo lib. 1. tit. 2. c. 91. panorm. & part. 1. cap. 287. decret.*

CAPUT VIII.

Nullus Episcoporum, vel ministrorum ipsorum deinceps pro distributione sacrorum ordinum, pro dedicatione sanctæ ecclesiæ, seu pro acceptione sacri chrisma, vel pro immutatione titulorum aliquid exigere præsumat; qui fecerit, convictus canonicæ subiaceat disciplinæ. *Aquisgr. II. sub Ludov. part. 1. c. 5.*

CAPUT IX.

Ut nemo Episcoporum, vel quilibet minister ecclesiasticus propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat, neque denarios vel quælibet munuscula, quæ per ministros Episcoporum a presbyteris inordinabiliter exigantur. *Meld. c. 45.*

CAPUT X.

Firmiter inhibemus, ne pro aliqua pecunia denegetur sepultura, vel baptismus, vel aliquod ecclesiasticum sacramentum, &c. absurdum esse judicantes, quod de cætero, pro chrisma, vel oleo aliquid exigatur, cum toties hoc prohibitum esse reperiat. *Oxonienf. c. 21.*

TITULUS XIV.

COMMUNIA DE CONFIRMATIONE.

CAPUT I.

Vasa altaris, & panni vel pallia sint nitida, & integra, & si fuerint vetustate, vel aliquo casu corrupta, religioso & puro loco abscondantur, vel igne cremantur, vetus chrisma, & oleum similiter. *Greg. VII. concil. Rom. anno incert. c. 27.*

CAPUT II.

Manifestum est, per crudelissimam, insanissimamque sævitiam, omne illic cælestium sacramentorum lumen extinctum, intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrisma sanctificatio, & par-

ricidalibus manibus impiorum omnia se subtrahere mysteria. *Leo ep. 73. ante fin. ad Leonem Aug. Anselm. lib. 9. c. 40.*

CAPUT III.

Illi, qui baptizati sunt, per diversitatem, & declinationem linguarum gentilitatis, tamen quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per manus impositionem, & sacri chrismatis unctionem confirmari. *Greg. III. ep. 5. in med.*

CAPUT IV.

*De sent. ex-
comm. 43.
apud Greg.
IX. c. 3.
c. 16.
Responso.* Quævisisti, cum Ferrariensis civitas interdicto sit, & excommunicationi supposita, & ideo sint ibidem præter baptismum parvulorum, & poenitentiam morientium, universa sacramenta ecclesiastica interdicta, an liceat tibi baptizatos pueros in frontibus consignare. Super quo tibi taliter diximus respondendum, quod sicut baptizari possunt, sic & baptizati ad confirmationem in frontibus a te possunt sacro chrismate deliniri. *Innoc. III. Episcop. Ferrariens.*

CAPUT V.

*De cons. d.
4. cap. Nul-
lus. 125.* De eo qui in baptismo, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur. *Araus. c. 1. Burch. lib. 4. c. 73. Ivo part. 1. c. 267. decret.*

CAPUT VI.

Quando jure canonico Episcopus circumit parochiam ad confirmandum populum, Abbates, vel presbyteri parati sint ad suscipiendum Episcopum in adiutorium necessitatis. *Synod. Sueffion.*

CAPUT VII.

Perlatum est ad nos, quod in quibusdam provinciis plerique Episcopi post perceptionem cibi, & potus, solemner soleant per impositionem manuum tradere Spiritum sanctum, quod tam excellenti ministerio prorsus non convenire, & ita deinceps fieri non debere, omnibus nobis visum est, quoniam credibile est, & auctoritas ecclesie ita se habet, ut sicut Apostoli unanimes existentes, Dominumque collaudantes, & benedicientes, ita nimirum jejunantes accipere merue-

rust paracletum Spiritum sanctum, eosque non nisi jejunos, sicut eorum acta docent / aliis eum tradidisse manifestum est, sicut enim baptisma, excepta infirmorum causa, non nisi a jejunis celebratur sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritus sancti, excepta præmissa causa infirmorum, non nisi a jejunis celebranda est Pontificibus. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 33.*

CAPUT VIII.

Presbyterorum, qui præsumunt ecclesie, ministerium esse videtur, ut de omnibus hominibus, qui ad eorum ecclesiam pertinent, per omnia curam gerant. Quapropter ab ortu nativitatis jusque ad se pertinentis prædictam curam habeant, ne aliquis eorum absque renatione sacri baptismatis moriatur. Post acceptum autem sacrum baptismum, sine manus impositione Episcopi non remaneat. *Aquisgr. II. sub Ludov. & Loth. part. 3. c. 5.*

CAPUT IX.

Statuimus etiam, ne Episcopi, quando pro confirmando populum parochias circumeunt, Archipresbyteros suos gravent. *Synod. Ticinens. cap. 15.*

CAPUT X.

Constitutum est a sanctis patribus, ut nullus chrismetur, neque baptizetur, &c. nisi syzobalum, & orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his, quos ad loquendum ætas minime perduxit. *Theodulph. ad presb. Aurel. c. 22.*

CAPUT XI.

Levato me de venerabili fonte, induto vestibus candidis septiformis gratia sancti Spiritus consignationem (Silvester) adhibuit beati chrismatis unctione, & vexillum sanctæ crucis in mea fronte linivit, dicens: „ Signet te Deus sigillo „ fidei suæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti in consignatione fidei“. Cunctusque clerus respondit: „ Amen“. Et adjecit Præsul: „ Pax tibi“, &c. *Constant. in Imp. N. de primitiva Ecclesia, & de donatione Constantini.*

LIBER DUODECIMUS.

Pars Prior de Eucharistia, ut Sacramento.

TITULUS I.

DE MATERIA, ET FORMA EUCHARISTIE.

CAPUT I.

Cenansibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum. *Tom. VI.*

vum in regno Patris mei. Christus apud *Matth. c. 26. a num. 26. ad 29. vide March. cap. 14. & Lucam c. 22.*

CAPUT II.

Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, morietur

Domini annuntiabitur, donec veniat. Paul. 1. epist. ad Cor. c. 11. a num. 23. ad 27.

CAPUT III.

De summa Trinit. c. 2. Gr. IX. & in 4. coll. de Ado cath. c. 1. Una est fidelium universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos, & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate divina. *Innoc. III. in concil. gen. Later. cap. 1.*

CAPUT IV.

De conf. d. 2. c. 1. In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solemnias Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut ejus, cujus corpus, & sanguis conficitur, passio celebretur, ita ut repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum, & vinum aqua permistum in sacrificio offerantur. Non debet enim, ut a patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permistum, quia utrumque ex latere ejus in passione sua profuxisse legitur, ipsa vero Veritas nos instruit, calicem, & panem in sacramento offerre, quando ait: *Accipit Jesus panem, &c. Alexand. ep. 1. post med. Tribur. c. 29. Burch. lib. 5. cap. 5. Ivo part. 2. c. 15. decret. Anselm. lib. 9. cap. 1. Casar. lib. 13. c. 2. Tarrac. lib. 3. c. 87.*

CAPUT V.

De fermento, quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesie nostræ intra civitatem sint constitutæ, quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos, quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta, nec nos per cœneteria diversa constitutis presbyteris destinamus, & ut presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam. *Innoc. ep. 1. c. 5.*

CAPUT VI.

Quoniam vestram Armeniorum ecclesiam a rectitudine fidei, quam ab Apostolis, & sanctis patribus traditam universalis ecclesia tenet, in qualdam pravas exorbitasse sententias nobis relatum est, profecto nimium paterni affectus compassione doluimus. Quorundam si quidem relatione didicimus, in celebrandis sacrificiorum salutiferis sacramentis, aquam vino pœnitentis apud vos non admisceri, cum nemo christianus, qui sacra novit evangelia, dubitet, e latere Domini aquam cum sanguine emanasse. *Greg. VII. lib. 8. regist. epist. 1.*

CAPUT VII.

De conf. d. 2. In sacramento c. 5. In sacris nihil præter corpus & sanguinem Domini offeratur, hoc est panis & vinum aqua mistum, &c. *Carth. c. 37. G. Afric. c. 4. L. Carth. III. c. 24. L. Burch. lib. 5. c. 3. & 4. Ivo part. 2. c. 13. & 14. decret.*

CAPUT VIII.

In sacramentis aliud non offeratur, quam panis & vinum aqua mistum. *Ipponen. c. 25.*

CAPUT IX.

Nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc non sine aqua mistum offerre præsumat, quia sacrilegium judicatur, aliud offerri, quam quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit. *Aurelian. IV. c. 4.*

CAPUT X.

Non licet in altario in sacrificio divino mellitum, quod mulsum appellatur, nec ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mistum offerre, quia ad grandem reatum, & peccatum pertinet presbytero illi, quicumque aliud poculum extra vinum in consecratione sanguinis Christi offerre præsumperit. *Antistod. c. 8.*

CAPUT XI.

Cum omne crimen, atque peccatum oblati Deo sacrificiis deleatur, &c. Audivimus quosdam schismatica ambitione contra divinos ordines, & Apostolicas institutiones, lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare. Alios intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere, quosdam expressum vinum in sacramento Domini calicis offerre, quod evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini ecclesiasticæ adversum est, a quo fonte ordinata sacramentorum mysteria processerunt. Nam non lac, sed panem tantum, & calicem sub hoc sacramento cognoscimus commendata. Ait enim evangelica veritas, *Accipite Jesus panem, & calicem, & benedicens dedit discipulis suis.* Cesset ergo lac in sacrificio, &c. Nec intincta eucharistia probatur, cum Apostolis corpus suum & sanguinem commendavit, seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur, &c. Quod vero ex expresso botro, id est, de uvaram gravis populus communicatur, valde est omnino confusum, calix enim Dominicus, juxta quod quidam doctor edisserit, vino & aqua permistus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelli, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & jungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut conjunctio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergo quando botrus solus offertur, in quo vini tantum efficientia demonstratur, sacramentum nostræ salutis negligitur, quod per aquam significatur, &c. Nulli deinceps licitum sit aliud in sacrificiis divinis offerre, nisi juxta antiquorum sententiam conciliorum panem tantum & calicem vino, & aqua permistum. Aliter faciens tamdiu a sacrificando cessabit, quamdiu legitima pœnitentiæ satisfactione correptus, ad gradus sui officium redeat, quod amisit. *Brach. III. cap. 1. Vormat. cap. 4. vide Cyprian. lib. 2. epist. 3. Burch. lib. 5. cap. 1. & 2. Ivo lib. 1. tit. 4. cap. 24. panorm. & part. 2. cap. 11. & 12. & 85. decret. Anselm. lib. 9. c. 53. Tarrac. lib. 5. c. 1.*

CAPUT XII.

In Armenia viai tantum in sacra mensa offerunt,

Luc. 22.

De conf. d. 2. c. 7.

Matt. 26.

De conf. d.
1. c. 46. Ja-
cobus.

runt, aquamque non miscet, &c. sed ex Apostolica traditione vinum aqua miscetur, cum ex latere Christi exisset sanguis, & aqua ad dandam vitam mundo, & in remissionem peccatorum, & ubi spiritalia lumina claruerunt, hic ordo a Deo datus servatur. Etenim [Jacobus secundum carnem frater Domini Hierosolymitanæ ecclesiæ primus Antistes, & Basilius Cæsariensis Episcopus, cujus gloriam per totum mundum excurrit, scriptis mysticum nobis sacrificium tradiderunt, ita celebrari in divino ministerio ex aqua, & vino sacrum calicem dederunt. Et Carthagine congregati sancti patres, ita aperte dixerunt, ut in sacris nihil plus, quam corpus, & sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mistum. Si quis igitur Episcopus, aut presbyter non juxta traditum ab Apostolis ordinem fecerit, & vinum aqua mistum non obtulerit in sacrificio, deponatur, ut imperfecte celebrans, & tradita innovans. *Trull. c. 32. vid. Carth. cap. 37. G.*

CAPUT XIII.

Delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus, quidam sacerdotum partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provocati non panes mundos, & ex studio præparatos supra mensam Domini in sacrificio offerant, sed passim quo modo unumquemque aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino & aqua pro sacro libamine offerant, &c. Temeritati hujus, aut nescientiæ cupientes terminum ponere, id unanimis nostræ delegit conventus, ut non alter panis in altaris Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod ecclesiastica consuetudo retentat, &c. *Tolet. XVI. cap. 6.*

CAPUT XIV.

Cum magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, panem tantum, & calicem sub hoc sacramento præbuisse cognoscimus. Ideoque præter panem & vinum cum aqua mistum aliud offerri non debet. Calix enim dominicus vino & aqua permistus debet offerri, &c. *Vormat. cap. 4. vid. sup. Brac. III. c. 1. Burch. lib. 5. cap. 2. Ivo part. 2. c. 12. decret.*

CAPUT XV.

Alexander successor Evaristi dixit: „ Non debet enim, ut a patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permistum, quia utrumque ex latere ejus profluxit, ut videlicet per hoc indicet, populos, qui secundum Joannem, aquæ sunt, a Christo, cujus sanguis in calice est, dividi non debere. Cujus rei veritatem in hac sancta synodo confitemur, credimus, & confirmamus, ne ullus sine commistione vini, & aquæ mysteria sacra conficiat “. *Tribur. cap. 19.*

CAPUT XVI.

Fruentum, quod a piissimis nostris Impera-

toribus ecclesiis Libya propter ariditatem illius provinciae, & quia ibi omnino triticum non nascitur, præstitum est, in primis quidem, ut incruenta ex ipso hostia offeratur, &c. non permittit (*Dioscorus*) suscipere sanctissimos Episcopos illius provinciae, &c. & ex hoc neque terribile, & incruentum sacrificium celebratum est. *Ischirion diac. Alex. ap. syn. Chalc. act. 3. ante med.*

CAPUT XVII.

Dum memoria fieret sanctorum martyrum non est exhibitum vinum ad sacrificium altaris, ad sanctificationem, & populi distributionem, nisi omnino paululum, & hoc infectum, atque lutosum, & tempore, quo fuerat vindemiatum, ut ex hoc cogentur, qui deputati fuerant, ministrare de tabernis, & omnino infectos comparere sextarios, qui nec sufficerent, in tantum, ut hi, qui sanctum corpus distribuere, innoquerent ingredi eos, quia sanguis non inveniretur: illis bibentibus & tunc, ac semper habentibus diversum, & mirabile vinum, &c. *In libello Samuelis, & aliorum contra Ibam apud synod. Chalc. act. 10. post princ.*

CAPUT XVIII.

Non oportet aliquid aliud in sanctuario offerri, præter panem & vinum, & aquam, quæ in typo Christi benedicuntur, quia dum in cruce penderet, de corpore ejus sanguis effluxit, & aqua, hæc tria unum sunt in Christo Jesu. Hæc hostia & oblatio Dei in odorem suavitatis. *Mart. Bracharens. cap. 55.*

De conf. d. 2.
cap. 4.

Joann. 16.

CAPUT XIX.

Panes, quos Deo in sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris coram vobis, nitide, ac studiose fiant, & diligenter observentur, ut panis, & vinum, & aqua, sine quibus missæ nequeunt celebrari, mundissime, ac studiose tractentur. *Theodulph. ad presbyt. Aurel. cap. 5. Burch. lib. 5. cap. 29. Ivo part. 2. cap. 38. decret.*

CAPUT XX.

Miltiades fecit, ut oblationes consecratæ per ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. *Damas. in Miltiad. vid. Ivo part. 2. cap. 63. decret. de Syric.*

CAPUT XXI.

Syricus constituit, ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. Et ut Manichæi non participarent cum fidelibus communionem, quia ore polluto non liceret sanctum corpus Domini convexari, & ut conversus de Manichæis non communicaret usque ad ultimum diem, quo viaticum acciperet. *Ex Pontific. Vid. Ivo part. 2. cap. 63. decret.*

TITULUS II.

CORPUS CHRISTI REVERA EST IN EUCHARISTIA, ET DE EFFECTU, QUEM IN SUMENTE PRODUCIT.

Vide in Partis I. Lib. XI. Tit. XLVIII.

CAPUT I.

Accipite, & comedite hoc est corpus meum, &c. Christus apud Matth. cap. 26. num. 27. vide tit. 1. in princip.

Apocb. 17.

CAPUT II.

Ego sum panis vivus, qui de celo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, &c. Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die: caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. *Christus apud Joann. cap. 6. num. 56.*

CAPUT III.

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? *Paulus I. ad Cor. c. 10. num. 16.*

CAPUT IV.

Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, &c. *Paul. I. ad Cor. c. 11. vide tit. 1. num. 23.*

CAPUT V.

Non decet, ut hi, qui corpus Christi quotidie proprio conficiunt ore, tantam patiantur persecutionem. *Felix II. in syn. Rom. ep. 1. in princ.*

CAPUT VI.

De cons. d. 2. cap. 42.

Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem, vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacre orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, ac propriam, ac vivificatricem carnem, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris, & verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum, & virtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis, sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo, sic me Deus adjuvet & hæc sacra evangelia. *Concil. Rom. sub Gregor. VII. ex vita ejusd. & ex registr. lib. 6. anno 1079. mense Febr. & lib. 3. post epist. 17. Tarrac. lib. 5. cap. 57. alias 58.*

CAPUT VII.

Panis, qui super altare offertur, panis est quidem communis, sed quando ipse sacramento sacratus fuerit, corpus Christi in veritate fiet, & dicitur. Sic & vinum modicum aliquid digna existentia ante benedictionem, post sanctificationem spiritus, sanguis Christi efficitur. *Nicol. epist. ad Michaellem Imp. cujus initium est. Principatum.*

TITULUS III.

DE MINISTRIS, QUI CONFICIUNT, VEL TRIBUUNT EUCHARISTIAM.

Vide in Partis I. Lib. VI. Tit. IV. & Lib. VII. Tit. II.

CAPUT I.

Dist. 93. c. Pervenit, 14.

Alicubi presbyteris diaconi Eucharistiam præbent, quod neque canon, neque con-

suetudo permittit, ut qui non possunt offerre, offerentibus dent corpus Christi, quidam etiam diaconi sunt, qui ante Episcopos Eucharistiam (sacramenta L.) sumunt. Cessent igitur hæc, & diaconi maneant intra suos modulos, cum Episcopi ministri sint, & presbyteris minores, accipient vero suo ordine post presbyteros, aut Episcopo eis, aut presbytero porrigente. *Nican. cap. 18. G. 14. L. Aquisgr. cap. 41. Burch. lib. 5. cap. 26. Ivo part. 2. cap. 36. Anselm. lib. 7. cap. 53. Casar. lib. 8. cap. 13.*

CAPUT II.

Sciscitantibus vobis, si a sacerdote, qui sive comprehensus est in adulterio, sive de hoc sola fama respersus est, debeatis communionem suscipere, nec ne. Respondemus: Non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum existunt, &c. Idcirco ab eo usquequo Episcoporum judicio reprobatur, communio percipienda est. *Nicol. ad consult. Bulgar. cap. 71.*

CAPUT III.

Diaconi corpus Christi tradere præsentate presbytero non præsumant, quod si fecerint, ab officio diaconatus abscedant. *Arelatenf. II. cap. 15.*

CAPUT IV.

Episcopum nullus secularium fascibus præditus jure suo contumaciter, ac perperam agens de sancta ecclesia, cui præest, trahere audeat, &c. Nefas est enim, ut illius manibus Episcopus, aut jussione de ecclesia trahatur, pro quo semper Deum exorat, & cui invocato nomine Domini ad salvationem corporis animæque Eucharistiam sæpe porrexit. *Matisc. II. cap. 9.*

CAPUT V.

Presbyter illegitime conjugatus corpus Christi non det cæteris, neque aliud ministerium obeat, sed sua sede contentus sit. *Trull. cap. 26.*

CAPUT VI.

Sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro (diacono) dispensatio sacramenti est, &c. ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsi etiam sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem nisi eis traditus fuerit a diacono. Levitæ inferunt oblationes in altaria, componunt mensam Domini, operiunt arcam testamenti, non enim omnes vident alta mysteriorum, quæ operiuntur a levitis, ne videant, qui videre non debent, & sumant, qui servare* non possunt &c. Candidi ad hostias, & immaculati accedant, &c. *Isidor. de eccles. offic. lib. 2. cap. 8. apud Aquisgr. cap. 7.*

CAPUT VII.

Quidam nostrorum verorum virorum relatu, quidam etiam visu didicimus, in quibusdam provinciis, contra legem divinam, canonicamque institutionem, scæminas sanctas altaribus se ultro ingerere, sacrataque vasa impudenter contingere, & indumenta sacerdotalia presbyteris administrare, & quod his majus, indecentius, ineptiusque est, corpus & sanguinem Domini populis porrigere, & alia quæque, quæ ipso dictu turpia sunt, exercere, &c. Hoc ergo tam illicitum factum,

Dist. 28. c. 16. Presbyterum.

* *sumere.*

Atum, quia ex toto a religione christiana abhorret, ne ulterius fiat, inhibendum est. Proinde unusquisque Episcoporum sollicitè, sagaciterque provideat, ne in sua parochia tale quid fieri deinceps sinat. *Parif. sub Ludov. & Lorh. lib. I. cap. 45.*

TITULUS IV.

AB HÆRETICIS NON SUMATUR

EUCCHARISTIA.

CAPUT I.

Pœnitentia, & communio a nemine, nisi a catholico suscipiatur. Quod si nullus adsit catholicus presbyter, rectius est sine visibili communione persistere, & invisibiliter Domino communicare, quam eam ab hæretico sumendo a Deo separari. *Nulla enim, ut ait Apostolus, conventio Christi ad Belial, neque pars aliqua fidelis cum infideli, &c.* Nam sacram Christi communionem, quamvis visibiliter, & corporaliter catholici propter imminentes hæreticos habere non possint, dum tamen mente Christo conjuncti sunt, ejus communionem invisibiliter sumunt. *Concil. Benevent. sub Victor III.*

TITULUS V.

ENERGUMENI POSSUNT SUMERE

EUCCHARISTIAM, SED NON MINISTRARE.

CAPUT I.

Usque adeo sane comperimus, illicita quæque prorumpere, ut dæmoniis, similibusque passionibus irretitis, ministeria sacrosancta tractare tribuatur, quibus si in hoc opere positus aliquid propriæ necessitatis occurrat, quis de sua fidelium salute confidet, ubi ministros ipsos curationis humanæ tanta perspexerit calamitate vexari? Atque ideo, necessario removendi sunt, ne quislibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis. *Gelas. epist. I. cap. 21.*

CAPUT II.

Energumeni, qui ab erratico spiritu exagitantur, nomen neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum, ut sua manu in ecclesia ministret. *Elib. c. 29.*

CAPUT III.

Eos, qui a spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet, si vero fideles fuerint, dandam eis esse communionem. *Elib. c. 37.*

CAPUT IV.

Energumeni baptizati, si de purgatione sua curent, & se sollicitudini clericorum tradant, monitisque obtemperant, omnimode communicent, sacramenti ipsius virtute, vel muniendi ab incursum dæmonum, quo infestantur, vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatio. *Araus. cap. 14.*

CAPUT V.

Bene majorum regulis definitum est, ut dæmoniis aliisque similibus passionibus irretitis, ministeria sacra tractare non liceat, &c. Desirimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursum efferrantur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussi, se divinis ingerant

sacramentis, exceptis illis, qui variis corporum incommoditatibus dediti in * hujusmodi passionibus in terram approbantur elisi, qui tamen & ipsi taotidie erunt ab officii sui, & ordine, & loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursum dæmonum alieni. *Tolet. XI. c. 13. Burch. lib. 3. c. 72. Ivo part. 2. c. 125. decret.*

CAPUT VI.

Si quis cum sit fidelis, a dæmone corripitur, debet ne esse sanctorum mysteriorum particeps, an non? Respondeo, si mysterium non enuntiet, nec ullo alio modo blasphemet, sit particeps, sed non singulis diebus, sufficit enim si stans solum temporibus. *Timoth. Episc. Alexand. resp. 3.*

TITULUS VI.

DE CULTU, ET VENERATIONE MAXIMA, QUÆ DEBETUR EUCCHARISTIÆ, ET MISSÆ SACRIFICIO.

CAPUT I.

Si quis ausus fuerit quidquam de consecratis in ecclesia abiicere, evangelii (*inquam*) depictum codicem, aut figuram crucis, &c. aut uti tamquam communibus sacratis Deo, &c. Si fuerint Episcopi, aut clerici, deponantur, si monachi, aut laici communionem priventur. *Nicæn. II. act. 7. in fin.*

CAPUT II.

Statuimus in cunctis ecclesiis, ut chrisma, & eucharistia sub fidei custodia, clavibus adhibitis, conserventur, ut non possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur. Et si per jus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subiaceat ultioni. *Innoc. III. in concil. gen. Later. c. 20.*

CAPUT III.

Tribus gradibus commissa sunt sacramenta divinorum secretorum, id est, presbytero, diacono, & ministro, qui cum timore, & tremore, Dei reliquias fragmentorum corporis dominici custodiri debent, ne qua putredo in sacrario inveniantur, ne cum negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur injuria; communicatio enim corporis Domini nostri Jesu Christi, si negligenter erogetur, & presbyter minora non curet admonere officia, gravi anathemate, & digna humiliationis plaga feriatur. Certe tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant; quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore, & tremore clericorum diligentia consumantur. Qui autem residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos convenient, ne putent sanctæ portioni commiscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur. Si ergo mane dominica portio editur, usque ad sextam jejunent ministri, qui eam consumperunt, & si tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperam, hæc secreta sanctificatione æterna custodienda sunt sacramenta. *Clem. epist. 2. in princ. Burch. lib. 5. c. 11. Ivo lib. I. tit. 4. c. 26. panorm. & part. 2. cap.*

* sine.

De custod. eueb. cap. 1. Greg. IX. c. 8. de baptisimo, in 4. coll.

De conf. d. 2. c. 23.

d. 33. c. 3. Communit.

238 Juris Pontificii Veteris Epitome

2. cap. 21. & 64. decret. Anselm. lib. 8. c. 38. in additis.

CAPUT IV.

Iterum atque iterum de fragmentis dominici corporis demandamus. Calicem vero ad perferendum sanguinem Domini præparatum cum tota munditia ministerii minister præparat, ne non bene lotus calix diacono peccatum fiat offerent, &c. [Tales ad ministerium eligantur clerici, qui digne possint dominica sacramenta tractare, &c. De sacramentis delegavi bene intuendis, ubi non murium stercorea inter fragmenta dominicæ portionis appareant, neque putrida per negligentiam remaneant clericorum, & convenientes, qui accipere sibi medicinam desiderant, putrida cum viderint, magis cum ridiculo, & fastidio videantur accipere, & in peccatum magis decidant per negligentiam clericorum. Quapropter nemo clericus, hæc negligat, sed sacramenta divina nequaquam negligenter contrectet. Clem. epist. 2. ante med.

Dist. 23. c. 4.

CAPUT V.

Sanctæ communionis mysterium in eisdem diebus (loquitur de diebus, quibus menstrua mulieri consuetudo accidit) percipere non debet prohiberi. Si autem ex magna veneratione percipere non præsumit, laudanda est, sed si percipit, non judicanda. Bonarum quippe mentium est, ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est, &c. Greg. ad Aug. interrog. 10. Anselm. lib. 10. c. 59. in additis. Casarung. lib. 10. cap. 56. Tarrac. lib. 6. c. 225.

d. 5. c. ult.

CAPUT VI.

Ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur, nam scriptum est: *Accipite, & comedite. Carth. c. 18. G. Carth. III. c. 6. L. Antisiod. c. 12. Trull. c. 84.*

Matt. 26.

CAPUT VII.

Placuit, ut intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris, vel mulieribus, nisi tantum clericis, sicut & antiquis canonibus institutum est. *Brac. I. c. 31.*

CAPUT VIII.

Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam sumere. *Antif. c. 6.*

CAPUT IX.

Unaqueque mulier, quando communicat, dominicalem suam habeat. Quod si quem * non habuerit, usque in alium diem dominicum non communicet. *Antif. c. 42.*

* si qua.

CAPUT X.

Quia corpus Domini per ecclesias parochianas dicebatur nimia vetustate neglectum, statuerunt Episcopi in eodem concilio, ut corpus Domini non plus servetur, quam a dominica in alteram. *Bituric. c. 2. apud synod. Lemov. act. 2.*

CAPUT XI.

De corpore Domini mutando propter presbyteros, qui omnibus dominicis diebus ad ecclesias suas nequeunt adesse, placet ita institui, ut ab omnibus valeat inexcusabiliter observari, &c. Itaque placet, ut corpus Domini in anno per duodecim terminos renovetur in omnibus illis ecclesiis, ubi incessanter custodiri solet, hoc est in

pascha, in pentecoste, in nativitate sancti Joannis, ad vincula sancti Petri, in Assumptione sanctæ Mariæ, in festivitate S. Michaelis, in omnium Sanctorum, in S. Andrea, in natali Domini, in Hipopanti, in quadragesima, in media quadragesima, his enim distinctionibus anni omnes presbyteri ad proprias possunt recurrere ecclesias, & ipsum corpus Domini, quod mutatur, non nisi a mundis ecclesiæ ministris sumatur. *Lemov. act. 2. post canones concil. Bituric.*

CAPUT XII.

Panes, quos Deo in sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris coram vobis nitide, ac studiose fiant, & diligenter observetur, ut panis, & vinum, & aqua, sine quibus missæ nequeunt celebrari, mundissime ac studiose tractentur. *Theodulph. ad presbyt. Aurelian. c. 5.*

TITULUS VII.

DE FREQUENTI PERCEPTIONE

EUCCHARISTIÆ.

CAPUT I.

Sunt & alii, qui missarum celebrant solemnia vix quater in anno, vel quod deterius est, interesse contempunt. Et si quando dum hæc celebrantur, intersunt, chori silentium fugientes, intendunt exterius colloquutionibus laicorum, dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis inhibemus, districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium diurnum pariter, & nocturnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent, & devote. *Innoc. III. in concil. Later. c. 17.*

De celebr. missarum c. 9. Dolentes. Gr. IX. & c. 2. eod. tit. in 4. coll.

CAPUT II.

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, &c. Suscipiens reverenter ad minus in pascha eucharistiæ sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum. Alioquin & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura, &c. *Innoc. III. in concil. gener. Lateranen. c. 21.*

De pœnit. c. 12. Gr. IX. & c. 2. eod. tit. in 4. coll.

CAPUT III.

Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo facta oblatione non communicaverit, aut causam dicat, ut si rationabilis fuerit, veniam consequatur, aut si non dixerit, communionem privetur, &c. *Apost. c. 8. G. 9. L. Capitul. lib. 1. c. 6.*

CAPUT IV.

Omnes fideles, qui ingrediuntur ecclesiam, & scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, vel ut inquietudines ecclesiæ commoventes, convenit communionem privari. *Apost. c. 9. G. 10. L. Antioch. c. 2. Burch. lib. 2. c. 67. & 68. Ivo part. 6. c. 163. & 164. decret.*

De conf. d. 1. c. 61.

CAPUT V.

Episcopus Deo sacrificans testes secum habeat, & plures, quam aliis sacerdos, &c. In sole-

De conf. d. 7. cap. 52.

le-

lemioribus diebus aut septem, aut quinque, aut tres diaconos, qui ejus oculi dicuntur, & subdiaconos, atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte, & a tergo, & presbyteri e regione dextra, lævaque contorto corde, & humiliato spiritu ac prono stent vultu, custodientes eum a malevolis hominibus, & consensum ejus præbeant sacrificio. Peracta autem consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus, sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet ecclesia: *Servite*, inquit Dominus per prophetam David, *in timore & exultate ea cum tremore, adorare pure, ne forte irascatur, & peccatis de via, &c. Anacler. epist. 1. in med. Burch. lib. 3. cap. 71. & 77. Ivo part. 2. cap. 67. decret. Anselm. lib. 6. cap. 132. Casar. lib. 4. cap. 49. Tarrac. lib. 3. cap. 49.*

CAPUT VI.

Corpori, & sanguini dominico quotidie in quadragesima majori, si debeat communicare, consulitis. Quod ut fiat, Deum omnipotentem suppliciter exoramus, & vos omnes vehementissime cohortamur, si tamen mens in affectu peccandi non sit, vel si hanc non de criminalibus peccatis conscientia impœnitens, vel non reconciliata fortassis accuset, vel si fratri discordanti quis vestrum suo vitio reconciliatus minus existat, &c. Interim tamen quadragesima, quam mos ecclesiæ majorem appellat, omni est die servato superiori tenore communicandum. *Nicol. ad Consult. Bulgar. cap. 9.*

CAPUT VII.

Inter cætera, quæ tibi contra principem mundi, arma, Deo favente contuli, quod potissimum est, ut corpus dominicum frequenter acciperes, indicavi, & ut certæ fiduciæ Matris Domini te omnino committeres, præcepi, quid inde beatus Ambrosius videlicet de sumendo corpore Domini senserit, his in litteris intimavi: ait enim in libro quarto de sacramentis inter cætera: „ Si mortem Domini annuntiamus, annuntiamus remissionem peccatorum. [Si quotiescumque effunditur sanguis Domini, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Item ipse Ambrosius in libro quinto de sacramentis: „ Si quotidianus est panis, cur post annu illum sumas? quemadmodum Græci in oriente consueverant facere, accipe quotidie, quod quotidie tibi profit sic vive, ut quotidie merearis accipere, qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annu accipere. Quo modo Job sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificiu ne forte aliquid vel in corde, vel in sermone peccassent. Ergo tu audis, quod quotiescumque offertur sacri f. iu, mors Domini resurrectio Domini significetur, & remissio peccatorum, & panem istum vitæ non quotidianum assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cælestis, & venerabile sacramentum. Item Gregorius Papa in libro quarto Dialogorum: „ Debemus itaque præsens sæculum, vel quia jam conspiciamus deslu-

xisse, tota mente contumere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis ejus, & sanguinis hostias immolare, hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam mortem unigeniti per mysterium reparat, quod licet surgens a mortuis jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, tamen in se ipso immortaliter, & incorruptibiliter, vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacra oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute partitur, ejus sanguis, non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filii semper imitatur, &c. Item Joannes Chrysostomus Patriarcha ad Neophytos: „ Videte, quos vos cibo satietatis enutrit. Ipse nobis cibi substantia est, atque nutrimentum. Nam sicut mulier, affectionis natura cogente, genitum alere sui lactis foecunditate festinat, sic & Christus, quos ipse regenerat, suo sanguine semper enutrit. Etenim ut idem Joannes scribit ad Theodorum monachum: „ Lubricum genus est natura mortalis, cito quidem labitur, sed non sero reparatur, & ut facile cadit, ita & velociter surgit. Debemus, o filia, hoc ad singulare confugere sacramentum, singulare appetere medicamentum. Hæc ideo charissima beati Petri filia scribere procuravi, ut fides, & fiducia in accipiendo corpus Domini major tibi accrescat. Talem quidem thesaurum, taliaque dona, non aurum, non lapidea pretiosos amore patris mei, cælo videlicet Principis, a me tua requirit anima, licet ab aliis sacerdotibus longe meliora pro meritis possis accipere. *Greg. VII. lib. 1. registr. epist. 50. vel 47. ad Mathildem. Burch. lib. 5. cap. 18. Ivo part. 2. cap. 28. decret. Casar. lib. 11. c. 16.*

CAPUT VIII.

Omnes, qui ingrediuntur ecclesiam Dei, & scripturas sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se a perceptione sanctæ communionis averunt, hi de ecclesia removeantur, quamdiu per confessionem penitentia fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur. *Antioch. c. 2. Mart. Bracharenf. cap. 84.*

CAPUT IX.

Qui intrant in ecclesiam, & numquam communicant, admoneantur, quod si non communicant, ad penitentiam accedant, si communicant, non semper abstineant, si non fecerint, abstineantur. *Tolet. I. cap. 19.*

CAPUT X.

Sæculares, qui in natali Domini, pascha, pentecoste non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. *Agathens. c. 18. Burch. lib. 5. c. 23. Ivo part. 2. c. 33. decret. Casar. lib. 11. c. 19.*

CAPUT XI.

Ut si non frequentius, vel ter laici homines in anno communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur. *Turon. sub*

Vid. de conf. d. 2. cap. Si quis, 18.

De conf. d. 2. Hi qui, c. 20.

De conf. d. 2. cap. 19.

De conf. d. 2. c. 16. Et si non.

Psalms. 2.

De conf. d. 2. cap. 14.

Job. c. 1. b.

Carolo cap. 50. Capitul. lib. 2. c. 45. Burch. lib. 5. cap. 17. Ivo lib. 1. tit. 4. cap. 28. panorm. & part. 2. cap. 27. decret. Caesar. lib. 11. cap. 15.

CAPUT XII.

De perceptione sacri corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi nihilominus monemus, ut quod christianæ religioni expedit, & sicut vobis a patribus nostris admonitum est, in aliis conventibus, quando possibile fuerit, faciatis, & vestro exemplo vobis famulantes, ut hoc faciant, instruatis. *Paris. sub Ludov. & Lothar. lib. 3. c. 20. ad ipsos Imperatores.*

CAPUT XIII.

Sane communicatio corporis Domini omni die Dominico debuit celebrari. Ideoque necesse est, quantum ratio permittit, ut moderna corrigatur consuetudo, ne forte, qui longe est a sacramentis, quibus est redemptus, longe sit a salute, quam fuerat consecutus. *Aquisgran. II. sub Ludov. part. ult. cap. 21.*

CAPUT XIV.

De conf. d. 2. cap. 18.

Si quis intrat ecclesiam Dei, & sacras scripturas audit, & pro luxuria sua avertit se a communionem sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, illum talem proiciendum de ecclesia catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, & possit communionem percepta indulgentia promereri. *Mart. Brac. c. 84. Antioch. c. 2. Capitul. lib. 7. c. 176. in add.*

CAPUT XV.

Singulis diebus dominicis in quadragesima præter hos, qui excommunicati sunt, sacramenta corporis, & sanguinis Christi sumenda sunt, & in cœna Domini, in vigilia paschæ, & in die resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum. *Theodulph. ad presbyteros Aurelian. cap. 41. Burch. lib. 5. cap. 19. Ivo part. 2. cap. 29. decret. Anselm. lib. 9. cap. 11.*

CAPUT XVI.

Admonendus est populos, ut ad sacrosanctum sacramentum corporis, & sanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abstinere, &c. Quia sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum sacramentum accedere, ita etiam periculosum est, ab hoc prolixo tempore abstinere, salva ratione eorum, qui excommunicati non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & religiosi quibusque sancte viventibus, qui pene omni die id faciunt. *Theodulph. ad presbyt. Aurelian. c. 44.*

TITULUS VIII.

DE PERCIPIENDA EUCHARISTIA IN CÆNA DOMINI, VEL IN PASCHATE.

Vide in Partis I. Lib. VIII. Tit. VI.

CAPUT I.

De conf. d. 2. cap. 17.

IN cœna Domini a quibusdã perceptio Eucharistiæ negligitur, quæ quod in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus pro gravibus criminibus inhibita est, percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis, & sanguinis domini sacramenta reconcilientur. *Cabil. sub Carolo cap. 47. Capitul. lib. 7. c. 68. in ad-*

ditis. Burch. lib. 5. c. 20. Ivo part. 2. c. 30. decret.

TITULUS IX.

QUONAM PACTO SE DEBEANT COMPARARE CHRISTIANI AD PERCEPTIONEM EUCHARISTIÆ.

CAPUT I.

Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. *Paul. epist. 1. ad Corinthios cap. 11. a num. 27. ad 31.*

CAPUT II.

Si laicis abstinencia imperatur (a conjugibus) ut possint deprecantes audiri, quanto magis sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur? qui si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet? &c. *Syrie. in synod. Rom. epist. 4. cap. 9. apud concil. Telen.*

CAPUT III.

Ne excommunicato ecclesiastico, sive laico de fragmentis oblationum Domini ponatur ad mensam. Unde scis tu, qui passim sacrarii panis indignis impendis, unde nosti si a mulieribus mundi sunt? Unde & Divid ab Abimelech sacerdote interrogatus, cum panes sibi ad comedendum posceret, si mundus esset a muliere, cum se mundum ante triduum profiteretur, panes propositionis manducavit, &c. Si post ordinationem ministro altaris contigerit proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad dominici corporis portionem * accedat, &c. *Clem. epist. 2. post princ. Ivo part. 6. c. 87. decret. Casaraug. lib. 8. cap. 59.*

De conf. d. 2. cap. Tribus. 23.

1. Reg. 11.

Dist. 81. c. 19. Ministri.

** portationem.*

CAPUT IV.

Sacerdotes, vel levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacant. Nam si beatus Apostolus ad Corinthios scripsit, *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi* & hoc utique laicis præcepit, multo magis sacerdotes, quibus & orandi, & sacrificandi iuge officium est, semper debent ab huiusmodi consortio abstinere. Quod si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore sacrificare usurpabit, aut qua conscientia, quove merito exaudiri se credit? cum dictum sit *Omnia munda mundis, coinquatis autem & infidelibus nihil mundum.* *Inn. epist. 2. cap. 9. & epist. 3. cap. 1. Ivo lib. 6. tit. 8. cap. 11. panorm. & part. 6. c. 94. decret. Anselm. lib. 7. c. 132.*

Dist. 51. Tere nere, c. 4. & 5. 2. Cor. 7.

Tit. 1.

CAPUT V.

Si quis sua conjugem non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gra-

93. q. 4. c. 7. Vir cum propria.

gra-

gratia utitur, iste profecto sive de ingressu ecclesie, sed sumendo corporis dominici, & sanguinis mysterio, suo est relinquendus iudicio, quia a nobis prohiberi non debet, &c. Sic illic, ubi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta provisione est munditia corporis requisita, &c. Quanto magis qui corpus Domini omnipotentis accipiunt, custodire in se carnis munditiam debent, ne ipsa inestimabilis mysterii magnitudine prægravetur? &c. *Greg. ad August. interv. 10. lvo part. 8. cap. 88. decret. Tarrac. lib. 6. c. 225.*

CAPUT VI.

Diss. 6. cap. 1. 2.

Quæro si post illusionem, quæ per somnium solet accidere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat, vel si sacerdos est, sacra mysteria celebrare. Est in eadem illusionem valde necessaria discretio, qua subtiliter pensari debet, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate, vel infirmitate evenit, omnimodo hæc illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quam fecisse. Cum vero supra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, vel missarum solemniam celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi ministerium pro eo, quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii, qui implere ministerium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatione non concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in somno corporis positus turpibus imaginationibus non sædetur, &c. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo suus reatus, videt enim a qua radice inquinatio illa processerit, qui quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio utrum suggestionem, an delectationem, vel quod majus est, peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestionem, delectationem, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum, &c. cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnino perpetratum non est, cum vero caro delectari ceperit, tunc peccatum incipit nasci, si autem etiam ex deliberatione consentit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestionem igitur peccati semen est, in delectationem fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sepe contingit, ut hoc, quod malignus spiritus seminavit in cogitatione, caro in dilectionem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat. Et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans in

Tom. VI.

delectatione carnali aliquo modo ligatur, ut ei ex ratione contradicat, nec consentiat, & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Unde & ille cælestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis.* Si autem captivus erat, minime pugnabat. Quapropter, & captivus erat, & captivus non erat, sed pugnabat. Igitur legi mentis, lex quæ membris est, repugnabat, pugnabat autem, quapropter captivus non erat. Ecce itaque homo est, ut ita dixerim, captivus, & liber, liber ex iustitia, quam diligit, captivus ex delectatione, quam portat invitus. *Gregor. ad August. interrogat. 11. Burch. lib. 5. c. 43. lvo part. 2. cap. 52. decret. Tarrac. lib. 1. c. 157.*

CAPUT VII.

Corpori, & sanguini dominico quotidie in quadragesima majori, si debeatis communicare consultis. Quod ut fiat, Deum omnipotentem suppliciter exoramus, & vos omnes vehementissime cohortamur, si tamen mens in affectu peccandi non sit, vel si hanc non de criminalibus peccatis conscientia impænitens, vel non reconciliata fortassis accuset, vel si fratri discordanti quis vestrum suo vitio reconciliatus minus existat. Nam quem de horum aliquo conscientia mordet, gravari tanto munere potius, quam remedium consequi quodlibet arbitremur. *Judicium enim sibi, secundum Apostolum, manducat, & bibit. Nicol. ad consulta Bulgaror. cap. 9.*

CAPUT VIII.

Cum laico abstinentia imperetur, ut possit orationi vacans, & Deum deprecans exaudiri, quanto magis sacerdotibus, Levitis, qui omni momento parati esse bebent, in omni munditia, & puritate securi, ne aut sacrificium offerre, aut baptizare, si id temporis necessitas poposcerit, cogantur imparati, aut immundi? qui si contaminati fuerint carnali concupiscentia, qua fronte excusabunt, quo pudore usurpabunt, qua conscientia, quo merito exaudiri se credent? *Turon. cap. 5.*

CAPUT IX.

Oportet die sextæ feriæ passionis Domini mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis annuntiandum voluit prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum præstolari, ut poenitentiae compunctione mundati, venerabile festum Dominicæ resurrectionis, remissis iniquitatibus suscipere mereamur, corporisque ejus, & sanguinis sacramentum mundi a peccato sumamus. *Toler. IV. cap. 6.*

CAPUT X.

Si quis ad sanctissimum corpus Domini accedit in synaxeos tempore, antequam de eo participet, manus componat in formam crucis, ita accedat, & communionem gratiæ accipiat. Qui vero in auro, vel alia materia id recipiunt, male faciunt, cum præstet imago Dei his omnibus. Qui dederit eo modo communionem recipientibus, excommunicetur, & qui recipit. *Trullens. cap. 101.*

Hh

CA-

CAPUT XI.

Presbyteri omnino admonendi sunt, ut cum sacra missarum solemnia peregerint, atque communicaverint, pueris, aut alijs quibuslibet personis astantibus corpus Domini indiscrete non tribuant. Qui si forte majoribus peccatis fuerint irretiti, magis sibi damnationem, quam remedium sumere noscuntur, juxta sententiam Apostoli dicentis: *Quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Turon. sub Carolo c. 19.

1. Cor. 11.

CAPUT XII.

In perceptione corporis, & sanguinis domini magna discretio adhibenda est. Cavendum est enim, ne si nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si vero indiscrete accipiatur, timendum est illud, quod ait Apostolus: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.*

Joann. 6.

1. Cor. 11.

Juxta ejusdem ergo Apostoli documentum, probare se debet homo, & sic de pane illo manducare, & de calice bibere, ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus, animamque suam præparet se ad percipiendum tantum sacramentum, exemplo David, qui nisi se fassus fuisset abstinuisse ab opere conjugali ab heri, & nudius tertius, panes propositionis nequaquam a sacerdote accepisset. *Cablon. sub Carolo cap. 46. Burch. lib. 5. c. 14. Ivo part. 2. c. 24. decret.*

1. Reg. 21.

CAPUT XIII.

Habebit etiam Episcopus inter hæc omnia, & castitatis eminentiam, ita ut mens Christi corpus confectura ab omni inquinamento carnis sit munda, & libera. *Isidor. de officiis, c. 6. apud Aquisgran. cap. 9. ante fin.*

CAPUT XIV.

Non solum ab opere se immundo abstineat, verum a jactu oculi, & cogitationis errore mens corpus Christi confectura sit libera. *Hieron. in epist. ad Titum apud Aquisgranen. c. 10. in fin.*

CAPUT XV.

Qui in non voluntario nocturno fluxu fuerint, ii quoque propriam conscientiam sequantur, (*loquitur de his, qui ad Eucharistiam accedere volunt*) & seipfos an de eo discernant, an non, considerent. Quemadmodum in cibis, qui discernit, inquit, si comederit, condemnatus est, in his quoque bonæ sit conscientiæ, & libere loquatur, secundum propriam cogitationem, qui ad Deum accedit. *Dionys. Alexandrinus in epist. ad Basilidem, cap. 4.*

CAPUT XVI.

Tum demum polluimur, quando foetidissimum peccatum operamur. Quando autem naturalis excretio præter voluntatem facta fuerit, tunc naturæ necessitate cum aliis hoc quoque suscipiemus. *D. Athanasius ep. ad Amnum monach.*

CAPUT XVII.

Si uxor cum suo marito noctu cohabitarit, vel

maritus cum uxore, ut fiat synaxis, debentne communicare, an non? Respondeo non debent, cum clamet Apostolus, *Ne frustremini vos invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & rursus simul conveniatis, ne tentet vos Satanas propter intemperantiam vestram.* *Timoth. Episcop. Alexandr. respons. 5.*

1. Cor. c. 7.

CAPUT XVIII.

Si laicus, qui somniavit, clericum interrogaverit, an debet ei permittere communicare, an non? Respondeo si subest quidem mulieris desiderium, non debet. Sin autem tentat eum Satanas, ut per hanc occasionem a divinatorum mysteriorum communione alienetur, debet communicare. Neque enim cessabit illum eo tempore tentare, quando debet communicare eum invadens. *Timoth. Episcop. Alexandr. cap. 12.*

CAPUT XIX.

Admonendus est populus, ut ad sacrosanctum sacramentum corporis, & sanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abstinere, sed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquandiu ab opere conjugali abstinere, & vitiiis se purget, virtutibus exornet, eleemosynis, & orationibus insistat, & sic ad tantum sacramentum accedat. Quia sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum sacramentum accedere, ita etiam periculosum est ab hoc prolixo tempore abstinere, salva ratione eorum, qui excommunicati, non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & religiosis quibusque sancte viventibus, qui pene omni die id faciunt. *Theodulph. ad presb. Aurel. c. 44.*

TITULUS X.

NON DENEGETUR EUCHARISTIA LEPROSIS, ET ALIIS INFIRMIS.

CAPUT I.

SANCTÆ COMMUNIONIS MYSTERIUM in eisdem diebus percipere non debet prohiberi (*loquitur de muliere, quæ menstruam consuetudinem patitur*). Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si percipiat, non judicanda, bonarum quippe mentium est, ibi etiam aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est, quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa. *Greg. ad Aug. interrog. 10.*

Dist. 5. cap. ult. p. ult.

CAPUT II.

Leprosi, si fideles Christiani fuerint, Domini corporis & sanguinis participatio tribuatur, cum sanis autem convivia celebrare negantur. *Greg. III. epist. 4. ante fin. Vormat. c. 31.*

CAPUT III.

Qui regio morbo vexantur, in ecclesia dum ad communionem venerint, post omnium suppletionem erunt ingressuri ad participandum munus. *Zach. epist. 5. in med.*

CAPUT IV.

Quamobrem non debeat is, cui sanguis ex ore, vel naribus profluxerit, corpus, ac sanguinem Christi percipere, regula nulla docet. Nam quod invitus quis patitur, in culpam ei non debet imputari, ac per hoc nec a participatione tanti remedii coerceri. Novimus namque quia mulier, quæ flu-

Matt. 9.

flu-

Matt. 9.
Luc. 8.

fluxum patiebatur sanguinis, post tergum Domini humiliter veniens, vestimenti ejus fimbriam tetigit, atque ab ea statim sua infirmitas recessit. Si itaque mulier hæc in fluxu sanguinis posita vestimenti Dominici tactu non judicatur indigna, immo ipsius Domini, nam ipse dixit, *retigit me aliquis?* cur quibus sanguinis ex ore, vel naribus fluxum sustinent, non liceat salutifera Christi sacramenta percipere. *Nicol. ad consult. Bulgar. c. 65.*

TITULUS XI.
EUCCHARISTIA NON DENEGETUR ILLIS, QUIBUS MORS IMPENDET.

CAPUT I.

26. q. 6. c.
9. De his.
Et cap. 6. Si quis.

DE decedentibus antiqua, & canonica lex servetur. Ut si quis decedat, ultimo, & maxime necessario viatico non privetur. Si præter spem communionem percepta revixerit, orationibus tantum communicet. Et generaliter quocumque decedente petente eucharistiam Episcopus exploret, & det ei oblationem. *Nicæn. c. 13. G. 12. L. Mart. Brae. c. 83. Triburien. 31. Burch. lib. 18. c. 6. Ivo part. 15. c. 31. decret.*

CAPUT II.

De elect. c.
6. Licet. Gr.
IX. c. 15.
cod. tit. in
1. coll.

Si quis de tertiæ partis nominatione confusus (*loquitur de eo, quem tertia pars Cardinalium eligit Papam*) sibi nomen Episcopi usurpaverit, tamen ipse, quam qui eum receperint, excommunicationi subjaceant, & totius sacri ordinis privatione mulcentur, ita ut viatici etiam eis, nisi tantum in ultimis, communicatio denegetur, &c. *Alex. III. in concil. Later. c. 1.*

CAPUT III.

De conf. d.
4. cap. Eos
quos c. 118.

Si Episcopi, presbyteri, vel diaconi, sive sua sponte, sive coacti, se rebaptizari permiserint, in pœnitentia, si resipiscunt, jacere conveniet, nec orationi non modo fidelium, sed ne catechumenorum interesse, quibus communicatio laica in morte reddenda est. *Felix III. in synod. Rom. cap. 2. Burchard. lib. 4. cap. 99. Ivo part. 1. c. 293. decret.*

CAPUT IV.

De conf. d.
4. c. 1. 8.

Clericis, monachis, aut secularibus, qui se rebaptizari passi sunt, duodecim annorum indicitur pœnitentia, at vero viaticum, cum mors instat, conceditur. *Felix III. in synod. Rom. c. 3. Burch. lib. 4. c. 99. Ivo part. 1. c. 293. decret.*

CAPUT V.

Vide cap. 1.
De torneamenta.

Detestabiles illas nundinas, vel ferias, in quibus milites ex conditio convenire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audaciæ temere congregiuntur, unde mortes hominum & animarum pericula sæpe proveniunt, omnino fieri interdiciamus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia, & viaticum non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura. *Innoc. II. in synod. Rom. c. 10. Eugen. III. in concil. Rhemen. c. 12. post Ivon. panorm.*

CAPUT VI.

33. q. 2. c.
12.

Qui acta pœnitentia in fornicationem iterum incidunt, sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, quibus cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus

subveniri. *Syric. epist. 11. cap. 5. Burch. lib. 19. cap. 37. Ivo part. 15. cap. 71. decret. Anselm. lib. 11. cap. 143. Cæsar. lib. 15. c. 9. Tarrac. lib. 6. cap. 28.*

CAPUT VII.

Has impudicas, (*loquitur de monachis, & sanctimonialibus lapsis*) detestabilesque personas a monasteriorum cœtu, ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitentis igne decoqui, ut eis, vel ad mortem saltem folius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subvenire. *Syric. epist. 1. cap. 6. Tribur. c. 23. & 26. Anselm. lib. 11. cap. 143.*

CAPUT VIII.

Si quis (*pœnitens*) in ægritudinem incidit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus paschæ relaxandum, ne de saculo absque communionem discedat. *Innoc. epist. 1. c. 7. Capis. lib. 5. c. 67. Cæsar. lib. 15. c. 27. Tarrac. lib. 4. c. 36.*

CAPUT IX.

Quæsitum est, quid de eis observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul, & reconciliationem communionis exposcunt, &c. Consuetudo prior tenait, ut concederetur pœnitentia, sed communicatio negaretur: nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communicatio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & durior remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici, negantes veniam, asperitatem, & duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communicatio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis permittere Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur. *Innoc. ep. 3. c. 2. Tribur. c. 31. in fin.*

CAPUT X.

Condemnatus est Bassus a synodo, ita tamen ut in ultima die viaticum ei non denegetur propter humanitatem pietatis ecclesiæ. *Xystus III. epist. unic.*

CAPUT XI.

Qui ad iterandum baptismum vel metu coacti sunt, vel errore traducti, pœnitentiam agant, &c. In quibus, si quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia, subveniri. *Leo epist. 77. ad Nicetam Episc. Aquilejen. c. 6. Burch. lib. 4. c. 48. Ivo part. 1. c. 242. decret.*

CAPUT XII.

De communionem danda morientibus signis eam petentibus. *Leo epist. 86. ad Theodor. Forojul. Episc.*

H h 2

CA.

De conf. d.
3. De penitent. c. 17.

26. q. 7.
Tempora. c.
2.

CAPUT XIII.

Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus &c. his viaticum de saeculo transeuntibus si tamen poeniterint, non negetur. *Ge-las. epist. 1. cap. 22. Tribur. cap. 23. Raban. c. 5. de poenit.*

CAPUT XIV.

Presbyter depositus, qui ausus fuit offerre sacrificium, privatur perceptione Eucharistiae, praeterquam in obitu. *Greg. lib. 4. epist. 5. Venantio Episc. Lunen.*

CAPUT XV.

Qui patrem, matrem, fratrem, sororem occiderint, toto tempore vitae suae non suscipiant Dominicum, nisi tempore exitus pro viatico. *Greg. II. epist. 8. ante fin.*

CAPUT XVI.

Apostatis poenitentibus non negetur viaticum. *Ancy. c. 6. Vide lib. XI. tit. IV.*

CAPUT XVII.

Si quis fidelis habens uxorem saepe fuerit mœchatus, in fine mortis est conveniendus, & si se promiserit ceclaturum, detur ei communicatio. Si resuscitatus, rursus fuerit mœchatus, placuit ulterius non edere eum de communione pacis. *Eliber. cap. 47.*

CAPUT XVIII.

De his, qui apostatant, & antequam se ad ecclesiam repraesentent, nec quidem poenitentiam agere quaerunt, & postea infirmitate correpti, petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos fructus poenitentiae. *Arelat. I. c. 23.*

CAPUT XIX.

De his, qui in poenitentia positi vita excesserunt, placuit nullum communionem vacuum debere dimitti, sed pro eo, quod honoravit poenitentiam, oblatio illius recipiatur. *Arelat. II. c. 12. vide Carth. IV. c. 79.*

CAPUT XX.

26. q. 6. c. 8. Is, qui poenitentiam in infirmitate petit, si casu, dum sacerdos venit, obmutuit, vel in phrenesim incidit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat poenitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia, &c. *Carthag. IV. c. 76. Capitul. lib. 5. c. 75. Burch. lib. 18. cap. 10. Ivo part. 15. cap. 8. decret. Anselm. lib. 11. c. 16.*

CAPUT XXI.

Poenitentes, qui in infirmitate sunt, viaticum accipiant. *Cart. IV. c. 77. Ivo p. 15. c. 9. decret.*

CAPUT XXII.

26. q. 6. c. 8. in fin. Poenitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint. *Carthag. IV. c. 78. Capitul. lib. 5. c. 54. c. 76. Burch. lib. 19. c. 23. Ivo part. 15. cap. 10. decret. Anselm. lib. 11. c. 15.*

CAPUT XXIII.

* beatam benedictionem. Juvenes in infirmitate positi viaticum * percipiant. *Barcinon. c. 9.*

CAPUT XXIV.

Si qua vidua Episcopi, aut presbyteri, aut dia-

coni maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea convivium sumat, nunquam communice, morienti tantum ei sacramentum subveniat. *Tolet. c. 18. Mart. Brac. c. 29.*

CAPUT XXV.

Poenitentes, tempore quo poenitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur, &c. Viaticum tamen omnibus in morte positis non negandum. *Agath. cap. 15. Burch. lib. 19. c. 27. Ivo part. 15. c. 17. decret. Capitul. lib. 5. c. 78. c. lib. 7. c. 310.*

CAPUT XXVI.

Qui recedunt de corpore poenitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eos communicare, quod morientis sufficit consolationi * secundum definitiones patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominaverunt, &c. *Araus. cap. 3. Raban. cap. 36. de poenit. Burch. lib. 18. cap. 17. Ivo part. 15. cap. 39. decret.*

CAPUT XXVII.

Si cui discrimen mortis immineat, damnationis constitutae tempora relaxentur. Si aegrotum accepto viatico revalescere fortasse contingit, statuti temporis spatia observare conveniet. *Epaun. cap. 36.*

CAPUT XXVIII.

De promotionibus (quorumdam clericorum, qui contra ecclesiae leges ordinantur) si quis clericus, aut civis testis extiterit, quorum testimonio dum creditur, frequenter Pontificis ignorantia praeventur, cum agnatum fuerit, ordinationem illicitam celebratam, anno integro a communionem pellantur. Qui si in infirmitate deciderint, eis viaticum non negetur. *Aurelian. III. cap. 6.*

CAPUT XXIX.

Si quis consecratae, vel devotae, id est, religionem professae, vim inferre praesumpserit, a communionem ecclesiastica usque ad exitum repellatur, viatico tantum ei infirmitatis periculo reservato. Quod si quae rapta dicitur, cum raptore habitare consenserit, & ipsa excommunicatione simili feriat. Quae forma & de poenitentibus, ac viduis in proposito manentibus sub distinctione ecclesiastica conferretur. *Aurelian. III. cap. 16.*

CAPUT XXX.

Si quis poenitentiae benedictione suscepta, ad saecularem habitum, militiaeque reveri praesumpserit, viatico concessio usque ad exitum excommunicatione plectatur. *Aurel. III. cap. 24.*

CAPUT XXXI.

Perfugis communio tantum in exitu concedatur. *Tolet. VIII. cap. 1.*

CAPUT XXXII.

Si quis Episcoporum magnatis cujusquam uxorem, filiam, neprem, seu quolibet illum gradu adhibito pertingentem, quacumque fraude, vel subtilitate adulterina pollutione foedaverit, & honoris proprii gradum amittit, & sub exilio relegatione perpetuam excommunicationis sententiam perferat, qui tamen circa finem vitae communionis remedio adjuvandus est. *Tolet. XI. cap. 5.*

Dist. 50. cap. 10. Accedens.

Dist. 50. c. 63.

46. q. 6. c. 7.

* reconciliatori.

26. q. 6. c. 8.

26. q. 6. c. 8. in fin.

* beatam benedictionem.

CAPUT XXXIII.

13. 7. 2. c. 30.
 His, a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare non licet, &c. si quisquam horum immemor præceptorum, aut in ecclesiæ suæ familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, & concessi ordinis honore privetur, & loco, sub perpetuo quoque damnationis teneatur religatus ergastulo. Cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est propter Domini misericordiam, *Qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur, & vivat. Tolet. XI. cap. 6. Raban. cap. 30. de penit. Burch. lib. 1. cap. 201. Ivo part. 5. cap. 315. decr. Casar. lib. 5. cap. 62. Tarrac. lib. 4. c. 69.*

CAPUT XXXIV.

Qui hujus nefariæ actionis patratores existierint, quique in his turpitudinibus sese implicari permiserint, & contra naturam masculi in masculos hanc turpitudinem operati fuerint, &c. nisi eos digna satisfactio pœnitentiæ accipere corpus & sanguinem Christi in fine permiserit, nec in exitus sui die secundum canonum instituta communionis perceptione se noverint relevari. *Tolet. XVI. cap. 3.*

CAPUT XXXV.

Mulieri, quæ votum castitatis violavit, & ea de causa agit pœnitentiam, non negetur viaticum, cum ei mors impendet. *Synod. Forojul. c. 11.*

CAPUT XXXVI.

Presbyter, qui præest ecclesiæ, si finem alicujus urgentem perspexerit, commendet animam christianam Domino Deo suo more sacerdotali, cum acceptione sacræ communionis, corpusque sepulturæ, non ut mos est gentilium, sed sicut christianorum. *Aquisgr. II. sub Ludov. part. 3. cap. 5.*

CAPUT XXXVII.

26. 7. 7. c. 1.
 Ab infirmis in mortis periculo positis per presbyteros pura est inquirenda confessio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, &c. & ideo secundum canonicam auctoritatem ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus, & consolationibus ecclesiasticis sacra cum unctione Dei animati secundum statuta sanctorum patrû communionem viatici resciantur. *Magunt. sub Rabano cap. 26. Burch. lib. 18. cap. 14. Ivo part. 15. cap. 36. decr. Casar. lib. 15. cap. 25. Pœnit. Rom. tit. 9. cap. 7.*

CAPUT XXXVIII.

Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & digne pœnitentibus communicatio in fine secundum canonicum jussu danda est, cur non etiam eis, qui pro suis peccatis pœnam extremam persolvunt. *Magunt. sub Rabano. cap. 27. Vormac. cap. 79. al. 80.*

CAPUT XXXIX.

Parricidis pœnitentibus viaticum non negetur. *Vormac. cap. 30.*

CAPUT XL.

13. 9. 2. c. 31.
 Si fur, vel latro vulneratus elabatur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis, habitu corporis, & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque & sacerdoti, comite vita, emendationem morum, & actuum confitetur, communionis gratiam non

negamus tribuendam. *Tribariens. c. 31. Burch. lib. 11. cap. 59. & 75. Ivo part. 13. cap. 45. & part. 14. cap. 123. decr. vide post concil. Later. Alexand. III. part. 34. cap. 3.*

CAPUT XLI.

Qui Episcopum dolo occidit, communionem sanctam accipere non potest, in exitu autem vitæ pro misericordia ei viaticum detur. *Lemovic. actio. 2.*

CAPUT XLII.

Cum est interdictum, infirmis remedio pœnitentiæ, & communionis subveniatur. *Pictav. cap. 1.*

CAPUT XLIII.

Ne viaticum negetur homicidæ pœnitenti, si ante pœnitentiæ terminum e vivis excedat. *Greg. Nyssenus ad Latolium, cap. 5.*

CAPUT XLIV.

Si quis de corpore exiens novissimum & necessarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur, &c. Qui ergo in exitu mortis sunt, & desiderant accipere sacramentum, cum consideratione, & probatione Episcopi accipere debent. *Mart. Brachar. cap. 83. Nicæn. cap. 13.*

CAPUT XLV.

Syricus constituit, ut Manichæi non participarent cum fidelibus communionem, quia ore polluto non liceret sanctum corpus Domini convexari, & ut conversus de Manichæis non communicaret usque ad ultimum diem, quo viaticum acciperet. *Ex Pontif.*

TITULUS XII.

QUIBUS DE CAUSIS PROHBEANTUR CLERICI, AUT LAICI A PERCEPTIONE EUCHARISTIÆ.

CAPUT I.

PRæsenti decreto statuimus, ut nisi a paucioribus, & inferioribus aliquid rationabile fuerit offensum, appellatione remota, semper praevalere, suum consequatur effectum, quod a majoris, vel sanctoris parte capituli fuerit constitutum, &c. Si quis hujusmodi consuetudines, quæ non ratione juvantur, nec sacris congruant institutis, jurare præsumserit, donec congruantegerit pœnitentiam, a perceptione Domini corporis fiat alienus. *Alex. III. in concil. gen. Later. cap. 16.*

De his, quæ sunt a maj. part. capit. cap. 1. Greg. IX. & in 1. coll.

CAPUT II.

Usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam, sed nec eorum oblationem quisquam accipiat, &c. *Alex. III. in concil. Later. cap. 25.*

De usur. c. 3. Greg. IX. & c. 4. eod. tit. 1. in 1. coll.

CAPUT III.

Ne ad communionem recipiantur ecclesiæ (loquitur de iis, qui quibusdam hæreticis favent) nisi societate illa pestifera, & hæresi abiuratis, &c. Illos autem, qui admonitioni Episcoporum in hujusmodi parere contempserint, a perceptione corporis & sanguinis Domini jubemus fieri alienos. *Alexand. III. in concil. Later. cap. 27.*

De her. c. 7. in 1. coll.

CAPUT IV.

Peregrini Episcopi, presbyteri, diaconi etiam cum

cum commendatitiis non admittantur ad communionem, nisi in religione probati sint. *Apost. 32. G. 34. L.*

CAPUT V.

33. 7. 10. c. 12. Quosdam christianos ad apostasiam transeuntes, & idolorum cultu, ac sacrificiorum contaminatione profanatos a Christi corpore, & sanguine, quo dudum redempti fuerunt, renascendo, jubemus abscindi, &c. *Syric. epist. 1. cap. 3.*

CAPUT VI.

33. 7. 2. c. 12. De his non incongrue dilectio tua Apostolicam sedem creditur consulendam, qui acta pœnitentia tanquam canes, ac fues ad vomitus pristinos, & volutabra redeuntes, & militia cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, sibi inhibitos denuo appetivere concubitus. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacris mysteriorum celebritatibus, quamvis non mereantur, intersint, a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, &c. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. *Syric. epist. 1. cap. 5. Burch. lib. 19. cap. 57. Ivo part. 15. cap. 71. decret. Anselm. lib. 11. cap. 143. Caesar. lib. 15. cap. 9. Tarrac. lib. 6. cap. 28.*

CAPUT VII.

Non tamen pro hac re sacri corporis, ac sanguinis Domini communionem privandi sunt, conjuncti ante baptismum cum uxore patris, vel fratris: si post baptismum id perpetraverunt, corporis, & sanguinis Domini communionem privandi sunt. *Greg. ad Aug. interr. 7.*

CAPUT VIII.

Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam esse illi communionem. *Eliber. cap. 6. Hac eadem pœna imponitur in multis capitibus hujus concilii Eliberit.*

CAPUT IX.

Clericus, vel laicus non communicet in aliena plebe sine litteris Episcopi sui, &c. ita nemo subtilis fugiens alterius communionem, ad alterum latenter accedet. *Carthag. I. cap. 7. L. vide Agathens. cap. 52.*

CAPUT X.

Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet, ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno a communionem sanguinis, & corporis Domini segregatus, reatum suum elemosynis, fletibus, & quantis potuerit jejuniis absolvat. *Ilerd. c. 7. refert. Trosl. c. 11. Raban. c. 20. de pœnit. Burch. lib. 12. c. 17. Ivo part. 12. cap. 74. decret.*

CAPUT XI.

Dist. 81. c. 14. Si Diaconus, vel presbyter pro reatu suo se ab altaris communionem sub pœnitentis professione submoverit, sic quoque si alii defuerint, & causa certa necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare. *Aurel. c. 14. vel 12. Ivo part. 6. c. 368. U part. 15. c. 18. decret. Tarrac. lib. 6. c. 4.*

CAPUT XII.

Ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, usque quo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari, &c. Si quis hujus decreti temerator existit, ac vetitum violare præsumperit, tanto graviore sententia mulcendum, &c. tantoque annosioris excommunicationis tempore a Christi corpore, & fraternitatis consortio sequestretur, quanto fuerit propinquioris sanguinis contagione pollutus. *Tolet. II. c. 5.*

CAPUT XIII.

Quicumque res ecclesiis delegatas injuste possidens præsumperit retinere, &c. ab omnibus ecclesiis segregatus, a sancta communionem habeatur extraneus, &c. Indigne enim ad altare Domini propinquare permittitur, qui res ecclesiasticas audet rapere, & injuste possidere. *Turon. II. c. 26. Paris. c. 1.*

CAPUT XIV.

Sunt qui in festivitate cathedræ Petri Apostolici cibos* mortuis afferunt, & post missas redeuntes ad domos proprias, ad gentiliū revertuntur errores, & post corpus Domini sacratas Dæmoni escas accipiunt, &c. Episcopi ab ecclesia sancta repellant, nec participare sancto altario permittant, qui gentiliū observationes custodiunt, quid enim Dæmonibus cum Christo commune, cum magis fumendo cibum delicta videatur addere, quam purgare. *Tur. II. c. 23.*

CAPUT XV.

A paschali gaudio depellatur, nec in eo sacramentum corporis, & sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis ejus per abstinentiam non honoravit. *Tolet. IV. c. 7.*

CAPUT XVI.

Clericus qui *alleluja* in quadragesima, vel Kalen. Januar. decantat, ordinis officio, & communionem paschæ privetur. *Tolet. IV. c. 10. vide Turon. II. c. 23.*

CAPUT XVII.

Quicumque deinceps propter accipiendam sacerdotis dignitatem quodlibet præmium fuerit detestus obtulisse, ex eodem tempore se noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque a participatione Christi corporis, & sanguinis alienum, ex quo illud constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. *Tolet. VIII. c. 3.*

CAPUT XVIII.

Qui diebus quadragesimæ esum carniū præsumperit attentare, non solum reus erit resurrectionis dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communionem, & ipsius anni tempore ab omni esu carniū absteat. *Tolet. VIII. cap. 9.*

CAPUT XIX.

Discordantium fratrum oblationes, juxta antiqui canonis definitionem, nullo modo recipiendas esse censuimus, &c. Et ut antequam eos reconciliatio vera innectat, nullus eorum accedere ad altare Domini audeat, vel gratiam communionem sanctæ percipiat, sed geminato tempore per pœnitentiam compensabunt, quod discordiæ fervierunt. *Tolet. XI. c. 4.*

CAPUT XX.

Qui hujus nefariæ actionis patratores exstiterint, quique in his turpitudinibus sese implicari permiserint, & contra naturam masculi in masculos hanc turpitudinem operati fuerint, &c. nisi eos digna satisfactio pœnitentiæ accipere corpus, & sanguinem Christi in fine permiserit, nec in exitus sui die secundum canonum instituta communionis perceptione se noverint relevari. *Tolet. XVI. c. 3.*

CAPUT XXI.

Sancti Dei, qui ante nos ecclesiam rexerunt, eos, qui voluntarium homicidium fecerint, pœnitentiam, quandiu viverent, facere statuerunt, & ut nunquam acciperent sanctam communionem, nisi in fine pro viatico, decreverunt. *Trutlen. in epist. ad Rother. & alios post med.*

CAPUT XXII.

Imaginum destructor sit extorris a corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi, vel totius ecclesiæ unitate, atque compage. *Greg. III. in Syn. 93. Episc. ex Pontif. post princ.*

Vide plura in libris de pœnis peccatorum in III. Parte.

TITULUS XIII.
DE COMMUNIONE LAICA.

CAPUT I.

De conf. d. 4. cap. Eos quos. 118.

Quos Episcopos, presbyteros, vel diaconos fuisse constiterit, (*loquitur de his, qui fuerunt rebaptizati*) & seu optantes forsan, seu coactos lavacri illius unici, salutarisque claruerit fuisse jaeturam, &c. usque ad exitus sui diem in pœnitentia, si respiscunt, jacere conveniet, nec orationi non modo fidelium, sed nec catechumenorum omnimodis interesse, quibus communio laica tantum in morte reddenda est. *Felix III. in Synod. Rom. cap. 2. Burch. lib. 4. cap. 99. Ivo part. 1. c. 293. decret.*

CAPUT II.

Sane si (*Photius*) viva voce, & proprio scripto nobis, in omnibus, quæ tam per nos, quam per decessorem meum statuta sunt, obedire spoponderit, & prædicti prophani conciliabuli pœnitentia motus gesta damnaverit, laicæ communionis ei gratiam non negamus. *Hadrian. II. in synod. Rom. cap. 2. apud synod. VIII. sub eodem Hadrian. act. 8.*

CAPUT III.

Si presbyter, diaconus, clericus relinquat sine licentia sui Episcopi suam parœciam, in alia non ministret. Si ab Episcopo revocetur & contempserit, ut laicus communicet. *Apost. c. 15.*

CAPUT IV.

Dist. 24. c. 5.

Quisquis sane clericus, aut viduam, aut certe secundam conjugem duxerit, omni ecclesiastica dignitatis privilegio mox nudetur, laica sibi tantum communionem concessa, quam ita demum poterit possidere si nihil postea, propter quod hanc perdat, admittat. *Syric. epist. 1. cap. 11. Ivo part. 6. cap. 51. decret. Anselm. lib. 8. cap. 5. Tarrac. lib. 3. c. 28.*

CAPUT V.

1. 7. 4. c. 9. Homini, S. Cum ergo.

Nostræ lex ecclesiæ est, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus

impositionem, laicam tantum tribuere communionem. *Innoc. epist. 22. c. 4.*

CAPUT VI.

Non bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa utilitatis, aut necessitatis fieri posse, (*loquitur de mutationibus Episcoporum*) quoties communis utilitas, aut necessitas persuaserit. Nullum enim ex his, aut ex aliis, qui meliori consilio mutaverunt civitates necessitate quadam, vel utilitate ecclesiastica, aut laica communionem carere reperimus, nec ullatenus unquam fieri debet. *Pelag. II. epist. 2. post princ.*

CAPUT VII.

De quodam presbytero deposito, & de subdiaconis quibusdam item depositis, quibus conceditur facultas communicandi inter laicos. *Greg. lib. 4. epist. 5. & ep. 16.*

CAPUT VIII.

Quicumque sane tacuerunt, & susceperunt manus impositionem, professi continentiam (*loquitur de Diaconis*) si postea ad nuptias venerint, a ministerio, vel clero cessare debebunt, laicam tantum recipientes communionem. *Ancyran. c. 10. in secunda editione.*

CAPUT IX.

Si quis diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit, eum, acta legitima pœnitentia post triennium accipere communionem. Quod si alius detexerit, post quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere. *Eliber. cap. 76.*

CAPUT X.

Si Episcopus, presbyter, diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam fallaverit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus, in monasterium retrudatur, & ibi quamdiu vixerit, laicam tantum communionem accipiat. *Agathen. c. 50.*

Dist. 50. c. 7.

CAPUT XI.

Nullus clericorum a subdiacono, & supra propriæ uxori miscatur. Quod si fecerit, laica communionem contentus, juxta priorum canonum statuta, ab officio deponatur, quem si ira viventem Episcopus ad officium admiserit, Episcopus sit tribus mensibus a suo officio sequestratus. *Aurelian. III. c. 2.*

CAPUT XII.

Si quis (*clericus*) superbia elatus officium suum implere noluerit, laica communionem contentus, ab ordine depositus habeatur. *Aurel. III. c. 19.*

CAPUT XIII.

Ebbo Archiepiscopus pro reatibus, & criminibus confessis in synodo dejectus fuit, & a Sergio Papa confirmante dejectionem illius damnatus extitit, ut in laica tantum modo communionem permaneret, &c. sedes Apostolica per Sergium Papam dictum Ebbonem damnavit Episcopum, adeo ut inter laicos communionem tantum habere mereretur. *Synod. apud S. Medard. in accusatione Hinemari, post med.*

CAPUT XIV.

Qui peccatum ad mortem peccant clerici, a gra-

gradu quidem deponuntur, a laicorum autem communione non arcentur. *Basil. ad Amphiloeh. cap. 32.*

TITULUS XIV.
DE PEREGRINA COMMUNIONE.
CAPUT I.

Dist. 50. c. 21. **C**ontumaces clerici ab Episcopis corrigantur, & si qui prioris gradus elati superbia, communionem fortasse contempserint, aut ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur. *Agathen. c. 2. Ivo part. 6. c. 366. decret. Capitul. lib. 7. c. 311. & in addit. c. 280.*

CAPUT II.
13. q. 2. c. 11. Clerici. Si quis clericus furtum ecclesie fecerit, peregrina ei communio tribuatur. *Agathen. cap. 5. Raban. c. 18. de poenit.*

CAPUT III.
Quod in quibusdam schismaticis, magis quam hæreticis recipiendis Nicænum concilium statuit, a singulis per territoria sua, hoc etiam præfens conventus in hoc statuit ab omnibus servari debere (*loquitur synodus de quodam, qui fuerat ordinatus Episcopus a duobus tantum, & sine auctoritate Metropolitanis* id est, ut cuicumque de fratribus tale aliquid charitatis concilia dictaverint, liceat ei in unam parochiarum suarum ecclesiam concedere *, in qua, aut Chorepiscopi nomine, ut idem canon loquitur, aut peregrina, ut ajuat, communione foveatur. *Rhegien. c. 3. vide Nicæn. cap. 8.*

CAPUT IV.
1. q. 2. c. 38. Clericus, qui sede Episcopi sui vacante quidpiam abstulit, reus sacrilegii prolixiori anathemate condemnatur, & vix quoque peregrina ei communio concedatur. *Ilerd. cap. 16.*

TITULUS XV.
DE IIS, QUI ACCEPTAM EUCHARISTIAM NON CONSUMUNT.
CAPUT I.

Si quis acceptam a sacerdote Eucharistiam, non sumperit, velut sacrilegus propellatur. *Tolet. I. cap. 14.*

CAPUT II.
Eucharistiae gratiam si quis probetur acceptam non consumpsisse in ecclesia, anathema sit in perpetuum. *Cæsar. cap. 3.*

CAPUT III.
In canone Toletani concilii primi præceptum est, ut si quis acceptam a sacerdote Eucharistiam non sumperit, velut sacrilegus propellatur, nec adjecta est ibi discretio voluntatum, cum & infidelis infideliter accipiat, & fidelis, fideliter accipiat, quod naturalis illum necessitas, deglutire non sinat, &c. Quod in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacrae communionis experientes viaticum, collatam sibi a sacerdote Eucharistiam rejecerunt, non quod infidelitate hæc agerent, sed quod præter dominici calicis haustum, traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire, &c. Quicumque ergo fidelis inevitabili qualibet infirmitate coactus, Eucharistiam perceptam rejecerit, in nullo ecclesiasticæ damnationi subjaceat: Nec qui talia, aut

tempore infantiae faciunt, aut in qualibet mentis alienatione positi, qui quod fecerint, ignorare videntur, jam vero quicumque aut de fidelium, vel infidelium numero corpus Domini absque inevitabili, ut dictum est infirmitate proecerit, si fidelis est perpetua communione privetur, si infidelis est, & verberibus subdatur, & perpetuo exilio relegatur. Quod si horum quilibet hujusmodi excessus digna poenitentiae satisfactione desieverit, post quinquennium licebit illum communioni pristinae reformari. *Tolet. XI. cap. 11.*

TITULUS XVI.
COMMUNIA DE EUCHARISTIA.
CAPUT I.

NE aliquis communicet de altari, nisi corpus separatim, & sanguinem similiter, nisi per necessitatem, aut per cautelam. *Urban. II. in concil. Claromont. cap. 28.*

CAPUT II.
Eos, qui religiositatis speciem simulantes, dominici corporis, & sanguinis sacramentum, baptismi puerorum, sacerdotium, & ceteros ecclesiasticos ordines, & legitimarum damnant scelerum nuptiarum, tamquam hæreticos ab ecclesia Dei pellimus, & damnamus, & per potestates exteras coerceri præcipimus. Defensores quoque ipsorum ejusdem damnationis vinculo innodamus. *Innoc. III. in synod. Rom. cap. 17.*

CAPUT III.
Quod asseritis, Græcos vos prohibere communionem suscipere sine cingulis, quibus sacrae scripturae testimoniis hoc prohibere jure probentur, nos penitus ignoramus, nisi forte illo, quo Dominus præcepit, dicens: *Sint lumbi vestri præcincti.* Verum hoc sancti Evangelii testimonium non per litteram, sed per spiritum oportet impleri. *Nicol. ad consult. Bulg. cap. 55.*

CAPUT IV.
Episcopus ab eo, qui non communicat, munera non accipiet. *Elib. cap. 28.*

CAPUT V.
Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. *Carth. III. cap. 6.*

CAPUT VI.
Admissionem Eucharistiae simul consecrandam censuimus. *Araus. cap. 17.*

CAPUT VII.
Ut corpus Domini in altari, non in armario * sed sub crucis titulo componatur. *Turon. II. cap. 3.* ** in imaginario.*

CAPUT VIII.
Cyprianus dicit: „Itaque in oratione dominica panem nostrum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus, & vivimus, a sanctificatione, & corpore ejus non recedamus“. Hilarius: „Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quid enim tam vult Deus, quam ut quotidie Christus habitet in nobis qui est panis vitae, & panis e caelo? & quia quotidiana oratio est, quotidie quoque, ut detur, oratur“. *Tolet. IV. cap. 9.* *In ferm. de oratione dominica. In Enchir. ad Laur. ult. med.*

CAPUT IX.

Dist. 43. c. 5. De Judæis præcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri, &c. Qui autem jam pridem ad christianitatem venire coacti sunt, &c. quia jam constat, eos sacramentis divinis sociatos, & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate unctos esse, & corporis Domini, & sanguinis extitisse participes, oportet, ut fidem etiam, quam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur. *Tolet. IV. cap. 56. Burch. lib. 4. cap. 82. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 65. panorm. & part. 1. cap. 276. & part. 13. cap. 94. decret.*

CAPUT X.

Olympius, quod non potuit per manum armatam, facere surreptitio modo per missarum solemniam nifus est. Implere in ecclesia enim Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ ad prælepe, dum ei communionem porrigeret, sanctissimus Papa, voluit interimere eum, ut demandaverat suo spatario: sed Deus omnipotens excæcavit spatarium Olympii Exarchi, & non est permittus videre Pontificem, quando Exarcho communionem porrexit, vel pacem * dedit, ne sanguis ejus effunderetur. *Pontif. in Martin. ante fin.*

* panem.

LIBER DECIMUSTERTIUS.

Pars posterior de Sacrificio Missæ.

TITULUS I.

DE MINISTRIS, QUI OFFERUNT SACRIFICIUM, ET DE HIS, QUI NON POSSUNT OFFERRE.

Vide Partis I. Lib. VI. Tit. IV. & Partis II. Lib. XII. Tit. III.

CAPUT I.

HOC facite in meam commemorationem. Christus Apostolis post consecrationem panis, & vini. *Lucæ cap. 22. num. 19.*

CAPUT II.

Hoc facite in meam commemorationem, &c. Hoc facite, quotiescumque biberis, in meam commemorationem. Christus ex Paulo 1. Corinth. 11. num. 24.

CAPUT III.

De summ. Trinit. c. 1. Greg. IX. Una est fidelium universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse sacerdos, & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus, & sanguis in sacramento altaris, sub speciebus panis, & vini veraciter continentur, &c. Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos fuerit rite ordinatus secundum claves ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, & eorum successoribus Jesus Christus. *Innoc. III. in concil. gener. cap. 1.*

CAPUT IV.

16. q. 1. c. Cunctis, 41. Non utique missas sine (Episcopi) jussu quam presbyter in sua parochia agat. *Clem. ep. 3. post med. Tribur. cap. 32. Burch. lib. 2. cap. 93. Ivo part. 2. cap. 123. & part. 6. c. 90. decret. Cæsar. lib. 4. cap. 97.*

CAPUT V.

Ministerio presbyterorum contenti sint (Chorepiscopi) atque mensa Domini tantummodo participes existant, &c. Non licet Chorepiscopis publice in missa quemquam poenitentem reconciliare, &c. nec Episcopo præsentem, nisi illo jubente, sacramentum corporis, & sanguinis Christi conficere, &c. *Damas. epist. 4. in med. Leo 86. in fin.*

CAPUT VI.

1. q. 1. cap. 101. Constat. Multos constat vim passos, atque invitos attractos, repugnantisque ab eodem (loquitur de Tom. VI)

ordinatis a Bonoso heretico) ordinatos. Dicat mihi, volo, quisquis hoc credit; si non post ordinationem Bonosi interfuit, cum conficeret sacramenta; si communioni ejus participatus non est; si statim discedens de ejus pessimo conciliabulo ad ecclesiam rediit, iste talis potest habere colorem aliquem excusationis? &c. Nunc illud, quod superest, interrogo, qui post mensam, aut eo amplius rediit, cum se presbyterum a Bonoso confideret ordinatum, si non sacramenta confecit, si non populis tribuit, si non missas secundum consuetudinem complevit, quid de his censeatis, quæso promatis apertius? &c. Qui nihil a Bonoso acceperunt, rei sunt usurpatæ dignitatis, qui conficiendorum sacramentorum sibi vindicaverunt auctoritatem, &c. *Innoc. epist. 23. cap. 5.*

CAPUT VII.

Presbyteri regionis, in templo urbis non possunt offerre, præsentem Episcopo, vel presbyteris urbis, neque panem dare in oratione, neque calicem. Si absint, & ad orationem tantum vocentur, dabunt. *Neocæs. cap. 13. Mart. Brac. cap. 56. Burch. lib. 5. cap. 44. & 45. Ivo part. 2. c. 53. & 54. decret. Anselm. lib. 7. cap. 188.*

CAPUT VIII.

De diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere. *Arelat. I. cap. 15.*

CAPUT IX.

Si quis judicat a presbytero cognugato, ut qui non potest offerre, non posse sumi oblationem, anathema sit. *Gangr. c. 4. Burch. lib. 3. c. 75. Ivo part. 2. c. 128. decret.*

CAPUT X.

Non oportet ministros panem dare, neque calicem benedicere. *Laod. c. 25.*

CAPUT XI.

Ministrare diaconus, aut consecrare altare presbyter non præsumat. *Agathen. c. 43.*

CAPUT XII.

Nec publice quidem in missa quemquam poenitentem reconciliare, &c. nec præsentem Episcopo sacramentum corporis, & sanguinis Christi conficere, nec eo præsentem populum docere, vel

benedicere, aut salutare, &c. presbyteris licet, sed Episcopo. *Hispal. II. c. 7.*

TITULUS II.

QUEM ORDINEM SERVARE DEBEANT SACERDOTES IN MISSÆ CELEBRATIONE.

Vide in Part. I. Lib. XIII. Tit. XIV. quibus adde:

CAPUT I.

CUM una sit fides, cur sint ecclesiarum tam diversæ consuetudines? Et altera consuetudo missarum est in Romana ecclesia, atque altera in Galliarum tenetur? Respondeo sive in Romana, sive in Gallicanorum, sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotentis Deo possit placere, sollicite eligas, & in Anglorum ecclesia infundas, &c. *Greg. ad August. interrog. 3. Ivo part. 2. cap. 80. decret. Tarrac. lib. 6. c. 152.*

CAPUT II.

Episcopi ecclesias suas, & dioceses visitantes primum discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi teneant, vel missarum; & qualiter quæcumque officia in ecclesia peragant, & docere debent ignaros. *Brach. II. cap. 1. Burch. lib. 1. c. 85. Ivo part. 1. c. 75. O part. 5. c. 191. decret.*

CAPUT III.

Presbyter in parochia habitans, Episcopo in quadragesima rationem, & ordinem ministerii sui, sive de baptismo, seu de fide catholica, sive de precibus, & ordine missarum reddat, & ostendat. *Franc. syn. Capit. lib. 5. c. 2.*

TITULUS III.

MISSÆ SACRIFICIUM CELEBRATUR A JEJUNIS.

CAPUT I.

Tunc recte non licet cuilibet communionem Christi percipere, quando gulæ deditus non invenitur jejunus, adeo ut mysticam mensam parvipendens, prius, cibi laici sumptu, jejunium solvissse videatur; Christique venerandum corpus, ac pretiosum sanguinem a cæteris non discernens alimentis, non præposuisse omni humanæ refectio, sed postposuisse noscatur. Remedium quippe salutiferum est corpus Christi contra peccatum, & qui hoc ante omnem escam veneranter non sumit? Et certe quotidie medicos vacuis visceribus sua cernimus pocula propinare. Et si hoc pro sanitate corporis agitur, quanto potius est pro animæ salute patrandum? *Nicol. ad consult. Bulg. c. 65.*

CAPUT II.

Sacramenta altaris, nisi a jejunis hominibus non celebrentur, excepto uno die anniversario in quo dominica cœna celebratur. Si vero depositio aliquorum, vespertino tempore, (pomeridiano) defunctorum Episcoporum, vel aliorum celebratur solis orationibus fiat, si qui faciunt, pransi sunt. *Carth. c. 41. G. Afr. c. 8. Carth. III. cap. 29. L. vide Laod. c. 50. Anselm. lib. 9. c. 3. Casar. lib. 13. cap. 4.*

CAPUT III.

De sacrificiis inhibendis post prandium, ut a jejunis, sicut dignum est, offerantur, confirma-

tum est. *Carth. c. 48. G. Carth. III. cap. 48. L.*

CAPUT IV.

Nullus presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, sacrificia conrectare, aut missas privatis, festisque diebus concelebrare præsumat; injustum est enim, ut spirituali alimento corporale præponatur. Sed si quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat honoris. Jam enim de tali causa, & in conciliis Africanis definitum est, quam definitionem nostro quoque dignam duximus sociare decreto: „ Ut [sacramenta altaris „ non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto „ uno die anniversario, quo cœna Domini cele- „ bratur. Quæcumque reliquæ sacrificiorum post „ peractam missam in sacrario superlederint, „ quarta, vel sexta feria innocentes ab illo, cu- „ jus interest, ad ecclesiam adducantur, & indi- „ cto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vi- „ no percipiant “. *Matisc. II. cap. 6. Casar. lib. 8. cap. 4.*

De conf. d. 2. cap. 48. Ipsa exceptio obsoleta jam est.

CAPUT V.

Quia per stultitiam præsumpti nuper erroris, aut certe ex veteris Priscillianæ adhuc hæresis scetore corrupto cognovimus quosdam presbyteros in hujus præsumptionis audacia retineri, ut missas mortuorum etiam post acceptum merum, vel oblationem ausi sint consecrare, &c. Si quis presbyter non jejunus, sed quocumque cibo præsumpto, oblationem consecraverit in altari, continuo ab officio suo privatus, a proprio deponatur Episcopo. *Brac. II. c. 10. vide Brac. I. c. 16.*

CAPUT VI.

Non licet presbytero, aut diacono, aut subdiacono post acceptum cibum, vel poculum missas tractare, aut in ecclesia, dum missæ dicuntur, stare. *Antif. c. 19.*

CAPUT VII.

Nullus post cibum, potumque quamlibet minimum sumptum, missas facere præsumat. *Tolet. VII. cap. 2. Burch. lib. 3. c. 70. Ivo part. 2. cap. 124. decret.*

7. q. 1. cap. Nihil.

CAPUT VIII.

Carthaginensi canone sacra altaris, nisi a jejunis, celebrare vetantur, excepta una annua die, in qua cœna dominica celebratur, ob aliquas causas illis locis, & temporibus competentes. Sed nos Apostolicas, & patrum traditiones secuti, non oportere arbitramur, in quadragesima, ultima hebdomada quintam feriam solvere, & totam quadragesimam inhonorare. *Trull. c. 29. vide Laod. c. 50. Apost. c. 66. al. 68.*

TITULUS IV.

DE PRECIBUS, ET CÆREMONIIS, QUAS IN MISSÆ SACRIFICIO VARIÆ SYNODI, ET PONTIFICES MAXIMISERVARIJUSSERUNT.

CAPUT I.

Nullus laicus, monachus, clericus ante diligentem examinationem, & synodicam sententiam a communionem se separet proprii Patriarchæ, licet criminalem quamlibet causam ejus se nosse prætendat, sed neque recuset nomen ipsius referre inter divina mysteria, vel officia. *Syn. VIII. sub Hadr. II. c. 10.*

CA-

De conf. d. 2. c. 48.

CAPUT II.

De conf. d. 1. c. 70. Saerum ordinem Romanum, sacraque constituta nostrorum antecessorum solerter relegentes, invenimus has novem præfationes, in sacro catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retro veritas in Romana ecclesia hætenus servavit, unam in albis paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de natali Domini, quintam de apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de sancta Trinitate, octavam de Cruce, nonam de jejunio, & quadragesima tantummodo dicendam, has præfationes tenet, & custodit sancta Romana ecclesia, has tenendas vobis mandamus. *Pelag. II. epist. ult. in synod. Rom. Burch. lib. 3. c. 69. Ivo lib. 1. tit. 4. c. 35. panorm. 2. part. 2. cap. 77. decret. Anselm. lib. 7. c. 111. Tarrac. lib. 3. c. 11.*

CAPUT III.

d. 92. c. 8. Præsenti decreto constituo, ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque lectionis evangelicæ officium inter missarum solemniam exsolvant. *Greg. in synod. Rom. c. 1. lib. regist. c. 88. vel epist. 44. Anselm. lib. 7. c. 65. Tarrac. lib. 4. ep. 22. Ivo part. 2. c. 79.*

CAPUT IV.

De conf. d. 1. Nullus. c. 56. Ut nullus Episcopus, presbyter, aut diaconus ad celebrandum missarum solemniam præsumat cum baculo introire, aut velato capite altari Dei assistere quoniam & Apostolus prohibet viros velato capite orare in ecclesia, & si temere præsumperit, communionem privetur. *Syn. Rom. sub Zach. c. 13. Burch. lib. 3. c. 231. Ivo part. 3. c. 272. decret. Casar. lib. 4. c. 48.*

CAPUT V.

De conf. d. 1. Nullus. c. 56. Ut Episcopus, aut presbyter, dum ingressus fuerit ad missarum solemniam celebranda nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Episcopo, aut presbytero suppleantur missarum solemniam, sed qui initium ponit, suppleat usque ad finem, quia scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* *Synod. Rom. sub Zachar. c. 14. Burch. lib. 3. cap. 230. Ivo part. 3. c. 271. decret.*

CAPUT VI.

Ab Episcopis angelicus hymnus pro tempore, & loco in missarum solemniam celebrandus est, atque solemniter recitandus. *Telesphor. ep. unic. ante med. Ivo part. 2. c. 71. decret. Casar. lib. 11. c. 9. Tarrac. lib. 4. c. 61.*

CAPUT VII.

De conf. d. 2. c. 9. Pacem asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter sacerdotes tradere, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda, per quam constet populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrantur. *Innoc. ep. 1. c. 1.*

CAPUT VIII.

De conf. d. 2. c. ult. De nominibus recitandis, antequam preces sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse per tuam prudentiam recognoscis, ut cujus hostiam nondum Deo

offerat, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus. *Innoc. epist. 1. c. 2.*

CAPUT IX.

De nominibus Dioscori, Juvenalis, & Eustathii (*Episcoporum*) ad sacrum altare non recitandis, &c. Nam iniquum nimis, atque incongruum, eos, qui innocentes, & catholicos sua persecutione vexarunt, sanctorum nominibus sine discretionem misceri. *Leo epist. 38. ad Anatolium Episc. CP. c. 3.*

CAPUT X.

Ordinem precum in celebritate missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere diversum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quotiens vero paschalis, aut ascensionis Domini, vel pentecostes, & epiphaniæ, sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctam solemnitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus, cetera vero ordine consueto prosequimur. Qua propter & ipsius canonicæ precis textum direximus subter adjectum, quem Deo propitio ex Apostolica traditione suscepimus. Et ut charitas tua cognoscat, quibus locis aliqua festivitatibus apta connectas, paschalis diei preces similiter adjecimus. *Vigil. epist. 1. c. 5.*

CAPUT XI.

In missarum solemniam illud observandum est, quod dominus noster Jesus Christus sanctis suis tribuit discipulis. Accepit namque calicem, & dedit * eis dicens: *Hic est calix novi testamenti in meo sanguine, hoc facite quotienscumque sumitis.* Unde congruum non est, duos vel tres calices in altario ponere, cum missarum solemniam celebrantur. *Greg. III. epist. 4. ad Bonif. in med.*

CAPUT XII.

In sacri canonis prædicatione, quot in locis cruces fieri debeant, in rotulo inscribimus. *Zach. epist. 5. in fin. ad Bonif.*

CAPUT XIII.

Latinæ dictione linguæ Constantinopolitana ecclesia lectionem Apostolicam, & Evangelicam in stationibus fertur primitus recitare, sicque deum græco sermone, propter Græcos utique ipsas lectiones pronuciare. *Nicol. ad Michael. Imp. post princ.*

CAPUT XIV.

Quanta Dei cultorum Augustorum, qui ecclesiam Dei exaltaverunt, & præcipue Romanam Constantini videlicet, & Constantis, Theodosii quoque majoris, & Valentiniani, & cæterorum laus in universa ecclesia polleat, &c. & nomen eorum inter sacra mysteria imprætermisse commemoretur, attentius, & sedule recordamini. *Nicol. ad Michael. Imp. in fine.*

CAPUT XV.

Quia nobilitas tua postulavit, quo secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebra-

ri annueremus officium : Scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere. *Greg. VII. lib. 7. reg. ep. 11. ad Uratislaum Boemiorum ducem.*

CAPUT XVI.

Post homilias Episcoporum, catechumenorum oratio fiat, egressis eis pœnitentium oratio, his sub manum venientibus fidelium orationes tres fiant, prima sub silentio, cæteræ cum proclamatione, postea pax detur. Cumque presbyteri Episcopo pacem dederint, laici pacem dent, ita sacra oblatio celebretur. *Laod. cap. 19.*

CAPUT XVII.

Confirmatas in synodo preces, vel præfationes ab omnibus celebrari oportet, neque alias dici. *Carth. c. 106. G. Milev. 12. L. Afric. 70. L.*

CAPUT XVIII.

Nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet. Et cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructoribus fratribus contulerit. *Carth. III. cap. 23. Capitul. lib. 6. cap. 66.*

CAPUT XIX.

26. q. 6. Ministrare, c. 3. Benedictionem super plebem in ecclesia fundere, aut pœnitentem in ecclesia benedicere presbytero non licet. *Agath. cap. 44. Burch. lib. 2. cap. 90.*

CAPUT XX.

Quia tam in sede Apostolica, quam etiam per totas orientales, atque Italiae provincias, dulcis, & nimium salubris consuetudo intromissa est, ut *Kyrie eleison* frequentius cum grandi affectu, ac compunctione dicatur, placuit etiam nobis, ut in omnibus ecclesiis nostris ista consuetudo sancta & ad matutinum, & ad missas, & ad vesperam Deo propitiante intromittatur. *Vasens. II. cap. 3.*

CAPUT XXI.

Ut in omnibus missis, sive matutinis, sive quadragesimalibus, sive in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, semper *Sanctus, Sanctus, Sanctus* eo ordine, quo ad missas publicas, dici debeat, quia tam dulcis, & desiderabilis vox, etiam si die, noctuque possit dici, fastidium non poterit generare. Et hoc nobis justum visum est, ut nomen Domini Papæ, quicumque sedi Apostolicæ præfuerit, in nostris ecclesiis recitetur. *Vasens. II. cap. 4.*

CAPUT XXII.

Cantores supervenientes converterunt se dicere trisagium, & post lectionem sancti evangelii, ex more sacra missa finita, & januis clausis, ac sancta lectione juxta consuetudinem lecta, tempore diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circum circa altare, & audiebant. Et cum solæ lectæ fuissent a diacono appellationes prædictarum sanctarum quatuor synodorum, & sanctæ memoriæ Euphemii, & Macedonii, & Leonis, voce magna universi clamaverunt, *Gloria tibi Domine.* Et post hoc, cum omni modestia, completa fuit cum eo divina missa. *Synod. CP. sub Menna act. 1. in med. ex actis alterius synod. quæ ibi recitatur.*

CAPUT XXIII.

Non aliter Episcopi, & aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes: *Domine sit vobiscum*, sicut in libro Ruth, legitur. Et respondeatur a populo: *Et cum spiritu tuo*, sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet oriens, & non sicut Priscilliana hæresis permutavit. *Brac. I. cap. 21.*

CAPUT XXIV.

Per omnes ecclesias Hispaniæ, & Galliciæ secundum formam Orientalium ecclesiarum concilii Constantinopolitani, hoc est, CL. Episcoporum, symbolum fidei recitetur. Et priusquam dominica dicatur oratio, voce clara prædicetur, quo fides vera manifesta sit, & testimonium habeat, & ad Christi corpus, & sanguinem prælibandum, pectora populorum fide purificata accedant. *Tolet. III. cap. 2.*

CAPUT XXV.

Dum missa celebratur nullus presbyter, aut diaconus, absque aliqua infirmitate, dum missa perficitur egredi de altario audeat. Nec diaconus, aut subdiaconus, vel lector, antequam missa consumetur, alba se non præsumat exuere. *Narbon. cap. 12.*

CAPUT XXVI.

In quibusdam Hispaniarum ecclesiis laudes post Apostolum decantantur, priusquam evangelium prædicetur, dum canones præcipiant, post Apostolum non laudes, sed evangelium annuntiarum, &c. Laudes evangelium sequuntur, propter gloriam Christi, quæ per idem evangelium prædicatur. A sacerdotibus hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis pœnam suscepturis, qui hunc ordinem perturbaverint. *Tolet. IV. c. 11.*

CAPUT XXVII.

Componantur missæ, sive preces, vel orationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ex quibus si nulla decantetur in ecclesia, vacant officia omnia ecclesiastica, &c. *Tolet. IV. cap. 12.*

CAPUT XXVIII.

Sanctum concilium instituit, ut per omnes Hispaniæ ecclesias, vel Galliciæ in omnium missarum solemnitate, (*hymnus trium puerorum*) in publico decantetur, communionem amitturi, qui antiquam hujus hymni consuetudinem, nostramque definitionem excellerint. *Tolet. IV. c. 13.*

CAPUT XXIX.

Nonnulli sacerdotes post dictam orationem dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant, quod deinceps interdicimus, sed post orationem dominicam, benedictio in populum sequatur, & tunc corporis, & sanguinis Domini sacramentum sumatur, eo ordine, ut sacerdotes, & levitæ ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus. *Tolet. IV. cap. 17.*

CAPUT XXX.

De symbolo Nicæno in missarum solemnitatibus proferendo. *Tolet. VIII. cap. 1. Tolet. XII. in princ. Tolet. XIII. post princ.*

CAPUT XXXI.

Maxime angelici nobis spiritus adesse credendi

Ruth 2.

De cons. d. 1. c. De hymnis, 63.

di sunt, cum divinis specialiter mancipamur obsequiis, id est cum ecclesiam ingressi, vel lectionibus sacris aurem accommodamus, &c. vel etiam missarum solemnia celebramus. Unde ait propheta: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Nec dubitare licet, ubi corporis, & sanguinis domini geruntur mysteria, supernorum civium adesse conventus. Unde studendum solerter est, ut cum ad ecclesiam, vel ad divinæ laudis debita solvenda, vel ad agenda missarum solemnia intramus, semper Angelicæ præsentia memores, cum timore, & veneratione competenti, caeleste compleamus officium. *Beda in exposit. evang. Lucæ apud Aquisgr. cap. 132.*

CAPUT XXXII.

Ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis, presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, & convenienti, ut post missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die dominico, & in diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat. *Nannet. cap. 9. Burch. lib. 5. cap. 27. Ivo part. 2. cap. 37. decret. Anselm. lib. 7. cap. ult.*

CAPUT XXXIII.

Dist. 76. c. 7. Si quando jejuniū mensis Junii in ipsa hebdomada solemniter pentecostes celebrandum erit, tunc propter solemnitatem Spiritus sancti diacones dalmaticis induantur, & Alleluja cantetur, & *Flectamus genua*, non dicatur. *Salegunst. c. 2. Ivo lib. 2. tit. 14. cap. 8. panorm.*

CAPUT XXXIV.

Ullo ne ergo tempore, dum celebrarentur ab his sacra missarum a nominis ejus (loquitur de Symmacho Papa) commemoratione cessatum est? *Ennod. pro Symmach. post med.*

CAPUT XXXV.

Christianis character propriissimus est fides & confessio in unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, Trinitatem increatam, &c. Simul etiam confessio vera Filii Dei humanitate cum reliquis sacri symboli capitibus, quod populis Christi convenienter, & mystice in sacram anaphoram * Deo adducit. Deinde spiritualis in nomine trium Dei principalium hypostasium facta per divinum baptismum regeneratio, & vivificorum incruenti sacrificii symbolorum divinæ operationis transumptio, communioque, &c. *German. Episc. CP. ad Thomam Episc. Claudiopoleos post princ. in VIII. syn. act. 4.*

CAPUT XXXVI.

Alexander passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum, quando missæ celebrantur. Constituit aquam aspersionis cum sale benedicti in habitaculis hominum. *Damas. in Alex. Ivo part. 2. cap. 63. decret.*

CAPUT XXXVII.

Xystus constituit, ut missarum actionem sacerdote incipiente, populus hymnum decantaret, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, &c. *Damas. in Xysti.*

CAPUT XXXVIII.

Zephyrinus fecit constitutum de ecclesia, ut

patenas vitreas ministri ante sacerdotes portant, dum Episcopus missam celebraret, & ut sacerdotes omnes adstarent, dum sic missæ celebrarentur. *Damas. in Zephyr. refert Tribur. cap. 18.*

CAPUT XXXIX.

Cælestinus constituit, ut psalmi David CL. ante sacrificium psallerentur antiphonatum ex omnibus, quod antea non fiebat, sed tantum epistolæ B. Pauli recitabantur, & sanctum evangelium. *Ex Pontif. Additur in veteri libro:* Et sic Missæ fiebant, & constituit graduale, id est, responsum in gradus, post officium ad missas.

CAPUT XL.

Leo constituit, ut intra actionem sacrificii diceretur: *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, &c. *Ex Pontif. Ivo part. 2. cap. 63. decret.*

CAPUT XLI.

Symmachus constituit, ut omni die Dominico, vel natalitiis martyrum hymnus: *Gloria in excelsis*, diceretur. *Ex Pontif.*

CAPUT XLII.

Gregorius augmentavit precationem canonis: *Diesque nostros in tua pace disponas*, &c. Hic præcepit, ut supra B. Petri, & Pauli corpora Missa celebraretur. Eodem tempore dedicavit ecclesiam Gothorum, quæ fuit in Suburra in nomine S. Agathæ martyris. *Ex Pontif.*

CAPUT XLIII.

Deusdedit constituit secundam Missam in clero. *Ex Pontif.*

Vide Valent. Hispan. c. 1. infra de missa catechumenorum cap. Antiquos.

TITULUS V.

DE REBIS, QUAS LICET, AUT NON LICET IN ALTARI OFFERRI.

CAPUT I.

Contra Domini ordinationem, vel constitutionem, quæ de sacrificio est, si quis Episcopus, vel presbyter alia offerat in altari, sive mel, sive lac, sive pro vino siceram confectam (siera, & confecta quædam, L.) aut aves, animalia quædam, aut legumina, deponatur. Novas vero spicas, aut uvas tempore suo licet. Non licet offerre aliud in altare, quam oleum ad lucernas, & thus tempore sanctæ oblationis. *Apost. c. 3. G. 3. & 4. L. Burch. lib. 5. cap. 6. & 8. Ivo part. 2. c. 16. & 18. decret.*

CAPUT II.

Ceteri fructus in domum Episcopo, & presbyteris mittantur primitiæ, sed non in altare, Episcopus vero, & presbyteri dividunt diaconis & reliquis clericis. *Apost. cap. 4. G. 5. L. vide Aurel. c. 16. 17. al. 14. 15. Vide rit. de oblationibus. c. Antiquos, & c. De his.*

CAPUT III.

Hæ species, quas non licet offerri super altare, juxta constitutionem Apostolorum, eorumque successorum, ad domum sacerdotum deferantur, & a sacerdotibus benedicantur, & per simplicem benedictionem benedictæ, demum a populis fumantur. Fabæ autem, & uvæ, & cetera, quæ Apostoli constituerunt, super altare offerantur.

Eu-

* oblationem, pars est liturgiæ Græcæ.

Eutyhian. epist. 1. in fin. Burch. lib. 5. cap. 7. Ivo part. 2. c. 17. decret.

CAPUT IV.

De conf. d. 2. In sacramento, c. 5.

In sacris nihil præter corpus, & sanguinem Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mistum, primitiæ vero, sive mel, sic lac uno tantum die offerantur ad infantium mysterium, & si maxime lac in altari offertur, suam tamen habet propriam benedictionem, quæ a sanctificatione Domini corporis, & sanguinis differt. Nihil autem plus in primitiis * offeratur, quam ex uvis, & frumento. *Carth. cap. 37. G. Afric. 4. L. Carth. III. c. 24. L. (de lacte & melle nihil in, L.) Burch. lib. 5. c. 3. & 4. Ivo part. 2. c. 13. & 14. decret.*

in sacrificiis.

CAPUT V.

De conf. d. 2. Didicimus, c. 6.

In diversis ecclesiis uvæ offeruntur in altari juxta consuetudinem, & eas ministri sacrificio sine sanguine conjungunt, ut ita populo utrumque distribuunt. Hoc nemo sacerdotum faciat, sed in vitæ dationem, & remissionem peccatorum populo oblatio tantum tradatur. Sed primitiæ uvæ a sacerdotibus privatim benedicantur, petentibus tribuant in datoris fructu gratias, per quos corpora nostra, juxta divinam definitionem augentur, & nutriuntur. Si quis clericus contra hæc fecerit, deponatur. *Trull. c. 28.*

CAPUT VI.

Non oportet in altaribus mel, & lac offerri. *Trull. c. 57.*

CAPUT VII.

In Armenia in sacris altaribus quidam partes carniū comedunt, & selecta quædam sacerdotibus tribuunt. Judaico more. Itaque jubemus id non licere, sed qui velit carnem offerre, extra ecclesiam offerat, sin minus excommunicetur. *Trull. c. 100.*

CAPUT VIII.

Præter panem, & vinum cum aqua mixtum aliud offerri non debet. Calix enim Dominicus vino & aqua permixtus debet offerri, &c. *Vormar. cap. 4. Burch. lib. 5. cap. 2. Ivo part. 2. c. 12. decret.*

CAPUT IX.

Eutyhianus constituit fruges fabæ, & uvæ super altario benedici. *Damas. in Eutyhiani.*

TITULUS VI.

DE OLATIONIBUS.

Vide in Part. II. Lib. III. Tit. XVII.

TITULUS VII.

NULLUS SACERDOS SACRUM FACIAT IN LOCO NON CONSECRATO.

Vide in Part. II. Lib. I. Tit. IV.

TITULUS VIII.

MISSÆ SACRIFICIUM OLIM NON FIEBAT ANTE HORAM TERTIAM.

CAPUT I.

De conf. d. 1. c. 47.

NOste sancta Nativitatis Domini Salvatoris Missas celebrent, & hymnum angelicum in eis solemniter decantent, quoniam & eadem nocte ab Angelo pastoribus nuntiatus est, sicut ipsa Veritas testatur, dicens: *Pastores erant in regione, &c. reliquis temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt*

Luc. 2.

celebrandæ, quia & eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus Sanctus descendisse legitur. Ab Episcopis autem idem angelicus hymnus pro tempore, & loco in Missarum solemnibus celebrandus est, atque solemniter recitandus, &c. *Telesph. ep. 1. in princ. Burch. lib. 3. c. 63. Ivo lib. 2. tit. 4. c. 13. panorm. & part. 2. c. 71. & part. 3. c. 65. decret. Casar. lib. 11. c. 9. Tarrac. lib. 4. c. 61.*

CAPUT II.

De Missarum celebritate in præcipuis dumtaxat solemnitatibus id observari debet, ut hora tertia missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes, ipso officio expedito, sacerdotes possint ad vespertina officia convenire. *Aurel. III. c. 14.*

CAPUT III.

Telesphorus fecit, ut in Natali Domini nostri Jesu Christi noctu Missæ celebrarentur, cum omni alio tempore ante horæ tertiæ cursum nullatenus præsumeret Missas celebrare, quia ea hora Dominus noster ascendit in crucem, & ut ante sacrificium hymnus diceretur angelicus, hoc est: *Gloria in excelsis Deo. Damas. in Telesph.*

Vide Theodulph. ad presbyt. Aurel. c. 45. & 46. infra tit. de Missis privatis, c. 1.

TITULUS IX.

QUIBUS DIEBUS OLIM SACERDOTES NON FACIEBANT SACRUM.

CAPUT I.

Iduo ante pascha sacramenta non celebrantur ex traditione ecclesiæ. *Innoc. ep. 1. c. 4.*

De conf. d. 3. c. 13. Sabato.

CAPUT II.

Non oportet in quadragesima panem offerre, nisi sabbato, & Dominica tantum. *Laodic. c. 49.*

Hæc consuetudo non est recepta ab ecclesia Romana.

CAPUT III.

Omnibus quadragesimæ jejuniorum diebus, excepto sabbato, & dominica, & sancto Annunciationis die, fiat proegiasmenorum sacrificium. *Trull. c. 52.*

CAPUT IV.

Ne cuiquam in die (passionis Dominicæ) Missarum liceat solemnia celebrare. *Tolet. XVI. cap. 8.*

TITULUS X.

SACERDOS NON FACIAT SACRUM SOLUS.

CAPUT I.

IPsi, qui Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Domino perfecte in sacris Deo locis sacrificare probentur. *Anaclet. ep. 1. in med. Anselm. lib. 7. cap. 128. Burch. lib. 3. cap. 71. Ivo part. 2. cap. 67. decret.*

CAPUT II.

Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem. Cavendum est ne horis illis, atque temporibus, quibus Domino psallitur, vel sacrificatur, unicuique divinis singulariter officiis insistenti, perniciofa passio, vel corporis valetudo occurrat, quæ aut corpus subito subruat, aut mentem alienatione, vel terrore confundat, &c. Ubi igitur temporis, vel loci, sive cleri copia suffragatur, habeat quisque ille canens Deo, atque

Ecl. 4. De conf. d. 1. c. Ut illud, 57. 7. q. 1. Illud, c. 15.

que

que sacrificans, post se vicini solaminis adjuto-
rem, ut si aliquo casu ille, qui officia impleturus
accedet, turbatus fuerit, vel ad terram elusus, a
tergo semper habeat, qui ejus vicem exequatur
intrepidus. *Tolet. XI. c. 14. Burch. lib. 3. c. 73. Ivo part. 2. c. 126. decret.*

CAPUT III.

Nullus presbyter, ut nobis videtur, solus Mis-
sam cantare valet recte; quo modo enim dicit:
Dominus vobiscum, vel *Sursum corda* admonebit
habere, & alia multa his similia, cum alius ne-
mo cum eo sit? *Magunt. c. 43. Capit. lib. 5. c. 93.*

CAPUT IV.

Irrepsit in plerisque locis partim incuria, par-
tim avaritia reprehensibilis usus, & congrua
emendatione dignus, eo quod nonnulli presbyte-
rorum sine ministris Missarum solemnia frequen-
tent, &c. Unde conveniendus immo interrogan-
dus nobis videtur hujusmodi corporis, & sanguinis
Domini solitarius consecrator, quibus dicit: *Do-
minus vobiscum?* & a quo illi respondetur: *Et
cum spiritu tuo?* vel pro quibus supplicando Do-
mino inter cetera: *Memento Domine, omnium
circumstantium*, cum nullus circumstet, dicit?
Quæ consuetudo, quia Apostolica, & ecclesia-
stica auctoritati refragatur, & tanto mysterio
quandam dehonorationem irrogare videtur, omni-
bus nobis in commune visum est, ut deinceps hu-
jusmodi usus inhibeatur. Provideatque unus-
quisque Episcoporum, ne in sua parochia quis-
quam presbyterorum Missam solus celebrare pre-
sumat, & si hanc definitionem superbiendo trans-
gressus fuerit, canonicæ correctioni subiaceat.
*Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 48. Capitul.
lib. 7. c. 9. in additis prioribus.*

CAPUT V.

Sacerdos Missam solus nequaquam celebret,
quia sicut illa celebrari non potest sine salutatio-
ne sacerdotis, responsione plebis, admonitione
sacerdotis, responsione nihilominus plebis: ita
nimirum nequaquam ab uno debet celebrari, ef-
se enim debeat, qui ei circumstent, quos ille sa-
lutet, a quibus respondeatur. *Theodulph. ad pres-
byt. Aurel. cap. 7.*

TITULUS XI.

DE CULTU, ET VENERATIONE MA-
XIMA QUÆ DEBETUR MISSÆ
SACRIFICIO.

Vide in Part. II. Lib. XII. Tit. VIII. quibus
adde:

CAPUT I.

Significatis, quosdam sacerdotes in ecclesia,
quando leguntur evangelia, sedere, & Do-
mini Salvatoris verba non stantes, sed sedentes, au-
dire, & hoc ex majorum traditione se accepisse
narrant. Quod ut nullatenus sinatis [Apostolica
auctoritate mandamus: sed dum sancta evangelia
in ecclesia recitantur, sacerdotes, & ceteri omnes
non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu
sancti evangelii stantes, Dominica verba intente
audiant, & fideliter adorent. *Anast. ep. 1. cap. 1.
Burch. lib. 3. c. 103. Ivo part. 2. c. 138. & part.
6. c. 93. decret. Anselm. lib. 7. c. 156. vide Ra-
ban. lib. 1. c. ult. de instit. cleric.*

De conf. d.
1. c. 67.

CAPUT II.

Non licet mulieribus tempore divini ministe-
rii obloqui, sed juxta dictum Pauli Apostoli si-
leant; non enim licet loqui, sed obedire, ut et-
iam lex ait; si quid discere volunt, domi suos in-
terrogent viros. *Trull. c. 70.*

CAPUT III.

Tempore, quo missarum solemnia celebran-
tur, non solum ab otiosis, & inutilibus verbis,
verum etiam & a perniciosis cogitationibus fundi-
tus abstinendum est. *Turon. sub Carolo c. 38.*

CAPUT IV.

Anastasius constituit, ut quotiescumque san-
cta evangelia recitarentur, sacerdotes non fede-
rent, sed curvi starent. *Ex Pontif.*

Vide *Tolet. XVI. cap. 6. supra de materia eu-
char. c. Delatum, & Paris. sub Ludov. & Loth.
lib. 1. c. 45. tit. Mulieres non accedant ad alta-
re, &c. & rotum illum tit.*

TITULUS XII.

DE VESTIBUS SACRIS, VASIS, CORPO-
RALI, PALLIS, PALLIO, ET INSI-
GNIBUS PROPRIIS SACERDOTUM,
ALIORUMQUE MINISTRORUM REVE-
RENTIANDIS, MUNDANDIS, ET CON-
SERVANDIS.

TITULUS XIII.

DE MISSIS PRIVATIS.

Vide in Part. I. Lib. V.

CAPUT I.

UT Missæ, quæ per dies Dominicos peculia-
res a sacerdotibus fiunt, non ira in publi-
co fiant, ut per eas populus a publicis Missarum
solemnibus, quæ hora tertia canonicè fiunt, ab-
strahatur, quia pessimus usus est apud quosdam,
qui in diebus Dominicis, sive in quibuslibet festi-
vitatibus mox ubi Missam celebrari, etiam si pro
defunctis sit, audierint, abscedunt, ut per totum
diem a primo mane, ebrietati, & comessationi,
potius quam Deo deserviant. *Theodulph. ad
presbyt. Aurelian. c. 45. Burch. lib. 2. c. 54. Ivo
part. 2. c. 119.*

De conf. d.
1. c. 52. Et
hoc.

CAPUT II.

Sacerdotes per oratoria nequaquam Missas,
nisi tam caute ante secundam horam celebrent, ut
populus a publicis solemnitatibus non abstraha-
tur. Sed sive sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut
in eadem urbe sunt, sive populus, ut prædiximus,
in unum ad publicum Missarum celebrationem
convenient, exceptis Deo sacratis feminis, qui-
bus mos, est, ad publicum non egredi, sed clau-
stris monasterii contineri. *Theodulph. ad presbyt.
Aurelian. c. 46.*

TITULUS XIV.

MULIERES NON ACCEDANT AD AL-
TARE, NEQUE SACERDOTUM SINT
ADMINISTRÆ.

CAPUT I.

Impatienter audivimus tantum divinarum re-
rum subiisse despectum, ut feminæ sacris al-
taribus ministrare ferantur, & cuncta, quæ non
nisi virorum famularum deputata sunt, sexum, cui
non competit, exhibere. Viso quod omnium de-
lictorum, quæ sigillatim perstrinximus, noxa
omnis,

omnis, & crimen eos respicit sacerdotes, qui vel ista committunt, vel committentes minime publicando, pravis excessibus se favere significant, &c. Quo more teneant jura Pontificum, qui Pontificalibus excubiis eatenus injuncta dissimulant, ut contraria domui Dei, cui præsentent, potius operentur? Qui, quantum apud Dominum possent, sibi non nisi convenientia procurarent, tantum quid mereantur, adspiciant, cum execrabili studio sectentur adversa. *Gelas. ep. 1. c. 28. Paris. sub Ludov. & Lothar. lib. 1. c. 45.*

CAPUT II.

Non oportet mulierem ad altare ingredi. *Laod. cap. 44. Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 45. Mart. Bracar. c. 42. Capitul. lib. 1. c. 17.*

CAPUT III.

Quædam nostrorum verorum virorum relatu, quædam etiam visu didicimus, in quibusdam provinciis contra legem divinam, canonicamque institutionem, feminas sanctis altaribus se ultro ingerere, sacrataque vasa impudenter contingere, & indumenta sacerdotalia presbyteris administrare, &c. Hoc ergo tam illicitum factum, quia ex toto a christiana religione abhorret, ne ulterius fiat, inhibendum est. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 45.*

CAPUT IV.

Hoc secundum auctoritatem canonum modis omnibus est prohibendum, ut nulla femina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare, aut sedere. *Nannetens. c. 3.*

CAPUT V.

Non liceat mulieribus in secretarium ingredi. *Mart. Brac. c. 42.*

CAPUT VI.

Femina, Missam sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent, & ibi sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat, memores enim debent esse feminae infirmitatis suæ, & sexus imbecillitatis, & idecirco sancta quælibet in ministerio ecclesie contingere pertimescant, quæ etiam laici viri pertimescere debent, ne Ozæ poenam subeant, qui dum arcam Domini extraordinarie contingere voluit, Domino percussente interiit. *Theodulph. ad presbyt. Aurelian. c. 6.*

TITULUS XV.

DIEBUS DOMINICIS OMNES INTERSINT MISSÆ A PRINCIPIO AD FINEM USQUE.

CAPUT I.

LAici, qui audiunt scripturas, & non expectant orationes, & communionem, excommunicantur. *Apost. 9. G. 10. L. Burch. lib. 2. c. 67. & 68. Ivo part. 6. c. 163. & 164. decret.*

CAPUT II.

Missas die dominica sæcularibus totas tenere * speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat; qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur. *Agath. c. 47. Capitul. lib. 7. c. 277.*

CAPUT III.

Cum ad celebrandas missas in Dei nomine

convenitur, populus non ante discedat, quam Missæ solemnitas compleatur, & ubi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis. *Aurelian. cap. 26. sive 28. Capitul. lib. 7. cap. 186. in addit. Burch. lib. 3. cap. 29. Ivo part. 3. c. 34. decret.*

CAPUT IV.

De Missis nullus laicorum ante discedat, quam Dominica oratio dicatur, & si Episcopus præsens fuerit, ejus benedictio expectetur. *Aurelian. III. c. 28. Capitul. lib. 7. c. 27.*

CAPUT V.

Die Dominico præter orationes, & Missarum solemnias, & ea, quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat, & si necessitas fuerit navigandi, sive itinerandi, licentia datur, ita dumtaxat, ut hujus occasione Missæ, & orationes non prætermittantur, &c. *Theodulph. ad presbyt. Aurel. cap. 24.*

CAPUT VI.

Admonendus est populus, ut ante publicum peractum officium, ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam matrem ecclesiam Missarum solemnias, & prædicationem audituri convenient. *Theodulph. ad presbyt. Aurelian. c. 46.*

TITULUS XVI.

DE LOCO LAICORUM IN MISSIS.

CAPUT I.

Sacerdotum, aliorumque clericorum ecclesiis servientium honores a laicorum discrete apparere conveniunt *. Quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco, ubi sacerdotes, reliquæque clerici consistant, quod presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere, ut libere, ac honorifice possint sacra officia exercere *. Et sicut in ecclesia singula videntur exposita, ita virorum pars, & mulierum, partibus suis contenta sit, & sæculares ne peccent, cum justificari desiderant, &c. *Synod. Rom. sub Eugen. II. & Leo IV. cap. 33.*

*De conf. d. 1. c. 30. * convenit.*

** al. celebrari. Ad Leo.*

CAPUT II.

Solis ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare. *Laod. c. 19.*

CAPUT III.

Laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos tam ad vigiliis, quam ad Missas stare poenitus non præsumant, sed pars illa, quæ a cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat clericorum. Ad orandum *, & communicandum laicis, & feminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum. *Turon. II. c. 4. Capitul. lib. 7. c. 278. Burch. lib. 3. cap. 102. Ivo part. 2. c. 137. decret.*

e. 1. de vita & bon. cleric. Gr. IX. & in 1. coll.

** adorandi.*

TITULUS XVII.

NE QUIS AUDIAT MISSAM PRESBYTERI CONCUBINARIUM.

Vide Part. I. Lib. VI. Tit. XXXIV.

TITULUS XVIII.

DE MISSA CATECHUMENORUM.

CAPUT I.

Post homilias Episcoporum, catechumenorum oratio fiat, egressis eis, poenitentium oratio. *Laodicea. cap. 18.*

CA-

De conf. d. 1. Omnes. c. 61.

*De conf. d. 1. c. 63. * audire.*

De conf. d. 1. c. 64.

CAPUT II.

De conf. d. 1. cap. 66. Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam, audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam catechumenorum. *Carthag. IV. c. 84. Burch. lib. 3. c. 28. Ivo lib. 2. tit. 4. c. 14. panorm. 3. part. 3. c. 33. decret. Cæsar. lib. 4. c. 91.*

CAPUT III.

35. 9. 1. 3. De his, cap. 9. Usque ad Missam tantum catechumenorum in ecclesia admittantur incestuosi, &c. *Ilerd. c. 4. refert Colon. sub Carolo III. c. 6. Raban. c. 2. de pœnit. Burch. lib. 7. c. 3.*

CAPUT IV.

Antiquos canones relegentes censuimus, ut sacrosancta evangelia ante munera illationem in Missam catechumenorum in ordine lectionum post legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermones sacerdotis non solum fideles, sed etiam catechumeni, ac pœnitentes, & omnes, qui e diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificis prædicatione audita, nonnullos attractos ad fidem evidenter scimus. *Valent. Hispan. c. 1.*

TITULUS XIX.

DE MISSIS DEFUNCTORUM, ET PRO QUIBUS POSSIT SACRIFICIUM OFFERRI, ET PRO QUIBUS NON.

CAPUT I.

De statu monach. c. 2. ap. Gr. IX. in 1. coll. QUI in extremis cum peculio monachus inventus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam. *Alex. III. in conc. Later. cap. 10.*

CAPUT II.

De her. c. 8. Sicut, Gr. IX. c. 6. eod. tit. in 1. coll. Hæreticos, & receptatores eorum, & defensores anathemati decernimus subjacere, &c. Si autem in hoc peccato decesserint, non sub nostrorum privilegiorum cuilibet indultorum obtentu, nec sub alia quacumque occasione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter christianos recipiant sepulturam. *Alex. III. in conc. Later. c. 27.*

CAPUT III.

33. 9. 2. 21. Pro obeuntibus consuluisse dignosceris, si liceret oblationes offerre. Sancta sic tenet ecclesia, ut quisque pro suis mortuis vere christianis offerat oblationes atque presbyter eorum memoriam faciat. Et quamvis omnes peccatis subjaceamus, congruit, ut sacerdos pro mortuis catholicis memoriam faciat, & intercedat, non tamen pro impiis, quamvis christiani fuerint, tale quid agere licebit. *Gregor. II. ep. 8. post medium. Anselm. lib. 7. cap. 168.*

CAPUT IV.

Si sit sepeliendus, qui se ipsum occidit, vel si sit pro eo sacrificium offerendum requiritis. Sepeliendus est quidem, ne viventium odoratum molestiam ingerat, non tamen est, ut aliis pavor incutiatur, solito cum obsequiis more ad sepulchra ferendus. Sed, & qui sunt, qui ejus sepultura studio humanitatis obsequuntur, sibi non illi, qui sui extitit homicida, præstare videntur. Sacrificium vero pro eo non est offerendum, qui non solum ad mortem usque peccavit, sed & mortis sibi interitum propinavit. Quis enim magis peccatum ad mortem facit, pro quo Jo-

Tom. VI.

annes Apostolus non dicit orandum, quam is, qui Judam imitatus, ipsius homicida fuisse magistro diabolo comprobatur? *Nicol. ad consult. Bulgaror. cap. 98.*

CAPUT V.

Pœnitentes, qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur. *Carth. IV. cap. 79. Capitul. lib. 5. cap. 77. Ivo part. 15. c. 11. decret. Cæsar. lib. 15. c. 33.*

CAPUT VI.

Ut in omnibus Missis, sive matutinis, sive quadragesimalibus, sive in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus eo ordine, quo ad missas publicas, dici debeat, &c. *Vasen. II. c. 2.*

CAPUT VII.

Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse. *Aurel. II. cap. 14. alias 15.*

CAPUT VIII.

De missis defunctorum mentio est in concilio. *Brachar. I. c. 16. in Brach. II. c. 10. ubi puniuntur quidam presbyteri Priscillani hæresis veneno infecti, qui non jejuni missas defunctorum celebrabant.*

CAPUT IX.

Qui sibi ipsis per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur, multi enim sibi hoc per ignorantiam usurpant. Similiter, & de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur. *Brach. I. c. 34. Capitul. lib. 7. cap. 206. in addit. Burch. lib. 19. c. 130. Ivo part. 10. c. ult. 3. part. 15. cap. 140. decret.*

CAPUT X.

Catechumenis sine redemptione baptismi defunctis simili modo non oblationis sanctæ commemoratio, neque psallendi impendatur officium. *Brach. I. cap. 35.*

CAPUT XI.

Quicumque se propria voluntate in aqua jactaverit, aut collo ligato se suspendarit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percusserit, aut qualibet occasione voluntariæ se morti tradiderit, istorum oblata non recipiantur. *Antisiod. cap. 17.*

CAPUT XII.

Visum præterea nobis est, ut in omnibus missarum solemnitatibus pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur, sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viventibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in missarum solemnibus fundantur. Antiquitus hunc morem igitur sancta ecclesia tenet, ut, & in missarum solemnitatibus, & in aliis precibus Domino spiritus quiescentium commendat, di-

De conf. d. 1. cap. 71.

cente B. Augustino: „ Non sunt prætermittenda supplicationes pro spiritibus mortuorum, „ quas faciendas pro omnibus in christiana, & „ catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum, quos sub generali commemoratione suscepit ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes aut filii, aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur matre communi“. *Cabilon. sub Carolo c. 39. Augustin. lib. de cura pro mortuis agenda c. 4. Burch. lib. 3. c. 64. Ivo part. 3. c. 66. decret.*

CAPUT XIII.

13. 9. 2. 6. 30. Quæsitum est ab aliquibus fratribus de his, qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus, post confessionem Deo peractam, utrum cadavera eorum ad ecclesiam deferenda sint, & oblationes pro eis offerendæ, & missæ celebrandæ, an non. Quibus respondemus, Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine secundum canonicum iustum danda est, cur non etiam eis, qui pro suis peccatis pœnam extremam perloolvunt? *Maguntinum sub Rabano c. 27. Vormat. c. 79.*

CAPUT XIV.

Ille, qui occisus fuerit (*in singulari certamine*) tamquam sui homicida, & propriæ mortis spontaneus appetitor, a Dominicæ oblationis commemoratione habeatur alienus, &c. *Valent. sub Loth. c. 12. vide tit. Quibus de causis prioretur quis sepultura ecclesiastica lib. XXVI.*

CAPUT XV.

Placuit omnibus, ut creditur instinctu divino, ut pro se omnes dum adviverent, preces hujusmodi frequentarent, scilicet, ut singuli pro cunctis per singulas hebdomadas feria quarta missam celebrarent. Post vocationem autem cujuslibet eorum superstites obtineant, ut pro eo, qui discesserit, in sedibus septenæ missæ, totidemque vigiliæ Domino persolvantur, a presbyteris autem monasteriorum, sive villarum tres missæ totidemque vigiliæ dependantur. Exitus autem uniuscujusque vicissim piis currentibus litteris innotescat. Præsentes etiam Abbates in tam profutura societate recepti eadem se conditione junxerunt. *Tullen. part. 1. cap. 14.*

CAPUT XVI.

De conf. d. 2. cap. 28. Non oportet clericos ignaros super monumenta in campum mysteria portare, aut distribuere sacramenta, sed aut in ecclesia, aut in basilica, ubi martyrum reliquiæ sunt positæ, ibi pro defunctis oblationem offerri. *Mart. Brach. 68. vide Carthag. cap. 84. G.*

CAPUT XVII.

Si quis, cum sui compos non esset, sibi manum attulerit, vel etiam se præcipitaverit, fit ne oblatio, an non? Respondeo, hoc debet clericus discernere, an revera hoc fecerit, cum esset emotæ mentis, sæpe enim ii, qui ad eum, cui hoc accidit, attinent, volentes assequi oblationem, & orationem pro ipso mentiuntur, & dicunt eum non fuisse apud se, nonnumquam autem propter insultationem hominum, vel aliquo alio modo per negligentiam hoc fecit, tunc autem non est super eum facienda oblatio, est enim

sui homicida. *Timoth. Episcop. Alexand. c. 14.*

CAPUT XVIII.

Pessimus usus est apud quosdam, qui in diebus Dominicis, sive in quibuslibet festivitibus missam celebrare, etiam si pro defunctis sit, audierit abscedit, ut per totum diem a primo mane ebrietati, & comestationi potius, quam Deo deserviat. *Theodulph. ad presbyr. Aurel. c. 45.*

TITULUS XX.

DE SACERDOTE, QUISE ABSTINET A PERCEPTIONE EUCHARISTIÆ CUM FACIT SACRUM, ITEM DE MINISTRIS, ET ALIIS, QUI INTERSUNT SACRIFICIO, ET NON COMMUNICANT.

CAPUT I.

SI Episcopus, Presbyter, diaconus, aut ex sacro ordine oblatione facta non communicaverit, causam dicat, si justa est, veniam meretur: si non dicat (*justam*) excommunicetur propter suspensionem, quam facit populo contra offerentem sacerdotem. *Apost. cap. 8. G. 9. L. Capitul. lib. 1. cap. 6.*

CAPUT II.

Relatum nobis est, quosdam de sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in una videntur offerre. Sed in uno die, si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communionem suspendunt, & in sola tantum extremi sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam fumunt, quasi non sit totiens illis vero, & singulari sacrificio participandum, quotiens corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit, *Non qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Certum est, quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt dominicis sacramentis*. Quicumque ergo sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblaturus accesserit, & se a communionem suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter privavit, gratia communionis, anno uno repulsum se noverit. Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Quotienscumque ergo sacrificans corpus, & sanguinem Jesu Christi Domini nostri in altario immolat, totiens perceptionis corporis, & sanguinis Christi se participem præbeat. *Tolet. XII. cap. 5. confirmatur hoc decretum. Tolet. XIII. cap. 9. Ivo part. 2. cap. 114. decret.*

De conf. d. 2. cap. 11.

1. Cor. 10. e.

* dominici sacramenti.

TITULUS XXI.

NUM SACERDOS, QUI PÆNITENTIAM ACCEPIT, POSSIT POST ACTAM PÆNITENTIAM FACERE SACRUM.

Vide in Part. I. Lib. VI. Tit. XLVI. & in Part. II. Lib. XIV. de Pœnitentia.

TITULUS XXII.

PRESBYTERI, QUI FACIUNT SACRUM APUD SANCTIMONIALES STATIM DISCEDANT.

Vide in Part. I. Lib. IX. Tit. XXI.

TITULUS XXIII.

COMMUNIA DE SACRIFICIO MISSÆ.

CA-

CAPUT I.

De bapt. c. ult. Gr. l. X. c. 1. eod. tit. in 4. coll.

SI quando sacerdotes Latini super eorum (Græcorum) celebraissent altaria, non prius Græci sacrificare volebant in illis, quam ea, tamquam per hoc inquinata, lavissent, &c. Sacro suadente concilio districte præcipimus, ut talia de cætero non præsumant, &c. Si quis tale præsumperit, excommunicationis mucrone percussus ab omni officio, & beneficio ecclesiastico deponatur. *Innoc. III. in conc. gen. Later. cap. 4.*

CAPUT II.

Missas publicas ab Episcopo in cœnobio fieri omnino prohibemus, ne in fervorum Dei recessibus, & in eorum receptaculis ulla popularis occasio præbeatur conventibus, vel mulierum fiat illis introitus, quia non expedit animabus eorum. *Greg. in synod. Later. ante fin.*

CAPUT III.

Loquitur canon, de baptizatis sine necessitate vel ab hæreticis, qui non servant formam.

Episcopus, aut presbyter, qui baptisma, aut sacrificium hæreticorum recepit, deponatur. *Apost. cap. 46.*

CAPUT IV.

Quidam errore decepti dicunt, ideo Patrem majorem Filio esse, quia illi soli sacrificium immolatur, & quod Filius nullam cum Patre communionis operam habeat, &c. Sicut Patri, ita etiam Filio non solum christianis temporibus, verum etiam prisca temporibus, a sacerdotibus variis, multisque modis probamus sacrificium fuisse oblatum, &c. Sacrificium itaque, quod a christianis sacris altaribus admovetur, non solum Deo Patri, sed etiam Filio, communi devotione offertur, quoniam nec Patri sine Filio potest offerri, neque Filio sine Patre sacrari. *Marcellin. epist. 1. in princ.*

CAPUT V.

Illud volumus custodiri, ut cum solemnior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit, sacrificiū oblatio indubitanter iteretur, ne his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluerint, non recepti, cum plenum pietatis, atque rationis sit, ut quoties basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur: „Necesse est autem, ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. Studiose ergo dilectionem tuam, & familiariter admonemus, ut quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis infedit, tua quoque cura non negligat, ut per omnia nobis fide, & actibus congruamus. Propter quod remeanti filio nostro Possidonio presbytero, hanc ad fraternitatem tuam epistolam dedimus perferendam, qui nostris processionibus, atque ordinationibus frequenter interfuit, & toties admittus, quid in omnibus Apostolicæ auctoritatis teneremus, agnovit.“ *Leo epist. 79. cap. 2. ad Dioscorum Episcopum Alexandr. Burchard. lib. 3. cap. 228. Ivo part. 3. cap. 268. & part. 2. cap. 87. decret.*

De cons. d. 1. cap. 50.

CAPUT VI.

De celebratione missarum in ecclesia instaurata. *Vigil. epist. unic. cap. 4. Burch. lib. 3. cap. 62. Ivo lib. 2. tit. 2. cap. 5. panorm. & part. 3. cap. 25. decret.*

CAPUT VII.

Si quis docet domum Dei contemnendam esse, & synaxes, quæ in ea fiunt, anathema sit. *Dist. 30. c. Gangr. cap. 5. Burch. lib. 3. cap. 94. Ivo part. 3. cap. 84. decret.*

CAPUT VIII.

Presbyter, vel diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet ecclesiæ deputatus clericus, si intra civitatem fuerit, vel in loco, in quo ecclesia est, &c. si ad ecclesiam, aut ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur. *Tolet. l. cap. 5.*

CAPUT IX.

In Augusto, quia quotidie missæ sanctorum sunt, prandium habeant monachi, &c. Ad calcandam gentilium consuetudinem patres nostri statuerunt, fieri litanias privatas in Kal. Jan. ut in ecclesia psallatur, & hora octava in ipsis Kal. Circumcisionis missa Deo propitiæ celebretur. *Turon. II. cap. 18.*

CAPUT X.

Si quis quinta feria paschali, quæ vocatur cœna Domini, hora legitima post nonam jejunus in ecclesiis missas non tenet, sed secundum festam Priscilliani, festivitatem ipsius ab hora tertia per missas defunctorum soluto jejunio colit, anathema sit. *Brac. cap. 16.*

CAPUT XI.

Non licet super uno altario in una die duas missas dicere, nec in altario, ubi Episcopus missas dixerit, presbyter in illa die missas dicat. *Anrifi. cap. 10. Burch. lib. 3. cap. 226. Ivo lib. 2. tit. 4. cap. 8. panorm. & part. 2. cap. 270. decret.*

De cons. d. 2. cap. ult.

CAPUT XII.

Dum missa celebratur, nullus presbyter, aut diaconus absque aliqua infirmitate, dum missa perficitur, egredi de altario audeat. *Narbon c. 12.*

CAPUT XIII.

Cum a sacerdotibus missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accidit quilibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel presbytero alteri, consecrationem exequi officii cœpti, non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis competit, quam aut incipientis, aut subsequens completa benedictione sacerdotis, quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur, cum enim simus omnes unum in Christo, nihil contrarium personarum diversitas format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repræsentat. Quod etiam consultum cuncti ordinis clerici individuum esse sibi non ambigant, &c. Nec tamen quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, &c. Nullus absque patentis proventu molestiæ minister, vel sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temerare præsumperit, ex-

7. q. 1. Nichil, cap. 16.

Rom. 12.

communicationis sententiam sustinebit. *Tolet. VII. cap. 2. Burch. lib. 3. cap. 70. Ivo part. 2. cap. 124. decret.*

CAPUT XIV.

Salubri declaratione censemus ut per singulas quasque ecclesias, in quibus presbyter iustus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, singulis diebus dominicis sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina, a quibus eas ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis ecclesiis videntur, aut vili sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore missæ; quod si ab hac discesserunt, aut discesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine, &c. *Emeritenf. cap. 19.*

CAPUT XV.

Si quis occasionem nutrierit, unde de templis Domini, aut officia consueta desinit, aut oblatio singularis sacrificii videatur in aliquo defraudari, si eum antea pœnitentia coram Metropolitano satisfactio non purgaverit, ignobilitate perpetuæ mancipatus juxta superiorem sententiam Domini, & loci sui dignitate se noverit, & honore privari. *Tolet. XIII. cap. 7.*

CAPUT XVI.

Plerique sacerdotum missam pro requie defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis student celebrare hominibus, non ob aliud, nisi ut is, pro quo id ipsum offertur sacrificium, ipsius sacrosancti libaminis interventu, mortis, ac perditionis incurrat periculum, & quod cunctis datum est in salutis remedium, illi hoc perverso instinctu quibusdam esse expetunt in interitum. Ob id nostra elegit unanimitas, ut si quis sacerdotum deinceps talia perpetrasse fuerit dete-

ctus, a proprii deponatur ordinis gradu, & tam ipse sacerdos, quam etiam ille, qui eum ad talia peragenda incitasse perpenditur, exilii perpetui ergastulo religati, excepto in supremo vitæ curriculo sacrae communionis perceptione priventur. *Tolet. XVIII. cap. 5. vide in Regis Egicani edicto cap. 5.*

CAPUT XVII.

Servis Dei in exercitum pergere prohibemus, nisi illis tantummodo, qui propter divinum ministerium, missarum scilicet solemnia adimplenda, & sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt, id est unum, vel duos Episcopos cum capellanis presbyteris Princeps secum habeat, & unusquisque præfectus unum presbyterum, &c. *Franc. synod. Capitul. lib. 5. cap. 2. Burch. lib. 1. cap. 218. Ivo part. 5. cap. 332. decret.*

CAPUT XVIII.

In omnibus locis, & diebus pro Imperatore, & filiis sacrificiorum Deo libamina dedicentur, pia orationum vota solvantur, &c. *Arelat. sub Carolo in proœm. vide cap. 2.*

CAPUT XIX.

Missarum discussa est ratio, ut presbyteri minus antea scientes intelligerent, qualiter missarum solemnia deinceps dignius celebrare deberent. *Rhemens. cap. 6.*

CAPUT XX.

An debeat clericus præsentibus Arianis, vel aliis hæreticis, orare? & an eum lædat, quando facit orationem, seu oblationem? Respondeo in divina oblatione diaconus ante orationem loquitur: Qui non communicatis, ambulate, non debent ergo interesse, nisi profiteantur, se pœnitentiam acturos, & hæresim vitaturos. *Timoth. Episcopus Alexand. cap. 9.*

LIBER DECIMUS QUARTUS.

De Pœnitentiæ Sacramento.

TITULUS I.

LAUS PœNITENTIÆ.

CAPUT I.

Legimus Ninivitis divina ultione dignis, humiliter in tribulatione ad Dominum clamantibus divinitus subventum, nam & Achab, & Manasses Reges idololatræ pœnitentiæ satisfactione divinæ obviavere ultioni. Meretrix porro illa evangelica Maria nomine, profusione lachrymarum, carere meruit enormitate multorum peccaminum. His, & his similibus salutiferis documentis datur intelligi, quod Deus bona cuncta jubens, malaque omnia vetans, sapissime humanæ fragilitatis peccatis offensus, & ad iram provocatus, per pœnitentiæ tamen dignam satisfactionem ab humanis erratibus suæ severitatis debitam suspenderit vindictam, adeo ut quem moles peccaminum provocaverat ad ultionem actuum pravorum, correctio flexerit ad misericor-

diosissimam propitiationem. *Paris. sub Ludov. & Loth. in præfat.*

CAPUT II.

Pœnitentia insignis est armatura, magna salutis via, hospitii regni cælorum dispensatrix, incorruptibilis viæ dux, martyriorum certaminum æquiparatio, ad Deum viam indicans, & cum ipso nos esse faciens, humani generis baculus, cadentium, & lapsum surrectio. Beati qui hanc amplectuntur, & huic adhærent: qui hanc exercent, cum Angelis vitam æqualem ducunt, ab omni malo declinant, & bonum faciunt. Pœnitentia est columna, & familiaris dilectionis, elemosynæ, jejunii, abstinentiæ, temperantiæ, probitatis, honestatis, mansuetudinis, & ut verum uno verbo dicam, hæc omnia pollet pœnitentia. Si quis autem hanc contaminat, & contemnit, non inter servatos, sed inter perditos numerandus est, quorum vermis non moritur, & ignis non extinguitur. *Taras. ante VII. Syn. post al.*

Esai. 66. Mart. 9.

TITULUS II.

DE CONTRITIONE.

CAPUT I.

Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum. Christus apud Matth. cap. 4. num. 17. & Joannes Baptista apud eundem Matth. c. 3. num. 2.

CAPUT II.

Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Christus apud Luc. c. 13. num. 3.

CAPUT III.

Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Ecclesiastici c. 5. num. 8. Pontian. epist. 2. ad fin. Eutychian. ep. 1. post med.

CAPUT IV.

Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita vivet, & non morietur. Ezech. c. 18. num. 21.

CAPUT V.

Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in vultum iniquitas. Proiicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum, & quare moriemini domus Israel? Ezech. c. 18. num. 30.

CAPUT VI.

Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat. Eccl. c. 33. num. 11.

CAPUT VII.

Anima, quæ tristis est super magnitudine mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam, & iustitiam Domino. Baruch c. 2. n. 18.

CAPUT VIII.

Nunc ergo dicit Dominus: convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunijs, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit si convertatur, & ignoscatur. Joel c. 2. num. 12.

CAPUT IX.

Abicienda prorsus est e corde omnis intrinsecus, quæ latet, amaritudo peccati, si qua forte ex desiderijs iniquis, velut ex cibis noxijs congregata est, quam utique cum evomuerit, quis abjecerit, ingentis agritudinis liberabitur morbo, si tamen post vomitum, quæ ad sanitatem pertinent, sumat. Clem. epist. 1. ante med.

CAPUT X.

Pœnitentiam (inquit Petrus) & veram agite pœnitentiam. Clem. ep. 1. ante med.

CAPUT XI.

Incertum est etiam juvenibus vitæ tempus, senibus autem certum est breve esse. Ideo tam juvenes, quam senes oportet de conversione, & pœnitentia valde esse sollicitos, & ut ornent se

dogmatibus veritatis, decore pudicitia, splendore iustitiæ, candore pietatis, aliisque omnibus, quibus comptam esse decet rationabilem mentem. Clem. epist. 1. ante med.

CAPUT XII.

Salutem homini adimit quisquis mortis tempore pœnitentiam denegat, & desperat de clementia Dei, qui eam * ad subveniendum morienti sufficere, vel in momento posse non credit. Perdidisset latro in cruce præmium, ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentiæ non juvisset. Cum esset in pœna pœnituit, & per unius sermonis professionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positurorum, mente potius est æstimanda, quam tempore, Propheta hoc taliter asserente: Cum conversus, ingemueris, tunc salvus eris. Celestin. ep. 2. c. 2. vide Tribur. sub Arnulph. c. 31. in fin. Magunt. sub Rabano c. 27. Vormat. c. 80. Raban. in Pœnit. c. 38. Burch. lib. 18. c. 22. Ivo part. 15. cap. 44. Anselm. lib. 11. c. 19. Tarrac. lib. 6. c. 55.

CAPUT XIII.

Pœnitentiam vere agere, est commissa flere, sed iterum plangenda declinare. Gr. lib. 9. regi. stri epist. 39. ad Theodistam in fin. & in homil. 34. evang. Ivo part. 15. c. 1. decret.

CAPUT XIV.

In die sextæ feriæ passionis Domini oportet mysterium crucis prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum præstolari, ut pœnitentiæ compunctione mundati venerabile festum dominicæ resurrectionis, remissis iniquitatibus, suscipere mereamur, corporisque ejus, & sanguinis sacramentum mundi a peccato fumamus. Tolet. IV. c. 6.

CAPUT XV.

Mentem, & corpus, quæ libido traxit ad culpam, affligio, & contritio debet reducere ad veniam. Cabil. sub Carolo c. 36. in fin. Capitul. lib. 7. c. 62. in addit. Ivo part. 16. c. 336. decret.

CAPUT XVI.

Cum post abrenuntiationem (is, qui baptismum suscepit) quibuslibet illecebris vitiorum illectus ad ea, quibus renuntiavit, redit, necnon & post tantæ fidei perceptionem, in apostasiam, aut infidelitatis, aut hæreticæ pravitatis, aut fraterni schismatis prolabitur, proculdubio utriusque pactionis transgressor efficitur, quarum altera, quia baptismi iteratione nequit, pœnitentiæ lamentis, eleemosynarum largitionibus, cæterisque bonorum operum exhibitionibus dilui potest. Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 9.

CAPUT XVII.

Pœnitentia porro non in multitudine annorum, sed potius in contritione cordis, & corporis est æstimanda. Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 46. post med.

CAPUT XVIII.

Tribus modis peccata mortalium vindicantur, duobus in hac vita, tertio in futura vita. De duobus ita Apostolus inquit: Si nosmetipsos judicaverimus, a Domino non judicabimur. Hæc est vindicta, quam inspirante Deo omnis peccator pro

26. q. 6. 7.
15. Agnoscim.
* eam, al.

Luc. c. 23. f.

Ezech. 18.
& 33.

De pœnit.
d. 3. c. 1.

11. c. 1.

1. Cor. 12.

pro suis admittis pœnitendo, in se ipso vindicat.
Aquisgr. sub Pipino lib. 1. c. 1.

CAPUT XIX.

In commune deseruimus cultum Dei, quidam ex nobis mandata Dei, & minas ejus, atque promissiones cognoscimus, sed non timemus, neque amamus: quidam neque cognoscere dignamur, & utrique sumus in magno periculo, nisi convertamur, antequam moriamur. Mors nostra incerta est unicuique nostrum, & certa est vindicta Dei, & in proximo, nisi conversio, & pœnitentia nobis subveniat. *Tullen. in ep. ad Rotberum, & socios.*

CAPUT XX.

Reparemus nos per pœnitentiam, & confessionem, & per eleemosynas, unusquisque secundum possibilitatem suam, & quantum quisque recognoscit se a Deo aruisse per culpas, tantum bibat compunctionis suæ lachrymas, &c. *Pisten. cap. 1.*

CAPUT XXI.

Considerantes nos omnium operum, & sermonum, insuper cogitationum reddituros esse rationem, &c. dum adhuc vacat, dum adhuc Judex sustinet, dū adhuc, qui offensus est, peccata nostra propter pœnitentiam dissimulat, & ut ab ejus severitate ad illius bonitatem revertamur, blanditiis, & minis clamat, non obduremus corda nostra, sicut hætenus, & patres nostri, & nos egimus: *peccavimus enim cum patribus nostris, injuste egimus iniquitatem fecimus.* Jam nunc ergo reversi ad conscientias nostras, & mala, quæ gessimus, judicantes vera, & pura confessione confiteamur Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus: *Procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, qui benignus, & misericors est, præstabilis super malitia, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Si igitur ex toto corde conversi ad Dominum veram pœnitentiam, fructusque pœnitentiæ dignos fecerimus, crebris, & sanctis instantes jeuniis, vigiliis castis, illique bene complacitis, & orationibus salso lachrymarum imbre perfusis cum eleemosynis justis, cæterisque misericordiæ, & charitatis operibus, atque profiteamur nos ad pristina impietatum nostrarum scelera numquam reddituros juvante ejus gratia, sine qua nihil possumus si in istis perseveraverimus, satisfaciendo Deo, & ecclesiæ de præteritis peccatis per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, & per contriti cordis sacrificium, cito ejus, qui cor contritum, & humiliatum non spernit, & cui proprium est misereri, & parcere, misericordiam consequamur: cito dicimus, quia apud benignum Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris. *Troslejan. c. 15.*

CAPUT XXII.

Primus felicitatis gradus est, non delinquere: secundus, delicta cognoscere, illic currit innocentia integra, & illibata, quæ servet, hic succedit medela, quæ sanat. *Cyprian. in epist. longa 58. ad Cornel. cujus initium est: Legi litteras tuas, post med. vel lib. 1. epist. 3.*

CAPUT XXIII.

Omnem iniquitatem bonus Dominus remittit, si quispiam ex toto corde pœnituerit. *Taras. Episc. CP. apud VII. Synod. act. 4. in med.*

TITULUS III.

DE CONFESSIONE.

CAPUT I.

Insufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* *Christus apud Joann. c. 20. n. 22.*

CAPUT II.

Præcipimus tam in cathedralibus, quam in aliis conventualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores, & cooperatores habere non solum prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac ceteris, quæ ad salutem pertinent animarum, &c. *Innoc. III. in concil. gen. Later. c. 19.*

CAPUT III.

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in pascha Eucharistiæ sacramentum, &c. alioquin, & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantia cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit solvere, vel ligare. Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus fauciat, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, & cujusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodatur aliquatenus peccatorem, sed si prudentiori consilio indigerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentia iudicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum. *Innoc. III. in concil. gener. Later. cap. 21.*

CAPUT IV.

Cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domine languido: *vade & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Statuimus, & districte præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, quod medicos advocent animarum, ut postquam infirmis fuerit de spiritali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubris procedatur, cum causa cessante cesset effectus.

De offic. Jud. ord. c. 15. Inter cætera Greg. IX. c. 3. eod. tit. in 4. coll.

De pœnit. c. 12. Gr. IX. c. 2. eod. tit. in 4. coll.

De pœnit. c. 12. Gr. IX. c. 4. eod. tit. in 4. coll. Joann. 5.

Deus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum hujus nostræ constitutionis, postquam per prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter. *Innoc. III. in concil. general. Later. cap. 22.*

CAPUT V.

Nullius confessio, nisi perfecta fuerit, recipiatur. *Urban. II. in concil. Claromont. cap. 21. c. 22.*

CAPUT VI.

Si forte alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irreperit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præest, ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur, quo possit integra fide, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia pervenire. *Clem. ep. 1. post princ.*

CAPUT VII.

Instruebat (*Petrus Apostolus*) actus suæ vitæ omni hora custodire, cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, & sacerdotibus Domini manifestare. *Clem. epist. 1. ante finem. Theodulph. ad presbyt. Aurelian. cap. 21.*

CAPUT VIII.

Illam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi modis omnibus constituo submoventi, de pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere, libellis scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta, quam vis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam poscunt non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referare, quibus possunt legum constitutione percelli, sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentiam precator accedit, tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. *Leo epist. 78. cap. 2. ad Episcop. Campaniæ. Burch. lib. 19. c. 159. Ivo part. 15. cap. 167. decret. Anselm. lib. 11. cap. 25.*

CAPUT IX.

Scienti peccare necessaria confessio est. *Horm. epist. 5. ad Episc. Hispaniæ in med.*

CAPUT X.

Non odit Deus peccantem, & confitentem, sed peccantem, & negantem. *Zach. epist. 5. ad Bonif. prope fin.*

CAPUT XI.

Cum in prælium proficisci disponitis, quo ipsi commemorastis, agere in Dei nomine non omitte, id est ad ecclesias ire, &c. confessionem delictorum sacerdotibus facere, reconciliationem, & communionem percipere. *Nicol. ad consult. Bulgar. c. 35.*

CAPUT XII.

De confessore mentionem facit. *Tolet. cap. 6. c. 9.*

CAPUT XIII.

Pœnitentiæ locus omnibus pateat, qui conversi errorem suum voluerint confiteri. *Andegav. cap. 13.*

CAPUT XIV.

De pœnitentia peccatorum, quæ est medela animæ, utilem omnibus hominibus esse censemus, & ut pœnitentibus a sacerdotibus facta confessione, indicatur pœnitentia, universitas sacerdotum noscitur consentire. *Cabil. c. 8.*

CAPUT XV.

In exercitu unusquisque præfectus unum presbyterum habeat, qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicare pœnitentiam possit. *Franc. syn. post princ.*

CAPUT XVI.

Episcopis, & presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi ascribant, &c. *Turon. sub Carolo c. 22.*

CAPUT XVII.

Quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plane id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet, & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet, ut & ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat, quia aut cogitatione, aut quod est gravius, opere eorum instinctu peccavit, odium etenim, invidia, superbia, vel ceteræ hujuscemodi animæ pestes tanto periculosius lædunt, quanto subtilius serpunt. *Cabil. sub C. irol. c. 32. Capitul. lib. 7. cap. 56. in addit. Burch. lib. 19. c. 34. Ivo part. 15. c. 52. decret.*

CAPUT XVIII.

Quidam solummodo Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam sit ecclesiam, ita dumtaxat & Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum David dicamus: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniquitiam meam non abscondi: dixi confitebor adversum me iniquitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et secundum institutionem Apostoli, confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro invicem, ut salvemur. Confessio itaque quæ Deo fit purgat peccata: ea vero quæ sacerdoti fit, docet, qualiter ipsa pur-

gen-

De pœnis. d. 1. c. 88.

Exod. c. 61.

De pœnit. d. 1.

Psal. 31.

Jacob. 5. d.

Peccata deleri possunt per contritionem, sed ea de jure divino tenemur sacerdoti confiteri.

gentur peccata. Deus namque salutis, & sanitatis auctor, & largitor, plerumque hanc præbet suæ potentia invisibili administratione, plerumque medicorum operatione. *Cabil. sub Carolo c. 33. Capitul. lib. 7. c. 58. in addit. Burch. lib. 19. c. 145. Ivo part. 15. c. 155. decret.*

CAPUT XIX.

Qui peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parochiis, confessi sunt, & ab his agenda pœnitentia consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina, vel quorumlibet sanctorum invisere desiderant, horum est devotio omnibus collaudanda. *Cabil. sub Carolo c. 45. in fin. Burch. lib. 19. c. 51. Ivo part. 15. c. 65. decret.*

CAPUT XX.

Inter litanias, & exomologeses hoc differt, quod exomologeses pro sola peccatorum confessione agantur, litania vero indicantur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una designatione habetur. *Magunt. cap. 32.*

CAPUT XXI.

Ventilata est ratio pœnitentia, ut sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones recipere, & pœnitentiam secundum canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare. *Rhemens. cap. 12. Burch. lib. 19. cap. 96. Ivo part. 15. c. 108. decret. & Pœnit. Rom. tit. 9. c. 22.*

CAPUT XXII.

Episcopi, & presbyteri examinent, qualiter confitentibus peccata dijudicent, & tempus pœnitentia constituent. *Rhemens. cap. 16. Burch. lib. 19. cap. 98. Ivo part. 15. cap. 110. decret. & Pœnitent. Rom. tit. 9. cap. 19.*

CAPUT XXIII.

Quoniam multi sacerdotum partim incuria, partim ignorantia modum pœnitentia reatum suum confitentibus secus, quam jura canonica decernant, imponunt, utentes scilicet quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos pœnitentiales vocant, & ob id non vulnera peccatorum curant, sed potius foventes palpant, &c. Visum est, ut unusquisque Episcoporum in sua parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulterius sacerdotes imperiti homines decipiant, &c. Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt, qualiter & confitentium peccata discrete inquirere, eisque congruum modum secundum canonicam auctoritatem pœnitentia noverint imponere, quoniam hætenus eorum incuria, & ignorantia multorum flagitia remanserint impunita, & hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non est. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 32. Vide Cabilon. sub Carolo cap. 38.*

CAPUT XXIV.

Cum miseria humana multifariis fragilitatis suæ excessibus creatoris sui incomparabilem dulcedinem sæpissimæ ad amaritudinem provocet, tunc gravius, sceleratiusque in eum delinquit,

quando contra naturam peccat, &c. Quisquis tanti sceleris patratorem se esse meminit, dum tempus acceptabile, diesque salutis existit, per confessionem & pœnitentia satisfactionem sibi consulere non differat. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 34.*

CAPUT XXV.

Si sacerdotibus sanctimonialia peccata sua confiteri voluerint, id non nisi in ecclesia coram sancto altari, adstantibus haud procul testibus, faciant; si autem infirmitas præpedierit, ut in ecclesia eadem confessio fieri nequeat, in quacumque domo facienda est, non nisi testibus similiter haud procul adstantibus fiat. Nullo modo quippe videtur nobis convenire ut monachus relicto monasterio suo idcirco sanctimonialium monasteria adeat, ut confitentibus peccata sua modum pœnitentia imponat. Nec illud etiam nobis videtur congruum, ut clerici, & laici Episcoporum, & presbyterorum canonicorum judicia declinantes, monasteria monachorum expectant, ut ibi monachis sacerdotibus confessionem peccatorum suorum faciant, præsertim cum eisdem sacerdotibus monachis id facere fas non sit, exceptis his dumtaxat, qui sub monastico ordine secum in monasteriis degunt. Illis namque est confessio peccatorum facienda, a quibus subinde, & modus pœnitentia, & consilium salutis capiatur, ut a quibus post tempora pœnitentia peracta, secundum canonicam institutionem, si Episcopus jusserit, reconciliatio mereatur. *Paris. sub Lud. & Loth. lib. 1. cap. 46. post princ.*

CAPUT XXVI.

Presbyterorum, qui præfunt ecclesie Christi, ministerium esse videtur, ut de omnibus hominibus, qui ad eorum ecclesiam pertinent, per omnia curam gerant, &c. Si (aliquis) infirmitate depressus fuerit, ne confessione, atque oratione sacerdotali, necnon unctione sanctificati olei per ejus negligentiam careat. *Aquisgr. II. sub Lud. part. 3. cap. 5.*

CAPUT XXVII.

Ab infirmis in mortis periculo positis per presbyteros pura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentia, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studiis pondus pœnitentia sublevandum. *Magunt. sub Raban. cap. 26. Burch. lib. 18. cap. 14. Ivo part. 15. cap. 36. decret. Casar. lib. 15. cap. 26. Pœnit. Rom. tit. 9. cap. 7.*

CAPUT XXVIII.

Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & digne pœnitentibus communicatio in fine secundum canonicum jussu danda est, cur non etiam eis, qui pro suis peccatis pœnam extremam persolvunt? *Magunt. sub Raban. c. 27. Vormac. cap. 79. al. 80.*

CAPUT XXIX.

Reparemus nos per pœnitentiam, & confessionem, & per eleemosynas, unusquisque secundum possibilitatem suam, & quantum quisque recognoscit se a Deo aruisse per culpas, tantum bibat compunctionis suæ lacrymas, &c. *Pisten. cap. 1. post med.*

CAPUT XXX.

Si fur, vel latro vulneratus elabatur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis, habitu corporis, & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque & sacerdoti, comite vita, emendatione morum, & actuum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam. *Tribur. cap. 31.*

CAPUT XXXI.

Cum sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quamcitus ad eum pergat, &c. & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blande, leniterque alloquatur, ut omnem spem in Deo ponat, ut flagellum Dei patienter toleret, ut hoc ad purgationem, & castigationem suam provenire credat, ut peccata sua confiteatur, ut emendationem promittat, si Dominus vitam concesserit, pœnitentiam pro culpis commissis spondeat, ut substantiam suam dum adhuc sensus, & ratio in eo vigent, disponat, ut peccata sua elemosynis redimat, ut his, qui in se peccaverunt, indulgeat, &c. Cum his, & hujuscemodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, data benedictione, recedat sacerdos, non post multum reversurus, detque locum, ut ægrotus de peccatis suis possit cogitare. *Nanner. cap. 4.*

CAPUT XXXII.

Infirmus, qui necessitate mortis urgente, confitetur peccata sua, sub ea conditione a sacerdote reconcilietur, ut si ei Dominus vitam donaverit, sanitatemque reddiderit, secundum qualitatem delicti, omnibus pœniteat. *Nanner. cap. 5. Burch. lib. 18. cap. 3.*

CAPUT XXXIII.

De exomologesi, & de satisfactione. *Cyprian. lib. 1. epist. 3. longa ad Corn. cuius initium est: Legi litteras tuas, vel 55.*

CAPUT XXXIV.

Amplector prompta, & plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili, & simplici confitentes. *Cyprian. lib. 1. epist. end. ad Cornel. ante fin.*

CAPUT XXXV.

Qui uniuscujusque peccatorum fuit conscius, & non confessus, sed convictus est, tanto tempore quanto malorum effectorum punitus est, ipse quoque punietur. *Basil. ad Amphilocho. c. 70.*

CAPUT XXXVI.

Si unusquisque eorum, qui in peccatis fuere, confessus, bonus evaserit, & is, cui a Deo benignitate ligandi, & solvendi credita est potestas, si sit clementior, videns summam ejus, qui peccavit, confessionem ad diminuendam pœnarum tempus, non est dignus damnatione: cum, quæ est in scripturis, nobis historia significet, quod, qui cum majori labore confitentur, Dei misericordiam celeriter apprehendant. *Basil. ad Amphilocho. cap. 73.*

CAPUT XXXVII.

Qui ex se ipso ad sua proferenda peccata impullus est, eo quod sua sponte occultorum accusator esse voluerit, ut qui jam affectioni medicinam adhibere cœperit, & signum in id, quod est melius, mutationis ostenderit, in mitioribus pœ-

Tom. VI.

nis versatur. Qui autem in malo deprehensus est, vel propter aliquam suspicionem, vel accusationem ingratu convictus est, longius illi conversionis tempus datur, ut ipse perfecte purgatus, sic ad sacramentorum communionem admittatur. *Greg. Nyssen. epist. canonica, cap. 4.*

CAPUT XXXVIII.

Multi precibus opus habemus o pater! multa enim mala fecimus, quin etiam continua pœnitentia, & confessione indigemus. *Nicephorus Episcopus Dyrrachii in syn. VII. gen. act. 4. in med.*

CAPUT XXXIX.

Vicarii senioris Romæ dixerunt: Fecisti confessionem, & accepisti pœnam de peccato illo te pœnitens: Theodorus dixit etiam. Sanctissimi Vicarii dixerunt: Cui confessus es, & a quo accepisti epitimium. Theodorus dixit: Qui dedit mihi epitimium, defunctus est. Sanctissimi Vicarii senioris Romæ dixerunt. Quis vocabatur? Theodorus dixit: Nescio, Abbas erat, &c. Sanctissimi Vicarii dixerunt: Et custodisti epimonia? Theodorus dixit: Si vult Deus, custodivi ea, quia christianus sum. *Synod. gener. VIII. sub Hadr. II. action. 9. in medio.*

CAPUT XL.

Si quis perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato timens pœnitentiæ longam arduam, ad confessionem venire noluerit, ab ecclesia repellendus est, sive a communione, & confortio fidelium; ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque in sua eum domo recipiat. *Theodulph. ad presbyt. Aurelian. cap. 26.*

CAPUT XLI.

Confessio, quam sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum adfert, quia accepto ab eis salutare consilio saluberrimis pœnitentiæ observationibus, sive mutuis orationibus peccatorum maculas diluimus. Confessio vero, quam soli Deo facimus, in hoc juvat, quia quanto nos memores sumus peccatorum nostrorum, tanto horum Dominus obliviscitur, & e contrario, quanto nos horum obliviscimur, tanto Dominus reminiscitur. *Theodulph. ad presbyt. Aurel. c. 30.*

CAPUT XLII.

Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis, quæ sive in opere, sive in cogitatione perpetrantur. Octo sunt principalia vitia, sine quibus vix ullus inveniri potest, est enim *Gastrimargia*, hoc est ventris ingluvies, secundum fornicatio, tertium Accidia, sive tristitia, quartum Avaritia, quintum Vana gloria, sextum Invidia, septimum Ira, octavum Superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri, quo modo, aut qua occasione peccatum perpetraverit, quod peregrisse se confitetur, & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei persuaderi, ut de perveris cogitationibus faciat confessionem, debet ei etiam injungi de octo principalibus vitiis faciat suam confessionem, & nominatim debet ei sacerdos unumquodque vitium dicere, & suam de eo confessionem accipere. *Theodulph. ad presbyt. Aurel. cap. 31. vide Burch. lib. 19. cap. 6. Pœnit. Rom. tit. 9. cap. 16. Beda cap. 5. de remed. peccat. Cassian. lib. 5.*

L I

cap.

cap. 1. de institut. cœnobior. & collat. 5. cap. 2.
 & 16. & fragment. Caroli, siue Amilarii.

CAPUT XLIII.

Si quis in lecto vitiorum suorum jacet, & morbo iniquitatis suæ laborat, & funibus peccatorum suorum constrictus est, & vitiorum suorum oblitus pariete, in tenebris iniquitatis suæ, est infirmus quidem, sed si de lecto vitiorum per confessionem egreditur, & per pœnitentiæ lamenta vinculis peccatorum absolvitur, & ad lucem bonorum operum egreditur, infirmum, & in carcere positum se proculdubio visitat. *Theodulph. ad presbyt. Aurel. cap. 32.*

CAPUT XLIV.

Hebdomada una ante initium quadragesimæ confessiones sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentiæ accipiendæ, discordantes reconciliandi, & omnia jurgia sedanda, & dimittere debent debita invicem de cordibus suis, &c. *Theodulph. ad presbyt. Aurel. cap. 36.*

TITULUS IV.

DE SATISFACTIONE.

CAPUT I.

Facite fructum dignum pœnitentiæ, &c. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Joann. Bapt. apud Matt. c. 3. num. 8. & 10.*

CAPUT II.

Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiæ in salutem stabilem operatur. *Paul. ep. 2. ad Corinth. c. 7. num. 10.*

CAPUT III.

Si aliqui (*Episcopus*) lacerare, accusare, aut infestare præsumperint, excommunicentur, & minime absolvantur, antequam per satisfactionem, ut jam dictum est, condignam egerint pœnitentiæ. *Anaclet. ep. 2. cap. 2. Troslejan. c. 5. Ivo lib. 4. tit. 5. c. 5. panorm. & part. 5. c. 238. decret. Anselm. lib. 3. c. 36.*

CAPUT IV.

Statuimus pari voto, parique consensu, ut unusquisque nostrum dictis, & exemplis plebes parochiæ suæ attentius ad meliora incitare studeat, easque ut se a malis cohibeant, & ad Dominum ex toto corde convertant, sollicitè admoneat: Deumque, quem peccando sibi iratum fecerant, digna pœnitentiæ satisfactione, & eleemosynarum largitione sibi placabilem facere satagent. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 5.*

CAPUT V.

Pœnitentiæ porro non in multitudine annorum, sed potius in contritione cordis, & corporis est æstimanda. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 46.*

CAPUT VI.

Pari consensu decrevimus, ut unusquisque nostrum in parochia sua dictis, & exemplis plebes sibi subjectas ad meliora incitare studeret, easque ut se a malis cohiberent, & ad Deum ex toto corde converterent, sollicitè admoneret, Deumque, quem peccando sibi iratum fecerant, digna pœnitentiæ, satisfactione, & eleemosynarum largitione sibi placabilem facere satagerent. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 3. c. 1.*

CAPUT VII.

Quantum quisque recognoscit se a Deo aruisse per culpas, tantum bibat compunctionis suæ lacrymas, & tunc proficiet in aqua ista, quas facimus, firmitates, si per bona opera restruxerimus, quas in nobis distraxerunt peccata, virtutum munitiones, quæ & tunc proficiet, si mala, quæ fecit quis prius, pro ut poterit, emendaverit, aut rapta solvendo, aut per indulgentiam deprecando, atque mala cetera per dignam pœnitentiæ abolendo, & tunc proficiet, si in ante custodierit, ne de illis se sordidet, de quibus se emendavit, quia scriptum est: *Lavamini, mundi estote, auferte malum, &c. Pisten. c. 1. Esaiæ 1.*

CAPUT VIII.

Si ex toto corde conversi a Domino veram pœnitentiæ, fructusque pœnitentiæ dignos fecerimus, crebris, & sanctis instantes jejuniis, vigiliis castis, illique bene complacitis, & orationibus falso lachrymarum imbri perfusis, cum eleemosynis justis, ceterisque misericordiæ, & charitatis operibus, atque profiteamur nos ad pristina impietatum nostrarum scelera numquam redituros juvante ejus gratia, sine qua nihil possumus, si in istis perseveraverimus satisfaciendo Deo, & ecclesiæ de præteritis peccatis per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, & per contriti cordis sacrificium, cito ejus, qui cor contritum, & humiliatum non spernit, & cui proprium est misereri, & parcere, misericordiam consequemur, cito dicimus, quia apud benignum Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris. *Troslejan. c. 15.*

CAPUT IX.

Nosmet hic ante sanctam hanc synodum proicimus, profitentes etiam accepturos nos esse libenter a sanctissimo summo sacerdote nostro episcopium definitum. *Libell. quorundam Episc. pœnitentium apud synod. gen. VIII. act. 2.*

CAPUT X.

De satisfactione, siue pœnitentiæ, quæ olim singulis peccatorum generibus erat præscripta. *Vide in III. parte de pœnis peccatorum.*

TITULUS V.

DE EFFECTU PŒNITENTIÆ.

CAPUT I.

Sacro approbante Concilio definimus, ut ita cruce signati se præparent, quod in Kal. Jun. &c. timorem, & amorem semper habeant divinum ante oculos, ne quid dicant, aut faciant quod divinam majestatem offendant, & si aliquando lapsi fuerint in peccatum, per veram pœnitentiæ mox resurgant, gerentes humilitatem cordis, & corporis. *Innoc. III. in concil. gener. Later. c. ult.*

CAPUT II.

Omne peccatum pœnitentiæ, quæ non nisi Dei gratia comitante proficit, omnino diluitur, nam Dominus primum Petrum respexit, & tunc Petrus ad lacrymas sese convertit. *Nicol. ad consult. Bulg. c. 16.*

CAPUT III.

Quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum mul-

2. q. 7. Ac-
 eufatio cap.
 15. in fin.

multa cogitantem, & fragilitas humana post baptismi gratiam peccatorum fordidatur illecebris, eademque peccata baptismatis iteratione nequaquam deleri possunt, necesse est, ut pœnitentiæ lamentis, & eleemosynarum largitionibus, & ceteris bonorum operum executionibus, quam celerissime deleri procurentur. *Aquisgr. c. 114.*

CAPUT IV.

Magna peccata, quæ non deleverimus per pœnitentiam, compellent nos sustinere æternam vindictam. *Tullen. in epist. ad Rothbertum, & alios in fin.*

CAPUT V.

Unusquisque christianus credat in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, &c. Et quod ejus dono in ecclesia Christi per pœnitentiam, & per sacerdotale ministerium incunctanter peccatorum detur indulgentia. *Troslejan. c. 15.*

CAPUT VI.

Hebdomada una ante initium quadragesimæ confessiones sacerdotibus dandæ sunt, &c. Et sic ingredientibus in beatæ quadragesimæ tempus, mundis, & purificatis mentibus ad sanctum pascha procedant, & per pœnitentiam se renovent, quæ est secundus baptismus, sicut enim baptismus peccata, ita pœnitentia purgat, & quia post baptismum peccator denuo non potest baptizari, hoc medicamentum a Domino pœnitentiæ datum est, ut per eam vice baptismi, peccata post baptismum diluantur. *Theodulph. ad presb. Aurel. c. 36.*

TITULUS VI.

DE POTESTATE SACERDOTIS, ET DE ABSOLUTIONE.

Vide in Part. I. Lib. VI. Tit. IV. quibus adde:

CAPUT I.

Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in celo. *Christus apud Matth. c. 18. num. 18.*

CAPUT II.

Inflavit, & dicit eis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* *Christus apud Joann. c. 20. num. 23.*

CAPUT III.

Matth. 18. Joann. 20. Quorum dimiseritis peccata, dimittuntur eis, & quorum alligaveritis, alligata erunt, id est, quibus ecclesiam interdixeritis, nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis & janua regni cælestis clausa erit. *Eusychian. epist. 2. ante med.*

CAPUT IV.

De pœnit. d. 1. c. 49. Multiplex misericordia Deita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ repararetur æternæ, ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinæ bonitatis præsidii ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri, mediator enim Dei & hominum Deus & homo Christus Jesus hanc præpositis ecclesiæ tradi-

dit potestatem, ut & confitentibus satisfactionem pœnitentiæ darent, & eadem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cui utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec umquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit, dicens: *Ecce ego vobiscum* *Matth. 28. sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, ut si quid per servitutem nostram bono ordine, & grato impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum. Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo a munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nobis eorum, qui sic obierint, merita, actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit, ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus profit, & quod quibusdam tepidis, aut negligentibus accidit, nemo non metuat, multum enim utile, ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. *Leo ep. 89. in princ. Capitul. lib. 5. c. 55. Anselm. lib. 4. c. 56. & lib. 11. c. 11. Casar. lib. 15. c. 12.*

CAPUT V.

Notandum, quod quolibet genere blasphemantibus in Spiritum sanctum, si resipiscant, & corrigant, & hic eis, & in futuro sæculo remittatur, nec inde possit Domini nutare sententia, quæ circa tales utique permanentes permanere dicta est, non circa tales effectos. Quamdiu in hoc manent, tales sunt, quilibet non remittendum esse præfixum est; cum autem ab hoc recesserint, non tales efficiuntur, quilibet non remittendum esse prædictum est. Et ideo non talibus effectis potest & hic, & in futuro sæculo jam remitti, alioquin, quod absit, frustra videretur ecclesia hujusmodi sua reconciliatione suscipere. *Gelas. ep. 3. post med.*

CAPUT VI.

Si Episcopus ante damnati absolutionem obitu rapiatur, correctum, aut pœnitentem successori licebit absolvere. *Epaun. c. 28. Burch. lib. 11. c. 50. Ivo lib. 5. tit. 4. c. 7. panorm. & part. 14. c. 114. decret.*

CAPUT VII.

11. 9. 3. c. 40. Ipsi, id est, sacerdotibus proprie animarum curandarum sollicitudo commissa est, &c. Ipsi sunt ecclesiæ decus, ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur multitudo credentium. Ipsi januæ civitatis æternæ, per quas omnes, qui credunt, ingrediuntur ad Christum. Ipsi janitores, quibus datæ sunt claves regni cælorum: ipsi etiam dispensatores regis domus, quorum arbitrio in aula regis æterni dividuntur gradus, & officia singulorum. *Prosper lib. 2. de vita contemplativa cap. 2. apud Parisiens. sub Ludov. & Lothar. lib. 1. cap. 4.*

TITULUS VII.
DE INDULGENTIIS.

CAPUT I.

Cunctis fidelibus in remissionem peccatorum injungimus, ut tantis cladibus se viriliter opponant, & contra eos (*loquitur de hæreticis quibusdam, qui atroces injurias christianis inferebant*) armis populum christianum tueantur. Qui autem in vera pœnitentia ibi decesserint, & peccatorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ se non dubitent percepturos. Nos etiam de misericordia Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & ad Episcoporum, seu aliorum Prælatorum consilium, ad eos decertaverint expugnandos, biennium de pœnitentia injuncta relaxamus; aut si longiorem ibi moram habuerint, Episcoporum discretioni, quibus hujus rei cura fuerit injuncta, committimus, ut ad eorum arbitrium, secundum modum laboris, major eis indulgentia tribuatur. *Alex. III. in concil. Later. cap. 27.*

CAPUT II.

Catholici, qui crucis assumpto caractere ad hæreticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoque privilegio sint muniti, quod accedentibus in terræ sanctæ subsidium conceditur. *Innoc. III. in concil. gen. Later. cap. 3. in med.*

CAPUT III.

Quibusdam regularibus sedes Apostolica indulget, ut his, qui eorum fraternitatem assumpserint, tempore interdicti sepultura ecclesiastica non negetur. Hoc autem de illis confratribus intelligimus, qui adhuc manentes in sæculo eorum ordini sunt oblatis, &c. Ne si de quibuslibet confratribus fuerit intellectum, dissolvatur ecclesiastica disciplina. Certam tamen & ipsi remissionem obtineant ab Apostolica sibi sede concessam. *Innoc. III. in concil. gen. cap. 57.*

CAPUT IV.

Injungendo publicas pœnitentias, concedendo indulgentiarum litteras, Abbates assumunt ea, quæ sunt Episcopalis dignitatis. *Innoc. III. in concil. gen. Later. cap. 60.*

CAPUT V.

Cum ad sustentationem fratrum, & egenorum ad tale confluentium hospitale, propriæ non superant facultates, universitatem vestram moneamus, & exhortamur in Domino, atque in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis a Deo vobis collatis, pias elemosinas, & grata eis charitatis subsidia erogetis, &c. Ad hæc quia per indiscretas, & superfluas indulgentias, quas quidam ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedicatur basilica non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur, ac deinde in anniversario dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum, indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ

pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur, cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare. *Innoc. III. in concil. gen. Later. cap. 62.*

CAPUT VI.

Qui personaliter non accesserint in subsidium terræ sanctæ competentem conferant numerum bellatorum cum expensis ad triennium necessariis secundum proprias facultates, in remissionem peccatorum suorum, &c. Hujus remissionis volumus esse participes, non solum eos, qui naves proprias exhibent, sed etiam illos, qui propter hoc opus naves studuerint fabricare. *Innoc. III. in concil. gener. Later. in fin.*

CAPUT VII.

Nos igitur omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis, licet indigne, Deus ligandi, atque solvendi contulit potestatem, omnibus, qui laborem propriis personis subierint, & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti, & confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum (*loquitur de iis, qui ad subsidium terræ sanctæ se conferunt.*) Eis autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, juxta facultatem, & qualitatem suam, viros idoneos destinarint, & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus, & concedimus esse participes, juxta qualitatem subsidii, & devotionis affectum, omnes, qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congrue ministrabant, aut consilium, & auxilium impenderint opportunum. Omnibus etiam pie proficiscentibus in hoc opere in communi universalis synodus omnium beneficiorum suorum suffragium impartitur, ut eis digne proficiat ad salutem. Amen. *Innoc. III. in conc. gen. Later. in fin.*

CAPUT VIII.

Quicumque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione ad liberandum ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur. *Urban. II. in concil. Claromont. cap. 2.*

CAPUT IX.

Eis, qui ad Hierosolymam proficiscuntur ad christianam gentem defendendam, & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium suum præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos, familias, atque omnia bona eorum in beati Petri, & Romanæ Ecclesiæ protectione, sicut a domino nostro Papa Urbano statutum fuit, suscipimus. *Calixt. II. in concil. Roman. cap. 11.*

CAPUT X.

Si qualitas, & pœnitentis devotio fuerit approbata, indulgentiæ quoque remedio sit vicina, quorum tamen reconciliatio non per illam impositionem manus, quæ per invocationem sancti Spiritus fit, operatur, sed per illam, qua pœnitent-

*De her. c. 3.
Gr. IX. c. 2.
eod. tit. in 4.
coll.*

De priv. c. 24. Ut privileg. Gr. IX. c. 7. eod. tit. in 4. coll.

*De excess. pval. c. 12.
Greg. IX. c. unic. eod. tit. in 4. coll.*

De pœnit. c. 14. Gr. IX. c. 5. eod. tit. in 4. coll.

tentia fructus acquiritur, & sanctæ communio-
nis restitutio perficitur. *Vigil. epist. 1. cap. 3.*

CAPUT XI.

Abolutionem peccatorum tuorum, sicut ro-
gasti, auctoritate Principum Apostolorum Petri
& Pauli sulti, quorum vice quamvis indigni fun-
gimur, tibi mittere dignum duximus, si tamen
bonis operibus inhærendo, & commissos exces-
sus plangendo, quantum valueris, corporis tui ha-
bitaculum Deo mundum templum exhibueris.
*Greg. VII. epist. 34. Remed. Linconien. Episc.
lib. 1.*

CAPUT XII.

Quia in extremo videris positus, fraternæ com-
passione ducti, auctoritate B. Petri Apostolorum
Principis absolvimus te a peccatis tuis, & Do-
minum pro te exoramus, ut interventu beatorum
Apostolorum inter electos æternum merearis
confortium, &c. *Greg. VII. Leodicien. * Episc.
epist. 61. lib. 2. registr.*

* Leodien.

CAPUT XIII.

Ut Rodolphus regnum Teutonicorum regat,
& defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in
Regem, ad vestram fidelitatem ex parte vestra
dono, largior, & concedo omnibus sibi fideliter
adhærentibus abolutionem omnium peccato-
rum, vestramque benedictionem in hac vita, &
in futura, vestra fretus fiducia largior, &c. *In ex-
communicat. contra Henric. ad Episc. & Prin-
cipes Teutonicos post conc. Roman. ann. 7.*

CAPUT XIV.

Omnipotens Deus meritis beatæ Mariæ cæ-
lorum Reginae, per auctoritatem beati Petri
Apostolorum Principis mihi valde indigno com-
missam, te, tuosque omnes socios, qui justitiam
amatis, & beati Petri sedem diligitis, a cunctis
peccatis absolvat, & ad vitam æternam perdu-
cat. *Gregor. VII. Welfoni duci epistola 14. lib.
6. registr.*

CAPUT XV.

Auctoritate B. Petri Apostolorum Principis
nobis valde indignis commissa, indulgentiam o-
mnium peccatorum vestrorum promittimus, &
abolutionem cum benedictione concedimus, &c.
*Greg. VII. fratrib. monast. Massilien. epist. 15.
lib. 6. registr.*

CAPUT XVI.

Præcipiendo mandamus, ut eos, qui cum Ro-
berto duce, & Michaelæ Constantinopolitano
Imperatore transfretaturi sunt, diligentissime,
ut vestrum officium exigit, moneatis condignam
pœnitentiam agere, & rectam fidem, sicut decet
Christianos, circa illos servare in omnibus acti-
bus suis, timorem Dei, & amorem præ oculis ha-
bere, & in bonis operibus perseverare, sicque il-
los sulti nostra auctoritate, immo beati Petri po-
testate a peccatis absolvite. *Greg. VII. lib. 8. re-
gistr. epist. 6. Episcopis Apuliae, & Calabriae.*

CAPUT XVII.

Omnipotens Deus omnium rerum creator, &
rector, omniumque dignitatum ineffabilis dispo-
sitor, qui dat salutem Regibus, meritis altissimæ
dominæ genitricis Dei Mariæ, omniumque San-
ctorum, auctoritate beatorum Apostolorum Pe-

tri & Pauli, nobis licet indignis, per eos quali-
cumque commissa, te, tuosque fideles in Christo
ab omnibus peccatis absolvat, detque tibi victo-
riam de inimicis visibilibus, & invisibilibus, men-
tem tuam semper illuminet, & ejus bonitatem,
& humanam fragilitatem diligenter perspicien-
do, mundi gloriam despicias, & ad æternam, be-
ato Petro duce, pervenias. *Greg. VII. Alfonso Hi-
spaniarum Regi epist. 2. lib. 9. registr. in fin.*

CAPUT XVIII.

Quoniam (militibus templi) facultates pro-
pria non suppetunt, præsentibus litteris exoro,
quatenus inde sublevetur eorum inopia, populum
a Deo vobis commissum collectas facere moneatis.
Quicumque de facultatibus a Deo sibi colla-
tis, in ista secunda collecta se constituerint, eis-
que beneficium persolverint per annum, septi-
mam partem pœnitentiæ injunctæ, consilii de
beatorum Apostolorum Petri & Pauli meritis, in-
dulgemus. *Alex. III. in epist. ad Ducem Veneto-
rum post concil. Lateran. part. 44. cap. 5.*

TITULUS VIII.

DE RECIPIENDIS PECCATORI-
BUS, QUI PœNITENTIAM
AGERE VOLUNT.

Vide in Partis I. Lib. XI. Tit. VI. & VII.

CAPUT I.

SI qui voluerint venire ad ecclesiam catholi-
cam ex Novatianis, quando venerint ad ec-
clesiam catholicam, placuit sancto, & magno concilio,
ut impositionem manus accipientes, sic in
clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eos
scriptis convenit profiteri, quod catholice, &
apostolice ecclesie dogmata suscipiant, & se-
quantur, id est, & bigamis se communicare, &
his, qui in persecutione prolapsi sunt, erga quos,
& spatia constituta sunt, & tempora definita,
ita ut ecclesie catholice, & apostolice placita se-
quantur in omnibus. *Nicæn. cap. 8.*

1. q. 7. c. 8.

CAPUT II.

De Basilio Episcopo Ancyrano, & aliis reverfis
ab hæresi Iconomachorum. *Vide syn. Nicæn. II.
act. 2. & 3. in quibus hi omnes recipiuntur.*

1. q. 7. c. 4.
Convenien-
tibus.

CAPUT III.

Ad hanc sessionem venerunt, qui ceciderant
cum Photio Episcopi, presbyteri, diaconi, & sub-
diaconi, & proferentes libellos pœnitentiæ co-
ram synodo recepti sunt ab ea. *Synod. VIII. CP.
sub Hadrian. II. act. 2. in fin.*

CAPUT IV.

Si post susceptionem baptismi quisquam pro-
lapsus fuerit in peccatum, per veram pœniten-
tiam semper potest reparari. *Innoc. III. in concil.
gen. Later. c. 1.*

De summ.
Trin. c. 2.
Gr. IX. &
in 4. coll.

CAPUT V.

Si Episcopus, aut presbyter revertentem a pec-
cato non suscipit, sed eiicit, deponatur, quod
Christum offendit, qui ait, *Gaudium fit in celo
super uno peccatore pœnitente.* *Apost. c. 52. re-
fertur VII. syn. act. 1.*

Luc. 15.

CAPUT VI.

Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. Nos
enim tempore indigemus, ut aliquid maturius
agemus, nec præcipitemus consilia, & opera no-
stra,

d. 50. c. 14.
Ponderat.

fra, neque ordinem corrumpamus. Sed si aliquis lapsus quocumque modo fuerit, non perdamus eum, sed fraterno corripiamus affectu, sicut ait beatus Apostolus: *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tentaris, alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Porro sanctus David de criminibus mortiferis egit poenitentiam, & tamen in honore permanfit. Beatus quoque Petrus amarissimas lacrymas fudit, quando Dominum negasse poenituit, sed tamen Apostolus permanfit. Et Dominus per prophetam peccantibus pollicetur, dicens: *Peccator in quacumque die conversus ingemuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius.* Errant enim qui putant, Domini sacerdotes post lapsum, si condignam egerint poenitentiam, Domino ministrare non posse, & suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint, & suum sacerdotium condigne custodierint, & ipsi qui hoc putant, non solum errant, sed etiam contra traditas ecclesiae claves disputare, & agere videntur, de quibus dictum est: *Quaecumque solveritis in terra, erunt soluta & in caelo, &c.* Nos vero indubitanter tam Domini sacerdotes, quam reliquos fideles, post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus, testante Domino per prophetam: *Numquid, qui cadit, non adicies, ut resurgat? & qui aversus est, non revertetur?* & alibi: *Nolo (inquit Dominus) mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Et propheta David poenitentiam agens dixit: *Redde mihi laetitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Ipse namque per poenitentiam, & alios docuit, & sacrificium Deo obtulit, datus exemplum Doctoribus sanctae ecclesiae si lapsi fuerint, & condignam poenitentiam gesserint, utrumque facere posse, docuit enim quando dixit: *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Et sacrificium Deo pro se obtulit, dum dicebat: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Videns enim propheta scelera suamundata per poenitentiam, non dubitavit praedicando, & Domino libando, curare aliena. Lacrymarum ergo effusio movet animi passionem, satisfactione autem impleta avertitur animus ab ira, &c. Mundatur ergo homo a peccato, & refurgit gratia Dei lapsus, & in pristino manet officio, &c. Ignoras quoniam benignitas Dei, ad poenitentiam te adducit. *Callist. epist. 2. in fin. Burch. lib. 19. c. 42. Ivo lib. 3. tit. 11. cap. 16. panorm. & part. 6. c. 48. decret.*

CAPUT VII.

Quis enim aut tolerare possit errantem, aut non recipere corrigentem. Nam ut durum arbitror convenientiam praebere peccantibus, ita impium iudico, manum negare conversis. *Innoc. ep. 26. in princ. ad Milevit. concil.*

CAPUT VIII.

Orat ecclesia, ut lapsis poenitentiae remedium conferatur. *Calestin. ep. 1. c. 11.*

CAPUT IX.

26. q. 6. d. 13. Agnovimus poenitentiam morientibus denega-

ri, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere, quo se expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua credulitate, ne absoluta esse possit, occidere? cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitus ad poenitentiam, sic promittat: *Peccator, inquit, quacumque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei.* Et iterum: *Nolo mortem peccatoris, sed tantum convertatur, & vivat.* Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore speratam poenitentiam denegarit, & desperat de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere, vel in momento posse non credit. Perdiderat latro praemium in cruce ad Christi dexteram pendens, si illum unius horae poenitentia non juvisset, cum esset in poena poenituit, & per unius sermonis professionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positurum, mente potius est existimanda, quam tempore, Propheta hoc taliter asserente: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Cum ergo sit Dominus cordis inspector, quovis tempore non est deneganda poenitentia postulanti, cum ille se obliget Judici, cui occulta omnia noverit revelari. *Calest. epist. 2. ad Episcopos Galliae c. 2. Vormar. c. 80. Triburienf. c. 31. in fin. Rab. c. 38. de poenit. Burch. lib. 18. c. 22. Ivo part. 15. c. 44. decret. Anselm. lib. 11. c. 19. Tarrac. lib. 6. c. 55.*

CAPUT X.

Peccata quae postea male agendo committuntur, possunt & poenitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. *Leo ep. 84. ad Aquilejen. Episc. post med.*

CAPUT XI.

Multiplex misericordia Dei ita lapsis subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparatur aeternae, &c. *Leo epist. 69. in princ. ad Theodorum Forojulien. Episc. Capit. lib. 5. c. 55. Anselm. lib. 4. c. 56. & lib. 11. c. 11.*

CAPUT XII.

Poenitentia, quae dilata est, cum studiosius petita fuerit, non negetur, ut quoquo modo ad indulgentiae medicinam anima vulnerata perveniat. *Leo epist. 90. c. 8. ad Rust. Narbon. Episcop. Burch. lib. 19. cap. 123. Ivo part. 15. cap. 135. decret.*

CAPUT XIII.

Enarratis, quod populus ille, qui propter christianam religionem ad occidendum vos insurrexit, poenitentiam agere voluerit, & sacerdotes illi, qui inter vos advenae sunt, haec recipere recusarunt, nunc autem requiritis, quid de his agendum sit. Si quemadmodum asseritis, sponte poenitentiam agere volunt, non sunt prohibendi, sed per omnia poenitentiae submittendi, quam E-

Galat. 6.

Ezech. 18.

Mat. 6.

Hierem. 8.

Ezech. 33.

Psalm. 50.

Rom. 6. 2.

Ezech. 33.

Ibid. & c. 18.

Luc. 23.

Esai. 30. apud 70.

De poenit. d. 1. c. 49.

De poenit. d. 1. c. 62.

piscopus, vel presbyter ordinatus ab illo confideraverit, nam non suscipere poenitentes non est catholicorum, sed Novatianorum. *Nicol. ad consult. Bulg. c. 78.*

CAPUT XIV.

Multa de venia danda lapsis. *Cyprian. & alii lib. 1. ep. 2. ad Cornel.*

CAPUT XV.

Si ad tempus excommunicati clerici, quod adierunt coemeteria, & martyria haereticorum orationis, sanctitatis causa, poenituerint, & confessi fuerint peccata, recipiantur. *Laodic. c. 9.*

CAPUT XVI.

Scenicis, & mimis, & aliis huiusmodi personis, aut apostatis poenitentibus, & conversis ad Deum gratia, reconciliatio non negetur. *Carth. c. 46. G. Carth. III. c. 35. L. Afric. c. 12. L.*

CAPUT XVII.

Qui Episcopus ordinandus est, antea examine- tur, si natura sit prudens, &c. Quarendum etiam ab eo, si poenitentibus reconciliatis communicet, &c. *Carth. IV. c. 1. Burch. lib. 1. c. 8. Ivo part. 5. c. 62. decret.*

CAPUT XVIII.

Sacerdos poenitentiam imploranti absque personae acceptione, poenitentiae leges injungat. *Carth. IV. c. 74. Froslejan. c. 13.*

CAPUT XIX.

Poenitentiam desiderantibus, etiam clericis non negandam. *Araus. c. 4.*

CAPUT XX.

Poenitentiae locus omnibus pateat, qui conversi errorem suum voluerint confiteri. *Andegav. cap. 13.*

CAPUT XXI.

Ne ullus sine remedio, aut spe veniae ab ecclesia repellatur, neve ulli, si aut poenituerit, aut se correxerit, ad veniam redeundi aditus obstruatur, & si cuique forsitan discrimen mortis immineat, damnationis constitutae tempora relaxentur. Quod si agrotum accepto viatico revalescere fortasse contingit, statuti temporis spatia observare conveniet. *Ep. ann. c. 36.*

CAPUT XXII.

Si quis huiusmodi excessus (*vomitus Eucharistiae*) digna poenitentiae satisfactione desseverit, post quinquennium licebit illum communioni pristinae reformari, &c. *Tolet. XI. c. 11.*

CAPUT XXIII.

In coena Domini poenitentes ad percipienda corporis, & sanguinis dominici sacramenta reconciliantur. *Cabil. sub Carolo cap. 47. Capit. lib. 7. cap. 68. in addit. Burch. lib. 5. cap. 20. Ivo part. 2. c. 30. decret.*

CAPUT XXIV.

Ne cuilibet videatur onerosum, si sacerdos post lapsum, digne poenitens ad pristinos redeat honores. *Syn. Hibern. sub Leon. III.*

CAPUT XXV.

Nos talibus (*qui Episcopis mortem afferre audent*) si forte tandem aliquando, vel in ultimis suis resipuerint, tamque gravium admissorum veniam corde teus postulaverint, ne videamur eam, quae claudi non potest, januam pieta-

tis Dei obstruere velle, & de ejus misericordia aliquos, quod absit, desperare, immo ut ita dicatur, mortuis mortem addere, nequaquam poenitentiam denegari dicimus, cum Deum misericordem, & ad subveniendum miseris, ad benignitatis ejus portum confugientibus paratissimum credamus invitante omnes ad poenitentiam, atque per prophetam clamantem: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Quibus tamen poenitentiae modos, & tempora juxta qualitatem peccati dicimus decernenda. *Froslejan. c. 13.*

CAPUT XXVI.

Si vulneratus ad mortem quilibet de excommunicatis fuerit, vel infirmitate ad exitum correptus poenitentiam ex corde petierit, vel esse monachus quaesierit, poenitentia ejus suscipiatur quidem, & viaticum ei pro misericordia tribuatur, nullatenus tamen sepeliatur. *Lemov. act. 1. post canones concil. Bituric.*

CAPUT XXVII.

Gratum proculdubio, & per quam liberale apud Deum respicientes suscipere. *Tarras. act. 1. post princ. VII. synod.*

CAPUT XXVIII.

Novatus Romanae ecclesiae presbyter elatione quadam tumidus spem penitus lapsis salutis ademerat, etiam si digne poenitissent: ex quo & princeps haereseos extitit Novatianorum, qui ab ecclesia separati superbo nomine semetipsos catharos, id est mundos, appellant, &c. contra quem Cornelius, & Cyprianus, &c. *Euseb. lib. 6. c. 33. Eccles. histor.*

TITULUS IX.

NON ADMITTITUR POENITENTIA ILLIUS, QUI IN PECCATO PERSEVERAT.

CAPUT I.

Falsas poenitentias dicimus, quae non secundum auctoritatem sanctorum Patrum, pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicumque miles, & negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, cura graviori irretitus, ad poenitentiam venerit, vel qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscat se veram poenitentiam non posse peragere, per quam ad aeternam vitam valeat pervenire, nisi vel derelinquat negotium, vel officium deserat, & odium ex corde dimittat, bona, quae injuste abstulit, restituat, arma deponat, ulteriusque non ferat, nisi consilio religiosorum Episcoporum pro defendenda justitia. Ne tamen desperet, quidquid boni poterit facere, hortamur, ut faciat, ut omnipotens Deus cor illius illustret ad poenitentiam. *Greg. VII. in syn. Rom. IV. c. 6. Tarras. lib. 5. c. 50. & Poenit. Rom. tit. 9. c. 14.*

CAPUT II.

Admonemus omnes, qui aeternae damnationis poenas evadere, & verae beatitudinis gloriam cupiunt intrare, ut a falsis sibi caveant poenitentis, sicut enim falsum baptisma non lavat originale peccatum, ita post baptismum falsa poenitentia non delet nefas commissum. Ideoque valde necessarium est, ut qui se aliquod grave crimen

Ezech. 18. & 33.

De conf. d. 2. c. 90.

d. 22. c. 2.

26. q. 7. c. 6.

29. q. 6. c. 7. Qui recedunt, §. 1.

De poenit. d. 5. cap. 6.

De conf. d. 2. c. 17.

commisisse cognoscit, animam suam prudentibus, & religiosis viris committat, ut per veram pœnitentiam certam peccatorum suorum consequatur veniam. Hæc enim est vera pœnitentia, ut post commissum alicujus gravioris criminis, utpote meditati homicidii, & sponte commissi, seu perjurii pro cupiditate honoris, aut pecuniæ facti, vel aliorum his similibus, ita se unusquisque ad Dominum convertat, & relictis omnibus iniquitatibus suis, deinde in fructibus bonæ operationis permaneat: sic enim Dominus per Prophetam docet: *Si conversus fuerit impius ab omnibus iniquitatibus suis, & custodierit universa mandata mea, vita vivet, & non morietur.* In quibus verbis manifeste datur intelligi, quoniam qui aliena bona diripuit, & ea cum possit reddere, vel emendare noluerit, vel qui hujusmodi negotiationibus, aut officiis implicatus fuerit, quæ sine fraude, sine falsitate, sine invidia, sine deceptione fratrum exercere non possit, nec ad Dominum conversus, nec de perpetratis facinoribus veram pœnitentiam facere credendus est. Unde inter omnia vos hortamur, atque monemus, ut in accipiendis pœnitentiis non ad illos curratis, in quibus nec religiosa vita, nec est consulendi scientia, qui animas hominum magis ad interitum, quam ad salutem ducunt, teste veritate, quæ ait: *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt*, sed ad eos, qui religione, & scripturarum doctrina instructi viam veritatis, & salutis vobis ostendere valeant. *Gregor. VII. in concil. Rom. ann. 7. cap. 5.*

CAPUT III.

Ne aliquis laicus alterius sibi hæreditates usurpet. Quod si quis fecerit, nec reus satisfecerit, nullus sacerdos eum ad pœnitentiam interim admittat. Similiter & alium quemlibet, nisi perfectam confessionem fecerit, verbi gratia, ut si perpetrato homicidio manserit in adulterio, vel hujusmodi ad perfectam pœnitentiam minime recipi debere decretum est. *Urban. II. in concil. Clarom. c. 21. & 22.*

CAPUT IV.

Inter cetera unum est, quod sanctam maxime perturbat ecclesiam, falsæ videlicet pœnitentiæ. Confratres nostros, & presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus de solo uno pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur de alio. Unde scriptum est: *Qui totam legem observaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus*, scilicet quantum ad vitam æternam, sicut enim si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantum maneat, æternæ vitæ januam non intrabit. Falsæ etiam fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccatis agi nulla ratione prævalet, aut si odium in corde gestetur, aut si offensio * cuiuslibet non satisfaciatur, aut si offendentis offensio non indulgeat, aut si arma quis contra justitiam gerat. *Urban. II. in syn. apud Melfiam c. ult. In-*

noc. II. in syn. Rom. c. 16. al. 22. Cesar. lib. 5. c. 14. Pœnit. Rom. rit. 9. c. 15.

CAPUT V.

Nihil prodest homini jejunare, & orare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur, & ab obreccationibus lingua cohibeatur. *Pius epist. 1. ante fin.*

CAPUT VI.

Legatur, ex quo est religio christiana, vel certe detur exemplum in ecclesia Dei a quibuslibet Pontificibus, aut ab ipsis Apostolis, ab ipso denique Salvatore, veniam, nisi corrigentibus se fuisse concessam. Auditum tamen sub isto cælo, nec legitur omnino, nec dicitur, quod eorum voce depromitur: Date nobis veniam, dum tamen nos in errore duremus. *Gelas. in commonitorio ad Faustum post princ. Cesar. lib. 14. cap. 30. Tarrac. lib. 5. cap. 68. Ivo epist. 41. ad Udonem Dapiferum.*

CAPUT VII.

Illud autem nimis est impudens, quod Accacium veniam postulasse confingunt, & nos extitisse difficiles, &c. Certe proferatur iudicium, quando miserit, quando veniam postularit, correctionemque suam nobis promiserit exhibendam: nisi forte hunc animum gessit, quem successores ejus habere perspicimus, ut tamen, si veniam postulet, sic sibi vellet impendi, ut nihilominus in errore persisteret, ubi utique non tam a nobis recipi videretur, quam nos potius in suam traduceret pravitatem. Quem reatum se confessuros asserunt ante certamen? Si reatus est, utique corrigendus est, si corrigendum non putant, fallaciter si reatum perhibent profiteri, nisi quod est infelicius, cum & fatentur reatum, & non æstiment corrigendum. Illud quoque me redire libuit, quod ait, si necesse fuerit, veniam postulare: existimans nimirum, tunc se peccati veniam necessario postulare, si ei concedamus, ne peccare desistat, immo etiam, quod absit, cum eodem consentiamus nos quoque peccare. Nescio inter quæ mundi prodigia hæc vox possit admitti. Remitti culpa de præterito potest, correctione sine dubio consequente: nam si deinceps sinitur mansura perversitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis assensio. *Gelas. in commonitorio ad Faustum ante fin.*

CAPUT VIII.

Si dicunt pauci temporis pœnitentiam contra peccatum debere sufficere, ut iterum liceat ad peccatum redire, recte eos pastoris primi percutit sententia, qui ait: *Contigit illis illud verbum proverbi, canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti*: magna est enim contra peccatum virtus pœnitentiæ, sed si quis in eadem pœnitentia perseverat. *Greg. lib. 9. ep. 39. ad Theoctistam ante fin.*

CAPUT IX.

Presbyter, diaconus, & subdiaconus uxorem, vel concubinam habentes, nisi illis omnino dimissis, dignam pœnitentiam agant, sacris altaribus penitus administrare desistant. *Gregor. VII. lib. 2. registr. epist. 62. al. 63.*

CA-

Ezech. 18.

Matt. 25.

De pœnit. d. 5. cap. ult.

Jacob. 2.

* offensa, f.

De pœnit. d. 3. c. 21. de conf. d. 5. e. 23.

14. 9. 2. c. 2.

De pœnit. d. 3. c. 6. Pœnitentia, in fia. 2. Pet. 2.

CAPUT X.

Hoc summopere vos cavere oportet, aliosque monere debetis, quia si quis in homicidium, adulterium, perjurium, vel aliquod hujusmodi lapsus in aliquo talium criminum permanerit, aut negotiationi, quæ vix agi sine peccato potest, operam dederit, vel arma militaria portaverit, excepta si pro tuenda justitia sua, vel Domini, vel amici, seu etiam pauperum, necnon pro defendendis ecclesiis, nec tamen sine religiosorum virorum consilio sumpserit, qui æternæ salutis consilium dare sapienter noverunt, aut aliena bona injuste possederit, aut in odium proximi sui exarserit, veræ poenitentiae fructum facere nullatenus potest. Infructuosam enim poenitentiam dicimus, quæ ita accipitur, ut in eadem culpa vel simili deteriori, vel parum minori permaneat. Unde quisquis digne vult poenitere, necesse est, ut ad fidei recurrat originem, & quod in baptismo promisit, diabolo scilicet, pompisque illius abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo sentiendo, mandatis ipsius obedire, sollicitus sit vigilanter custodire. Quicumque ergo taliter poenituerit, quoniam aliter simulatio dici potest, non poenitentia, illi peccatorum suorum remissionem Apostolica freti potestate largimur, & insuper æternæ beatitudinis gaudia omnipotentis Dei misericordia consilii promittimus. *Gregor. VII. lib. 7. registr. ep. 10. post princ.*

CAPUT XI.

Ejus, qui injuste ablata restituere non vult, non admittitur poenitentia. *Troslejan. c. 7.*

CAPUT XII.

Qui sui fratris uxorem accepit, non prius admittetur, quam ab ea recesserit. *Basil. ad Amphil. cap. 23.*

CAPUT XIII.

Viduam, quæ in viduarum numerum relata est, hoc est quæ ab ecclesia in diaconatu suscepta est, censuit Apostolus, nubentem despici. Viro autem viduo nulla est res imposita, sed digamorum eis poena sufficit: porro vidua sexaginta annos nata, si rursus cum viro habitare voluerit, boni communionem non dignabitur, donec ab impuritate perturbatione cessaverit. Sed si ante sexaginta annos eam in numerum retulerimus, nostra est, non mulieris culpa. *Basil. ad Amphiloch. cap. 24.*

CAPUT XIV.

Hæc omnia scribimus, ut poenitentiae eorum fructus probetur. Non enim hoc omnino tempore judicamus, sed modum poenitentiae attendimus. Quod si qui a propriis moribus non facile avellantur, & carnis voluptatibus potius, quam Deo servire voluerint, vitamque ex evangelio institutam, non admittant, nulla est nobis cum illis communis ratio. *Basil. ad Amphiloch. c. 83. vide c. 74.*

CAPUT XV.

Quia inveni quod suo malo curam adhibens (loquitur de quadam muliere, quæ excommunicata fuerat) vult communicare, fac ea ita se comparet, ut injuriam primum deponat. *Theo- Tom. VI.*

phil. Episcop. Alexandr. epistol. ad Mennam Episcop.

TITULUS X.

TEMPUS, ET MODUS PŒNITENTIÆ
PLERUMQUE CONSTITUITUR
ARBITRIO SACERDOTIS.

CAPUT I.

Servata discretionem peccantium, non eadem cuncti, qui lapsi sunt, lance pensentur. *Felix III. in synod. cap. 1.*

CAPUT II.

Presbyteram, diaconam, nonnam, aut monacham, vel etiam spiritalem commatrem nullus sibi præsumat nefario conjugio copulare, &c. Si autem hi, qui conjuncti sunt, admoniti declinaverint, & ab alterutrum fuerint divisi, poenitentiae submittantur, ut sacerdos loci providerit. *Synod. Rom. sub Zachar. cap. 5. vid. Gregor. II. in synod. Rom.*

CAPUT III.

Ut consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione nullus præsumat in conjugio copulare, &c. Et si inclinatus, divisusque fuerit ab illicita copula, poenitentiae subdatur, ut sacerdos loci consideraverit. *Synod. Rom. sub Zachar. cap. 6. sub Eugen. II. & Leon. IV. cap. 38. vid. Gregor. II. in synod. Rom. Ivo part. 9. c. 21. decr.*

CAPUT IV.

Fœminæ, quæ habitum religiosum, aut velamen obtentu religiositatis susceperunt, cum essent viri potentes, deinceps viro sociari non permittantur, sed eligentes monasteria regulariter vivant, aut in domibus susceptum habitum caste observent. Contra autem turpes inventæ poenitentiae Episcopi emendantur. [Secundum culpæ parum, vel peccatorum differentiam poenitentia moderetur, ut ipsarum in cœnobiis doctrina, & institutio ad similitudinem virorum maneat monasteriorum, quia quamvis in sexu dispares sint, in humilitate sine differentia concordant. *Synod. Rom. sub Eugen. II. & Leon. IV. cap. 29.*

CAPUT V.

De poenitentibus, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus poenitentiam gerunt, si nulla interveniat ægrotudo, quinta feria ante pascha eis remittendum, Romanæ ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem poenitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis in ægrotudinem incidit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus paschæ relaxandum, ne de seculo absque communionem discedat. *Innoc. epist. I. cap. 7. Capit. lib. 5. c. 67. Raban. c. 35. de poenit. Burch. lib. 18. cap. 18. Ivo part. 15. cap. 40. decr. Anselm. lib. 11. cap. 26. Gaspar August. lib. 15. cap. 27. Tarrac. lib. 4. cap. 36.*

CAPUT VI.

Qui inter eos, a quibus fuerant captivati, immolatiis cibis assentur esse polluti, poenitentiae satisfactione purgantur, quæ non tam tempo-

ris longitudine, quam cordis compunctione pensanda est. *Leo epist. 77. cap. 5. ad Nicetam Episcop. Aquilejen.*

CAPUT VII.

Qui ad iterandum baptismum, vel metu coacti sunt, vel errore traducti, & nunc se contra catholicam fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio, qua in societatem nostram non nisi per poenitentiae remedium, & per impositionem Episcopalis manus, communionis recipiant unitatem. [*Temporis poenitudinis habita moderazione tuo constituenda iudicio, prout converforum animos perspexeris esse devolutos, pariter etiam habens senilis aetatis intuitu, & periculorum quorumque aut aegritudinis respiciens necessitates, in quibus, si quis ita graviter urgeatur, & dum adhuc poenitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia subveniri. Leo epist. 77. cap. 6. ad Nicetam Aquilejen. Episcop. Capitul. lib. 5. cap. 68. & lib. 7. cap. 21. Burch. lib. 4. cap. 48. Ivo part. 1. cap. 242. decret.*

CAPUT VIII.

Modus hujus poenitentiae (*loquitur de poenitentia diaconi sacrificantis*) in Episcoporum sit arbitrio, ut secundum conversationem poenitentium, possint & extendere tardantibus, & minuire studiose festinantibus. *Ancy. c. 2. Burch. lib. 5. cap. 41. Ivo part. 2. cap. 50. decret. vid. Ancy. cap. 5. 7. 9.*

CAPUT IX.

Qui diversis criminibus peccant, & accedentes ad orationem confessione, & poenitentia, conversionem a malis operantur, pro qualitate peccati, tempore poenitentiae dato, propter misericordiam, & bonitatem Dei admittantur ad communionem. *Laodic. cap. 2. Burch. lib. 19. cap. 41. Ivo part. 15. cap. 56. decret.*

CAPUT X.

Poenitentibus juxta peccatorum differentiam, Episcoporum iudicio, poenitentiae tempora decernantur. *Carth. cap. 43. G. Carth. III. cap. 31. Afric. cap. 10. L. Trosl. cap. 13. Raban. cap. 35. de poenit. Capitul. lib. 7. cap. 30. Burch. lib. 19. cap. 40. Ivo part. 15. c. 3. decret. Caesar August. lib. 15. cap. 46. & Poenit. Rom. tit. 9. cap. 9.*

CAPUT XI.

Negligentiores poenitentes tardius reconcilientur. *Carth. IV. cap. 75. Burch. lib. 19. cap. 38. Ivo part. 15. cap. 7. Capitul. lib. 5. cap. 74.*

CAPUT XII.

Qui poenitentiam in infirmitate petiti, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, &c. accipiat poenitentiam, &c. Si supervixerit, subdatur statutis poenitentiae legibus, quamdiu sacerdos, qui poenitentiam dedit, probaverit. *Carth. IV. cap. 76. vid. Carth. III. cap. 34. Capitul. lib. 5. cap. 75. Burchard. lib. 18. cap. 10. Ivo part. 15. cap. 8. decret.*

CAPUT XIII.

Placuit, ut quicumque conversus ab haereticis, dixerit, se apud eos poenitentiam accipere, unusquisque catholicus Episcopus requirat ubi, & ob quam causam apud eosdem haereticos poe-

nitentiam susceperit, ut cum documentis certis hoc ipsum approbaverit, sibi pro qualitate peccati, sicut eidem Episcopo catholico visum fuerit, tempus poenitentiae, vel reconciliationis decernat. *Milevit. cap. 23.*

CAPUT XIV.

Poenitentiae locus omnibus pateat, qui conversi errorem suum voluerint confiteri, quibus perspecta qualitate peccati secundum Episcopi aetimationem erit venia largienda. *Andegavenf. cap. 13.*

CAPUT XV.

Qui potestatem solvendi, & ligandi a Deo acceperunt, considerare oportet peccati qualitatem, & peccatoris ad conversionem promptitudinem, & ita reconcilians medicinam proferat aegritudini. *Trull. cap. 102.*

CAPUT XVI.

Episcopis, & prebyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi atcribant, ut juxta modum peccati poenitentibus abstinentia indicetur, quoniam varie ab aliquibus sacerdotibus, & indiscrete haec iudicia proferuntur. Ideo necessarium videbatur nobis, ut cum omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber poenitentialis potissimum sit sequendus. *Turon. sub Carolo cap. 22.*

CAPUT XVII.

Quia Apostolo teste, non est personarum acceptio apud Deum, & in omnibus judiciis cavenda est, multo magis in hoc poenitentiae iudicio praecaveri debet, ut nullus sacerdotum unquam, aut gratia, aut odio alicujus personae secus judicet, quam quod in canonibus sacris invenit, aut quod illi secundum sacrarum scripturarum auctoritatem, & ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Si ergo medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personae cujuslibet acceptionem, his, quos sanare cupiunt, cauterio aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus parant, multo magis id ipsum his observandum est, qui non corporum, sed animarum medici existunt, neque enim pensanda est poenitentia qualitate temporis, sed ardore mentis, & mortificatione corporis. Cor autem contritum, & humiliatum Deus non spernit. *Cabil. sub Carolo cap. 34. Capit. lib. 7. cap. 59. & 60. in addit. Burch. lib. 19. cap. 59. Ivo part. 15. cap. 73. decret.*

CAPUT XVIII.

Per singulas parochias eas festivitates populus observare studeat, quas proprius eorum Episcopus venerari praedicaverit, ita ut neque illas negligat, quas sacerdotes colere monuerint, neque inani superstitione eas celebrare praesumant, quae nequaquam sunt observandae. Si vero aliqui inventi fuerint, qui sacerdotibus obtemperare noluerint, per ministros Reipublicae destinguantur, & satisfactionem poenitentiae, quam presbyteri impulerint, subire cogantur. *Ticinens. cap. ult.*

CAPUT XIX.

Episcopi secundum qualitatem, & quantitatem

Rom. 2.
Ephes. 6.
Coloss. 3.
Act. 10.

Psal. 10.

tem peccatorum absque acceptione personarum rapacibus, & his similibus vitiis nominatis, & convictis pœnitentiæ leges injungant, inspecta discretione, & qualitate, prout cuique ad salutem viderint expedire, &c. *Synod. Pistens. c. 2.*

CAPUT XX.

Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernantur. Debet itaque sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque, modumque culparum, & affectus, gemitulque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere, temporum etiam, & personarum, locorum quoque, & ætatum qualitates inspicere, ut etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, seu pro qualitate delictorum, aut gemituum uniuscujusque delinquentis, a sacris regulis oculos non reflectat. *Vormatiens. cap. 25.*

CAPUT XXI.

De homicidiis non sponte commissis prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcipit; secunda vero quinquennii tempus replere. Modus autem hujus pœnitentiæ in Episcoporum sit arbitrio, ut secundum conversationem pœnitentium possint, & extendere tardantibus, & minuere studiose finalistibus. *Triburiens. cap. 52.*

CAPUT XXII.

Homicidiis pœnitentiæ modos, & tempora juxta qualitatem peccati dicimus decernenda. *Troslejan. cap. 13.*

TITULUS XI.
DE MODO IMPONENDI
PŒNITENTIAM.

CAPUT I.

De conf. d. 3. c. 17. De pœnitentibus. **D**E pondere æstimando delictorum sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. *Innoc. epist. 1. cap. 7. Capitul. lib. 5. cap. 67. Tarrac. lib. 4. cap. 36.*

CAPUT II.

26. q. 7. c. 6. Sacerdos pœnitentiam imploranti absque personæ acceptionis pœnitentiæ leges injungat. *Carthag. IV. cap. 74. L. vide Laod. cap. 2. Capitul. lib. 5. c. 73. Burch. lib. 19. c. 35. Ivo part. 15. c. 6. decret.*

CAPUT III.

Dist. 50. c. 63. Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. Si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abiciantur, & nisi digne pœnituerint, non recipiantur. Juvenibus etiam pœnitentia non facile committenda est propter ætatis fragilitatem, viaticum tamen omnibus in morte positus non negandum. *Agathens. cap. 15. Burch. lib. 19. cap. 27. Ivo part. 15. cap. 17. decret. Capit. lib. 5. cap. 58. C. lib. 7. c. 310.*

CAPUT IV.

Comperimus per quasdam Hispaniarum ecclesias non secundum canonem, sed scditissime pro

luis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quotiens peccare libuerit, totiens a presbyteris se reconciliari expostulent, &c. Jubemus, ut secundum formam canonum antiquorum detur pœnitentia, hoc est, ut prius eum, quem sui pœnitentia facti, a communione suspensum faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere, expleto autem satisfactionis tempore, sicuti sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni restituat. Qui vero ad propria vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem relabuntur, secundum priorum canonum severitatem damnentur. *Tolet. III. c. 11.*

CAPUT V.

Quicumque ab Episcopo, vel presbytero sanus, vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia Episcopus servet, & presbyter, ut si vir est, five sanus, five infirmus prius eum tondeat, aut in cinere, & cilicio habitum mutare faciat, & sic pœnitentiam ei tradat. Si vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi prius velata fuerit, aut mutaverit habitum, sapius enim laicis cum sceminis tribuendo desidiose pœnitentiam, ad lamentanda rursus facinora post acceptam pœnitentiam relabuntur. *Tolet. III. c. 12.*

CAPUT VI.

Cum juxta antiquæ institutionis edictum, plus erga corrigendos agere debeat benevolentia, quam severitas, plus cohortatio, quam commotio, plus charitas, quam potestas, &c. quotiescunque quilibet ex subditis corrigendus est, aut publica debet a sacerdote disciplina curari, aut si aliter rectoribus placet, duorum, vel trium fratrum spiritualium testimonio peculiariter adhibito, & modus criminis agnoscat, & modus pœnitentiæ irrogetur, ita tamen ut si exilio, vel retrusione dignum eum esse cognoverit, aut quid aliud peculiare decreverit, modus pœnitentiæ, quam coram tribus fratribus sacerdos transgressoris indixerit, speciali debeat ejus, qui sententiam protulit, manus propriæ subscriptione notari. Sic fiet, ut nec transgressores sine testimonio excidia vitæ suæ incurrant, nec rectores accusatos se de quorumlibet interemptionibus erubescant. *Tolet. XI. cap. 7.*

CAPUT VII.

Hoc in omni pœnitentia non solum laicali, sed etiam sacerdotali solerter est intuendum, quanto quis tempore in delictis remaneat, qua eruditione imbutus, quali impugnetur passione, vel ætate, qualiter compulsus est peccare, gravitate, aut necessitate. Omnipotens etenim Deus, qui corda hominum novit, diversisque gentibus, quas creavit, diversas naturas indidit, non æquali lance pœnitudinis pondera peccaminum pensabit, ut est illud propheticum: *Non enim in ferris tritabitur gith, nec roza plaustrum super cyminum circuibit, sed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo, panis autem comminuetur.* *Synod. Hibern. tempore Leonis III. Esaiæ 28.*

CAPUT VIII.

Multi, quod sine dolore dicendum non est, in

pœnitentia non tam peccati remissionem, quam temporis constituti expectant expletionem. Et si carnum, & vini usus eis interdictus est, mutata non voluntate, sed ejusdem cibi, aut potus perceptione, in tantum deliciis suis indulgent, ut deliciosius his interdictis, aliorum ciborum, vel potionum appetitu vivere cognoscantur. Spiritalis autem abstinentia est, quæ in pœnitentibus vigere potissimum debet, & quorundam ciborum, ac potionum perceptiones, & desiderium fugere debet. Ille, inquam, ille magis parsimonie ferre censendus est, qui sibi non solum quarundam rerum perceptiones, sed delectationes corporis interdicit. *Cabilon. sub Carolo cap. 35. Capitul. lib. 7. c. 61. in addit. Burch. lib. 19. c. 140. Ivo part. 15. c. 156. decret.*

CAPUT IX.

Modus pœnitentiæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet; repudiatis, ac penitus eliminatis libellis, quos pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores, de quibus recte dici potest: *Ezech. 13. Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & vivificabant animas, quæ non vivebant. Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam & inuitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Cabil. sub Carolo c. 38. Magunt. sub Rab. cap. 31. Capitul. lib. 7. c. 64. in addit. Burch. lib. 19. c. 28. Ivo part. 15. cap. 46. decret. Pœnit. Rom. tit. 9. c. 11.*

CAPUT X.

Ut discretio servanda sit inter pœnitentes, qui publice, & absconse pœnitere debent. *Rhemen. cap. 31.*

CAPUT XI.

Quoniam multi sacerdotum partim incuria, partim ignorantia modum pœnitentiæ reatum suum confitentibus secus, quam jura canonica decernant, imponunt, utentes scilicet quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos pœnitentiales vocant, & ob id non vulnera peccatorum curant, sed porius foventes palpant, incidentes in illud propheticum: *Ezech. 13. Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ad decipiendas animas, omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unusquisque Episcoporum in sua parochia eisdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulterius sacerdotes imperiti homines decipiant. Sacerdotes porro, qui aut muneris, aut amoris, aut timoris, aut certe favoris causa tempora, modumque pœnitentiæ ad libitum pœnitentium indicunt; audiant quid Dominus per Ezechielem prophetam terribiliter dicat: Hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium, ecce ego ad vos, ait Dominus Deus, & erit manus mea super prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium, &c. Presbyteri etiam im-*

periti solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt, qualiter & confitentium peccata discrete inquirere, eisque congruum modum secundum canonicam auctoritatem pœnitentiæ noverint imponere. Quoniam hætenus eorum incuria, & ignorantia, multorum flagitia remanserunt impunita, & hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non est. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 32. vide Cabilon. sub Carolo c. 38.*

CAPUT XII.

Cum miseria humana, multifariis fragilitatis suæ excessibus, creatoris sui incomparabilem dulcedinem læpissime ad amaritudinem provocet, tunc gravius, sceleratiusque in eum delinquit, quando contra naturam peccat, &c. Proinde omnibus nobis valde necessarium visum est, ut quidam sacerdotes, qui hoc vitium aliter, quam sacri canones sanciant, non ad salutem, sed ad deceptionem animarum puniunt, corrigantur, & instruantur, ut codicibus pœnitentialibus prius abdicatis, per quos multi inani spe, & promissione decepti sunt, & decipiuntur, abhinc patratores tam nefandissimi, Deoque detestabilis vitii, secundum judicium canonicum, quod in Ancyritano concilio sub titulo sextodecimo continetur, judicentur. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 34.*

CAPUT XIII.

Ab infirmis mortis articulo positus, per presbyteros pura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus, & elemosynarum studiis, pondus pœnitentiæ sublevandum, ut si forte migraverint, ne obligati excommunicatione, alieni ex consortio bene fiant, a quo periculo si divinitus erepti convalescerint, pœnitentiæ modum a suo confessore impositum diligenter observent. *Magunt. sub Raban. c. 26. Burch. lib. 18. cap. 14. Ivo part. 15. cap. 36. decret. Cesar. lib. 15. cap. 25. Pœnit. Rom. tit. 9. cap. 7.*

CAPUT XIV.

Modus, tempusque pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet a sacerdotibus, nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam, & inuitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas, sed discretio servanda est inter pœnitentes, qui publice, & qui absconse pœnitere debeant, nam qui publice peccat, oportet, ut publica mulsetur pœnitentia, & secundum ordinem canonum pro merito suo, & excommunicetur, & reconcilietur. Pœnitentes vero tam expletionem constituti temporis, quam facinoris remissionem desiderant, nec eis sufficiat, si a quarundam rerum perceptionibus abstineant, ni se etiam a noxiis delectationibus subtrahant, declinantes autem a malo, faciant bonum, inquirent pacem, ac sequantur illam. *Magunt. sub Raban. c. 31. Cabil. sub Carolo c. 38.*

38. *Capitul. lib. 7. c. 64. in addit. Burch. lib. 19. c. 28. Ivo part. 15. cap. 46. decret. Pœnit. Rom. tit. 9. c. 11.*

CAPUT XV.

Nemo Comitum, aut quisquam ex judiciaria potestate, post quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, in qua omnes pœnitentes manus impositionem ad vacandum solummodo pœnitentiæ, & divinis officiis accipiunt, placitum, aut malluz* tenere præsumant. *Meld. c. 70.*

CAPUT XVI.

Quoniam hoc est universale festum creationis, &c. *loquitur de palchate*) recte habuerit, si hodierno die non solum eos, qui ex regeneratione per lavacri gratiam transmutati sunt, adducamus, sed eos etiam, qui per pœnitentiæ, & confessionem a mortuis operibus ad viventem viam ascendent, ad viventem spem tamquam manu deducamus, a qua per peccatum alienati sunt. Neque vero parvum opus est, ea, quæ de his dicenda sunt, in recto & probato judicio dispensare, &c. Ut sit autem arte aliqua procedens propositæ quæstionis methodus, rem ita tractabimus. Tria sunt, quæ in anima nostra considerantur secundum primam divisionem, ratio, concupiscentia & ira. In his sunt & recte facta eorum, qui ex virtute vivunt; & delicta, casusque eorum, qui ad vitium dislabuntur. Quamobrem oportet eum, qui ægrotanti animæ parti convenientem medelam est adhibiturus, prius quidem considerare, in quoniam consistit affectio, deinde sic laboranti convenientem medelam applicare, ne propter medicæ disciplinæ ignorantiam, alia quidem sit pars, quæ ægrotat, alia vero, cui est adhibita medela, &c. Trifariam ergo, ut diximus, divisa proprietate motuum animæ, in rationem, concupiscentiam, & iram: rationis quidem compositis animæ partis est perfectum, & ex virtute recte se gerens officium, pia de Deo existimatio, boni & mali discernens scientia, & quæ habet veram, & non confusam de rerum subjectarum natura opinionem, quid est quidem in his, quæ sunt, expetendum, quid vero abhorrendum, & abiiciendum: Et rursus ex contrario, quod in ea parte est vitium, omnino considerabitur, quando circa res quidem divinas fuerit impietas, nullum autem circa id, quod vere honestum est, judicium, perversa autem, & corrupta de rerum natura existimatio, ut lucem tenebras ducat, & tenebras lucem, ut dicit scriptura. Concupiscentis autem partis motus est ex virtute, si ad id, quod est re vera concupiscendum, & vere pulchrum, & honestam erigat desiderium, & si qua est in nobis amatoria facultas, & affectio, tota in illo versetur, ut credamus nihil aliud esse sua natura expetendum præter virtutem, & naturam, quæ virtutem erigat. Hujus autem partis declinatio est & peccatum, quando cupiditatem transulerit ad inanem, quæ non potest consistere, gloriam, vel adfocem, qui colorate corporum superficie est illitu, unde exiit libido, gloriæ cupiditas, ambitio, & avaritia, & cætera hujusmodi, quæ ab hoc vitii genere dependent. Animolæ autem, leu-

iralcentis partis recte, & ex virtute actio est, mali odium, & bellum eum animi perturbationibus, & ad fortitudinem in eo esse confirmatam animam, ut ea non pertimescat, quæ multis terribilia videntur, sed usque ad sanguinem peccato resistat: mortis autem minas, & gravia supplicia contemnat, & a rebus jucundissimis disjunctione, & omnibus, ut semel dicam, quæ propter aliquam consuetudinem, & anticipatam opinionem, multos in voluptate detinent, sit superior, pro fide, & virtute decertans. Hujus autem partis prolapsiones omnibus apertæ sunt, invidia, odium, ira, convitia, certamina, contentiosæ, & ultionis appetentes affectiones, quæ acceptæ injuriæ recordationem longe extendunt, & multos ad cædem, & sanguinem incitant, dum enim non inveniret stultia, & inrudita ratio, quomodo armis suis utiliter uteretur, ferri aciem in se convertit, eaque arma, quæ nobis a Deo data sunt, ei qui male utitur exitium afferunt. His itaque hoc modo distinctis, quæcumque quidem peccata ratione prædictam animæ partem attingunt, esse graviora a patribus judicata sunt, & majori, ac sufficientiori, & laboriosiori conversione digna: quemadmodum si quis fidem in Christum negavit, vel ad Judaïsmum, vel idolorum cultum, vel Manichæismum, vel etiam aliquod aliud impietatis genus descivisse visus sit. *Greg. Nissen. ad Larojum in princ.*

Vide Leon. epist. 77. ad Nicetam Aquilejen. Episc. & Turonen. sub Carolo c. 22. tit. Tempus pœnitentiæ præscribitur arbitrio sacerdotis cap. Qui ad iterandum, & cap. Episcopis Andegaven. cap. 13. eod. tit. cap. Pœnitentiæ Cabilon. sub Carolo cap. 34. eod. tit. cap. Quia Apostolo. Rhemen. cap. 12. tit. de confessione cap. Ventilata.

TITULUS XII.

PENITENTIA NON SUSCIPIATUR AB HÆRETICO SACERDOTE.

CAPUT I.

Pœnitentiæ, & communio a nemine, nisi a catholico suscipiatur: quod si nullus ad sit catholicus presbyter, rectius est sine visibili communione persistere, & invisibiliter Domino communione, quam eam ab hæretico sumendo a Deo separari. *Beneventan. sub Victore III.*

TITULUS XIII.

DE PœNITENTIA PUBLICA.

CAPUT I.

Omnes, quos divinæ leges mortuos appellant, submovendos esse ab accusatione Episcoporum, & publicæ pœnitentiæ submitendos judicamus. *Pekag. II. epist. 3. in princ. Anselm. lib. 3. c. 59.*

CAPUT II.

Cujus pœnitentis publicum, & vulgatum crimen est, quod totam ecclesiam moverit, ante absidem ei manus imponatur. *Carth. cap. 43. G. Carth. III. c. 32. L. African. c. 10. & 70. L. Capitul. lib. 5. c. 53. & lib. 7. c. 30. Burch. lib. 19. c. 40. Roban. c. 35. de pœnit. Ivo part. 15. c. 4. Anselm. lib. 11. c. 20. Casar. lib. 15. c. 46. Pœnit. Rom. tit. 9. c. 9.*

2. 9. 5. c. 6. Canonica.

26. 9. 6. ubi.

CA-

278 Juris Pontificii Veteris Epitome

CAPUT III.

Qui publico crimine convicti sunt rei, publice judicentur, & publicam pœnitentiam agant secundum canones. *Arelat. sub Carolo c. 26.*

CAPUT IV.

Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum constitutionem in plerisque locis ab usu recessit, &c. A domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publice peccat, publica mulctetur pœnitentia, & secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur. *Cabilon. sub Carolo cap. 25. Capitul. lib. 7. cap. 49 in additis.*

CAPUT V.

Illos ab his officiis removendos judicamus, qui propter reatum suum publica pœnitentia sunt mulctati, videlicet ut nec alios de sacri fontis baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum sancti Spiritus donum aliorum patroni coram Pontificibus existant, donec per dignam pœnitentiæ satisfactionem reconciliationem mereantur, nec immerito, quoniam quos & lex divina a castris militaribus, ne ruina sint populi, & auctoritas canonica ab ecclesiarum sequestrant liminibus: multo magis a memoratis peragendis officiis, usque ad tempus pœnitentiæ peractum, dignamque perceptam reconciliationem, hujuscemodi, ut jam dictum est, merito sunt excludendi. *Parisi. sub Lud. Loth. lib. 1. c. 54.*

CAPUT VI.

Sacra docet auctoritas, ut publice peccantes publicæ pœnitentiæ subiiciantur. *Ticinen. c. 11.*

CAPUT VII.

Si quis fidelis libertate notabilis aliquo crimine, aut infamia deputatur, utatur jure, juramento se excusare. Si vero tanto, talique crimine publicatur, ut criminofus a populo suspicetur, & propterea superjuretur, aut confiteatur, & pœniteat, aut Episcopo, vel suo misso discutiente, &c. caute examinetur. *Tribur. c. 22.*

TITULUS XIV.

PRESBYTER NON POTEST RECONCILIARE PœNITENTEM IN JUSSU EPISCOPI.

Vide in Part. I. Lib. IV. Tit. LXXXIX. & Lib. VI. Tit. XLII.

TITULUS XV.

NON ORDINENTUR, QUI PUBLICAM PœNITENTIAM EGERUNT.

Vide in Part. II. Lib. XVI. De Sacramento Ordinis.

TITULUS XVI.

NE PœNITENTES MATRIMONIUM CONTRAHANT.

CAPUT I.

^{33. q. 2. c. 12.} **D**E his vero non incongrue dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia, tamquam canes, ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra redeunt, & militia cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt, &c.

Sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, &c. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus. *Syric. ep. 1. c. 5. Burch. lib. 19. cap. 57. Ivo part. 15. c. 71. decr. Tarr. lib. 6. c. 28.*

CAPUT II.

In adolescentia constitutus, si urgente, aut metu mortis, aut captivitatis periculo pœnitentiam gessit, & postea timens lapsum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurret, rem videtur fecisse venialem, si præter conjugem nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans & mentis, & corporis. *Leo epist. 90. c. 11. ad Rust. Narbon. Episc. Tolet. VI. c. 8.*

CAPUT III.

Pœnitentes, quæ defuncto viro aliis nubere præsumperint, vel suspecta, vel interdicta familiaritate se cum extraneo junxerint: cum eodem ab ecclesiæ liminibus arceantur. Hoc etiam de viro in pœnitentiaposito placuit observari. *Arelat. II. c. 21.*

CAPUT IV.

Si qua virgo propria voluntate, abjecta laicali veste, devotarum more induta, castitatem servare promiserit, vel si quis hominum utriusque sexus pœnitentiæ benedictionem expetendo a sacerdote perceperit, ad terrena connubia sponte transferit, &c. utrique ab ecclesiæ liminibus expulsi, ita ab omnium catholicorum communionem sint separati, ut nulla prorsus eis vel colloquii consolatio sit relicta. *Barcin. II. c. 4.*

CAPUT V.

Antiqui, & sanctissimi est patris sententia Papæ Leonis, ut is, qui in ætate adolescentiæ positus, dum mortis formidat casum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium, si conjugatus, & forte fuerit incontinens, ne postea adulterii incurrat lapsum, redeat ad pristinum conjugium, quousque possit adipisci temporis maturitate continentiae statum. Quod nos sicut de viris, ita de foeminis æquo modo censemus, non quidem hoc generaliter, & canonicè præceptum, sed constar a nobis pro humana fragilitate indultum, ea dumtaxat ratione, ut si is, qui pœnitentiæ non est legibus deditus, ante ab hac vita decesserit, quam ex consensu alter ad continentiam eat, unde fuerit regressus, superstiti non liceat denuo ad uxoris transire amplexus. Si autem illius vita exstiterit superstes, qui non accepit benedictionem pœnitentis, nubat, si se continere non potest, & alterius consortio fruatur uxoris. Quod de utroque sexu pari modo a nobis manifestum est, decretum esse, ita videlicet, ut in his omnibus sacerdotis ordinatio expectetur, ut juxta quod ætatem aptam prospexerit pœnitentiæ, absolutionis, vel restrictionis tribuat legem. *Tolet. VII. cap. 8. Leo ep. 90. cap. 11. ad Rustic. Narbon. Casar. lib. 15. cap. 70.*

CA-

CAPUT VI.

26. q. 2. c. 10. Si autem. Post peractam publicam poenitentiam (loquitur de raptore, & de muliere rapta) si ætas, & incontinentia exegerit legitimo, & ex utrisque partibus placito conjugio socientur, nam in his non regulam constituimus, sed ut verbis magni Leonis utamur, quid sit tolerabilius, æstimamus. Quod si unus ex conjugatis obierit, is qui publicam poenitentiam egit, & superstes extiterit, iterare conjugium non præsumat, nisi forte Episcopus præviderit aliquam concedere indulgentiam, ut graviolem possit amovere offensam. Meliten. cap. 65.

TITULUS XVII. DE PŒNITENTIBUS QUI E VIVIS EXCEDUNT.

CAPUT I.

26. q. 6. c. 9. DE his (poenitentibus) qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo, & necessario viatico minime privetur. Quod si desperatus, & consecutus communionem, oblationisque particeps factus iterum convalescit, sit inter eos, qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuiuslibet in exitu posito, & polenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debet. Nicæn. cap. 12. Trilurien. cap. 31. Mart. Bracc. 82. Burch. lib. 10. cap. 6. Ivo part. 15. cap. 31. decret. Anselm. lib. 11. cap. 22.

CAPUT II.

De poenit. d. 1. cap. 49. Si aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo a munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nobis, eorum, qui sic obierint, merita, ad usque discutere, cum Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ iustitiæ reservaverit, ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus proficiat, & quibusdam tepidis, aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Leo epist. 99. ante med.

CAPUT III.

De his, qui poenitentia positi vitam excesserunt, placuit, nullum communionem vacuum debere dimitti, sed pro eo quod honoravit poenitentiam, oblatio illius recipiatur. Arelat. II. cap. 12. Raban. cap. 36. de poenit.

CAPUT IV.

26. q. 6. c. 5. Aurelius. Si quis in periculo constitutus petierit se reconciliare divinis mysteriis, Episcopo absente, presbyter petat ab Episcopo, & ita ex eius renuntiatione reconcilietur. Carth. cap. 7. G. Carth. II. cap. 4. L. vide Tribur. cap. 31. in fin. Burch. lib. 18. cap. 13. Ivo part. 15. cap. 2. decret. Casar. lib. 15. cap. 24.

CAPUT V.

26. q. 6. c. ult. Presbyter sine voluntate Episcopi non reconciliet poenitentem, nisi necessitas cogat, absen-

te Episcopo. Carth. cap. 44. G. Carth. III. cap. 31. 32. L. Afric. cap. 10. L. Raban. cap. 35. de poenit. Burch. lib. 19. cap. 40. C. 70. Ivo part. 15. cap. 4. C. 84. decret. Casar. lib. 15. cap. 46.

CAPUT VI.

Poenitentes, qui attente leges poenitentiae exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur. Carth. IV. cap. 79. L. Capit. lib. 5. c. 79. Ivo part. 15. cap. 11. decret. Casar. lib. 15. c. 37.

26. q. 7. Sacerdos, c. 6. in fin.

CAPUT VII.

Mortuos poenitentes ecclesie affirant, & sepeliant. Carth. IV. cap. 81. Ivo part. 15. cap. 12. decret. Casar. lib. 15. cap. 33.

26. q. 7. c. 6. S. 1.

CAPUT VIII.

Qui recedunt de corpore poenitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eos communicare, quod morientis sufficit consolationi * secundum definitiones patrum, qui huiusmodi communionem, congruenter viaticum nominaverunt. Quod si supervixerint, stent in ordine poenitentium, ut offensis necessariis poenitentiae fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant. Arausie. cap. 3. Raban. cap. 36. de poenit. Burch. lib. 18. cap. 17. Ivo part. 15. c. 39. decret.

26. q. 6. c. 7.

* reconciliatori.

CAPUT IX.

Qui poenitentia accepta in bono vitæ cursu satisfactoria compunctione viveates sine communionem inopinato nonnumquam transitu in agris, aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam, ecclesiastico affectu prosequendam, quia nefas est, eorum commemorationes excludi a salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fidei affectu contententes, dum se diutius reos stant, & indignos salutaribus mysteriis iudicant, ac dum purgatores restitui desiderant, absque sacramentorum viatico interceptantur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliacionem sacerdos denegandam putasset. Vafens. cap. 2.

CAPUT X.

Qui poenitentiam in mortis agi periculo, non diutine a reconciliacionis gratia differendus est, sed si præcincto mortis urgeatur periculo, poenitentia per manus impositionem accepta, statim ei reconciliatio adhibenda est, ne prius ab humanis rebus æger abscedat, quam donum reconciliacionis accipiat. Sicque supersitibus quodammodo doloris videatur esse perpetui, si præcisum ab ecclesie membris eum, qui utique reconciliacionem non meruerit, raptum a præsentis vitæ mors naturæ subduxerit. Unde juxta Papæ Leonis edictum. [His, qui in tempore necessitatis, & in periculo urgentis instantia præsidium poenitentiae ex more reconciliacionis implorant, nec satisfactio intercidennda est, nec reconciliatio deneganda, quia in misericordia Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora desinere. De his autem, qui accepta poenitentia, antequam reconcilientur, ab hac vita decesserint, quamquam diversitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nobis sententia placuit, qui mul-

26. q. 6. c. 10.

multiplici numero de hujusmodi humanius decreverunt, ut & memoria talium in ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum delicto a presbyteris recipiatur. *Tolet. XI. cap. 12. Leo epist. 89. ad Theodorum Foro-Julien. Capit. lib. 5. c. 65.*

CAPUT XI.

26. q. 6. c. 6.
c. 9. De his.

Si quis de corpore exiens, novissimum, & necessarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Quod si in desperatione positus, post perceptam communionem iterum sanus fuerit factus, tantum in oratione particeps sit, nam non accipiat sacramentum, donec constitutum poenitentiae impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis sunt, & desiderant accipere sacramentum, cum consideratione, & probatione Episcopi accipere debent. *Mart. Brac. c. 83. Nic. en. cap. 12. Triburien. cap. 31. Burch. lib. 18. cap. 6. Ivo part. 15. cap. 31. decret. Anselm. lib. 11. cap. 22.*

Vide Innocent. epist. 1. cap. 7. tit. Tempus poenitentiae praescribitur arbitrio sacerdotis; & Caes. epist. 2. cap. 2. tit. De recipiendis peccatoribus, qui poenitentiam agere volunt.

TITULUS XVIII.

QUI MORBO OPPRESSUS OBMUTUIT, POENITENTIAM ACCIPERE POTEST, SI SIGNIFICATIONEM DEDIT SUAE VOLUNTATIS.

CAPUT I.

De poenit. d. 1. c. Multiplex. 49.

SI aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, a munere indulgentiae praesentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, confectus exutus carne non poterit, &c. Nec actio illis poenitentiae, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam, amisso vocis officio, per iudicium integri sensus quaerere comprobentur. Quod si aliqua aegritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodelle debebunt, ut simul poenitentia, & reconciliationis beneficium consequantur, servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum a fide discedendo peccarunt. *Leo epist. 89. ad Theodor. Foro-Julien. Episc. Anselm. lib. 4. cap. 56. c. lib. 11. cap. 11. Capit. lib. 5. cap. 55. Caes. lib. 15. cap. 12. Tarrac. lib. 4. cap. 38.*

26. q. 6. Is qui, cap. 8.

CAPUT II.

Qui poenitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in frenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat poenitentiam, & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur a supradictis testibus petitioni suae satisfactum, & subdatur statutis poenitentiae legibus, quamdiu sacerdos, qui poenitentiam dedit, probaverit. *Carth. IV. cap. 76. Capit. lib. 5. cap. 75. Burch. lib. 18. cap. 10. Ivo part. 15. cap. 8. decret. Anselm. lib. 11. cap. 16.*

26. q. 6. Qui recedunt, c. 7. in fin.

CAPUT III.

Si obmutelcens, pro ut statutum est, baptizari,

aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis praeterita testimonium aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu. *Araus. cap. 12. Burch. lib. 4. cap. 38. Ivo part. 1. cap. 232. decret.*

TITULUS XIX.

VARIA DE POENITENTIBUS AEGROTIS.

CAPUT I.

HI, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia praesidium poenitentiae, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras conversio, dicente spiritu Dei per prophetam: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. Leo epist. 89. ad Theodor. Foro-Jul. Episcop. in medio. Capit. lib. 5. cap. 55. Burch. lib. 18. c. 4. Ivo part. 15. cap. 29. decret. Anselm. lib. 4. c. 56. c. lib. 11. c. 11. Tarrac. lib. 4. c. 38. c. lib. 5. c. 37. Caes. lib. 15. cap. 12.*

26. q. 5. c. 10. de poen. d. 1. c. 49. Multiplex.

Esai. 30. apud 70.

CAPUT II.

Poenitentes, qui in infirmitate sunt, viaticum accipiant. *Carth. IV. c. 77.*

CAPUT III.

Poenitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint. *Carth. IV. cap. 78. Burch. lib. 18. cap. 23. Ivo part. 15. c. 10. decret. Capit. lib. 5. c. 54. c. 76.*

26. q. 6. Is, qui, c. 8. in fin.

CAPUT IV.

Qui aegritudinis languore depressus poenitentiae benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, & postea convalescens, caput poenitentiae in ecclesia publice non subdiderit, si prohibitis vitis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum. *Gerund. c. 9.*

d. 50. Is vero, c. 56, al. 57.

CAPUT V.

De his, qui in infirmitatibus poscunt poenitentiam, & a sacerdote accipiunt, si postea convalescerint, vitam poenitentium peragant, excepta manus impositione, segregati a communione, quamdiu probabilem sacerdos eorum approbaverit vitam. *Barcin. c. 8.*

CAPUT VI.

Plerumque hi, quibus miseratio Domini etiam nolentibus subvenit, beneficiis Dei videntur esse ingrati, &c. Multos saepe aspeximus in salute positos, ultimum desiderantes poenitentiae fructum, rursus propter aegritudinem nullam curam suae salutis habere, tamen fratres misericordia moti eis ultimum viaticum tribuisse, ne sine fructu poenitentiae viderentur transire e saeculo, sed postquam convalescerint, tonsurae suae venerabile signum expellunt, atque habitum religionis abiiciunt, dicentes se non petiisse poenitentiam, neque ei consensisse, &c. Sicut baptisma, quod nescientibus parvulis sine ulla contentione in fide tantum proximorum accipitur, ita poenitentiae donum, quod nescientibus illabatur, absque impugnantia violationis, hi qui illud acceperint, observabunt. Si quis quolibet modo poenitentiam accipiens, hoc violaverit synodale institutum, ut transgressor paternis regulis feriat. Sed non

non ita statuentes sacerdotes, ut passim, & licenter donum pœnitentiæ non pœnitentibus audeant prorogare, absolvimus: sed hos, qui qualibet sorte pœnitentiam susceperint, ne ulterius ad militare cingulum redeant, religamus. Sacerdotes tamen, qui non sentienti, neque pœnitenti ausu temerario pœnitentiam dederint, neque se exhortatu ejus, qui pœnitentiam accipit, vel manuum indiciis, vel quibuslibet aliis evidentibus significationibus invitatum fuisse probaverit, unius anni excommunicationis sententiæ subjacebit. *Tolet. VII. c. 2. vide Tolet. XIII. cap. 9. ubi hic canon confirmatur.*

TITULUS XX.
DE HIS, QUI POST PœNITENTIAM AD PRISTINOS MORES REDEUNT.

CAPUT I.

33. 9. 2. 6. 12. **D**E his, qui acta pœnitentia, tamquam canes, ac sues ad vomitus pristinos, & voluptabra redeunt, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt, de quibus, quia suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacris mysteriorum celebritatibus, quamvis non mereantur, intersint, a dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem distinctione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur, quibus tamen quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam, & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devixerunt, servandam esse censemus. *Syric. epist. 1. c. 5. Burch. lib. 19. c. 57. Ivo part. 15. c. 71. decret. Anselm. lib. 11. cap. 143. Tarrac. lib. 6. c. 28.*

CAPUT II.

De pœnit. d. 5. c. 3. Pœnitenti utilius est etiam dispendia pati, quâ periculis negotiationis obstringi, &c. Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare. *Leo epist. 90. c. 9. & 10. ad Rust. Narbon. Episc. Raban. cap. 40. de pœnit. Burch. lib. 19. cap. 66. Ivo part. 15. c. 80. decret. Tarrac. lib. 5. cap. 19.*

CAPUT III.

Matt. 24. Eccl. 24. Magna est contra peccatum virtus pœnitentiæ, sed si quis in eadem pœnitentia perseveret, nam scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Hinc rursus scriptum est: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficiat lavatio ejus? Mortuum quippe est omne opus perversum, quod pertrahit ad mortem, quod vita justitiæ non vivit. Baptizatur ergo a mortuo, & iterum tangit eum, qui prava opera, quæ se meminit egisse, Tom. VI.*

deplorat, sed in eisdem se iterum post lacrymas implicat. Anima itaque quælibet ejusdem mortui lavatione non proficit, quæ hoc iterum faciendo quod planxit, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem justitiæ exurgit. Pœnitentiam enim veram agere, est commissa flere, sed iterum plangenda declinare. *Greg. ad Theoclist. patri- d. 3. c. 1.*

CAPUT IV.

Quicumque ille sit, post pœnitentiam sæcu- *d. 50. c. 69.* larem habitum non præsumat. Quod si præsum- *Hi qui, in* pserit ab ecclesia alienus habeatur. *Arel. II. cap. 25. Burchard. lib. 19. cap. 67. Ivo part. 15. cap. 81. decret.*

CAPUT V.

Qui a cœpta pœnitentia resilierunt, non solum a communione habeantur alieni, sed nec conviviorum quidem admittantur esse participes. *Andegav. cap. 6.*

CAPUT VI.

Pœnitentes, qui susceptam publice pœnitentiam intermiserint, & ad prioris erroris consuetudinem revoluti, vitæ se sæculari, conversationique reddiderint, non solum a communione dominicorum sacramentorum, sed a conviviiis fidelium submovendos. *Venet. c. 3.*

CAPUT VII.

Si quis post acceptam pœnitentiam, sicut canis ad vomitum ad sæculares illecebras, derelicta, quam professus est, pœnitentia fuerit reversus, a communione ecclesiæ, vel a convivio fidelium extraneus habeatur, quo facilius, & ipse compunctionem per hanc confusionem accipiat, & alii ejus terreantur exemplo. *Turon. c. 8.*

CAPUT VIII.

Si quis accepta, professaque pœnitentia, boni immemor, ad sæcularia revolvatur, prorsus communicare non poterit, nisi professioni, quam illicite prætermiserat, reformetur. *Epaun. c. 23.*

CAPUT IX.

De his, qui suscepta pœnitentia religionem *De pœnit. d. 5. c. 5.* suæ professionis obliti, ad sæcularia relabuntur, placuit eos, & a communione suspendi, & ab omnium catholicorum conviviiis separari. Quod si post interdictum cum eis quisquam præsumpserit manducare, & ipse communione privetur. *Aurel. e. 11. alias 13. Raban. c. 37. de Pœnit.*

CAPUT X.

De pœnitentium conversione, ut ne quis benedictionem pœnitentiæ juvenibus personis credere præsumat. Certe conjugatis, nisi ex consensu pari*, ætate jam plena, eam dare non audeat. ** partium.* Si quis pœnitentiæ benedictione suscepta, ad sæcularem habitum, militiamque reverti præsumpserit, viatico concessio, usque ad exitum communicatione plestatur. *Aurel. III. c. 24.*

CAPUT XI.

Quicumque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, & rursus prævaricantes laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo, ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur, ut vere apostatæ coram ecclesia anathematis sententia con-

dementur, &c. *Tolet. IV. cap. 54. Raban. c. 37. de Pœnit.*

CAPUT XII.

Quoniam tanta existit perversitas hominum, ut his, quos sub religioso habitu pœnitentiæ professio pro venia peccatorum ad manum sacerdotis deducit, vel adduxit iterum rediviva malitia ad vitæ pristinæ lordes revocet, &c. Si qui ingenuorum utriusque sexus sub nomine pœnitentis in habitu religioso sunt conversati, post hæc autem comam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes, ad id, quod reliquerant, redierunt, ab Episc. civitatis, in cujus territorio sunt conversi, comprehensi, rursus legibus pœnitentiæ in monasteriis subdantur invit. Quod si fieri propter aliquis potestatis vigorem difficile fuerit, tunc sicut præcorum canonum decreta statuerunt, quousque ad dimissum ordinem revertantur, excommunicati, & anathemate condemnati habeantur. Similiter & hi, qui post excommunicationem, vel interdictum cum ipsis communicaverint. Sacerdos autem, ad quem pertinere noscuntur, si eos quolibet munere, vel favore, aut negligentia admonere noluerit, ut aut revertentes suscipiat, aut contemnescentes de ecclesia rejiciat, simili sententia plectatur, quousque emendationis eorum, vel damnationis ab eo sententia promulgetur. *Tolet. VI. c. 7.*

CAPUT XIII.

Qui se bonis operibus, & lacrymis, & orationibus a peccato mundat, & iterum gravia peccata perpetrat, talis est, ut sanctus Petrus dicit, sicut sus, qui se jactat in luto, & sicut canis, qui remanducat vomitum suum & timere debet, ne ipsas lacrymas in conspectu Dei reddat immundas, per quas mundari potuit a peccatis. Quæ non dicimus, ut si iterum alius ceciderit post confessionem in peccatis, ut in peccatis quasi desperatus jaceat, sed ut a peccatis, quantum potest, se caveat, & si fragilitate ceciderit, quia scriptum est: *Numquid qui cadet, non adiiciet, ut resurgat, dicat: nunc cœpi, & per immutationem dexteræ excelsi semper per patientiam resurgat, ne illum ultimus dies in peccatis inveniat, & sine fine perditus fiat. Syn. Pisten. c. 1.*

TITULUS XXI.

DE SACERDOTE, QUI PŒNITENTIAM ACCEPIT.

Vide in Part. I. Lib. VI. Tit. XLVI. quibus adde:

CAPUT I.

DE recipiendis iis, qui ab hæreticis veniunt, & etiam ordinatis ab ipsis in gradu suo, dummodo de industria non se contulerint ad hæreticos, causa recipiendi ordines sacros. *Nicæn. II. act. 1. & 3. ubi multa de hac re.*

CAPUT II.

Pervenit ad nos quosdam de sacris ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante pœnitentiam ad ministerii sui officium revocari, quod omnino prohibemus, & in hac re sacratissimi quoque canones contradicunt. Qui igitur post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad altaris mi-

nisterium ulterius non accedat. *Gregor. lib. 3. ep. 26. Januario Episcopo Calaritano. Anselm. lib. 8. c. 20. Ivo lib. 3. tit. 11. c. 1. panorm. & part. 6. c. 78. decret. Cesar. lib. 8. c. 61. & 70. Tarrac. lib. 6. cap. 198.*

CAPUT III.

Accedens ad Gorgonam insulam fraternitas vestra discutiat id, quod ad nos de Saturnino expresbytero perlatum est. Pervenit namque ad nos, quia postquam pro crimine lapsus sui a sacerdotii ordine est dejectus, ad explendum ministerium sacerdotii præsumpsit accedere, & omnipotenti Deo hostias immolare. Quod si ita factum fraternitas vestra reperit, eum sacri corporis, & sanguinis dominici participatione privatum in pœnitentiam redigat, ita ut usque ad diem obitus sui in eadem excommunicatione permaneat, & viaticum tantummodo exitus sui tempore percipiat. Sin autem eum fraternitas tua talem pœnitentiam agere cognoverit, ut ei juste ad recipiendam inter laicos communionem, & ante exitum debeat misereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus potestate. *Gregor. lib. 4. ep. 5. Venantio Episcopo Lunensi. Anselm. lib. 8. cap. 21. Ivo part. 6. c. 83. decret. Tarrac. lib. 6. c. 211.*

CAPUT IV.

Præterea ad fraternitatis tuæ consulta respondentes statuimus diaconum, & Abbatem de portu Veneris, quem indicas cecidisse, ad sacrum ordinem non debere, vel posse ullo modo revocari. Quem quidem sacro ordine privatum in pœnitentiam deputare te convenit, cujus si postea actus, conversatioque meruerit, priorem inter alios monachos, ubi tu tamen decreveris, standi locum obtineat. Subdiaconi quoque, quos simili culpa constringit, ab officio suo irrevocabili- ter depositi inter laicos communionem accipiant. In portu autem Veneris loco lapsi diaconi alium, qui hoc officium implere debeat, ordinabis. Saturninum vero expresbyterum, ut numquam ad sacri ordinis ministerium præsumat accedere, scriptis cavere decrevimus, sed eum in insula Gorgona, atque Capraria sollicitudinem de monasteriis gerere, & in eo, in quo est statu, sine cujuscumque adversitate manere permittimus. *Gregor. lib. 4. epist. 16. Venantio Episcopo Lunensi. Anselm. lib. 8. c. 22. Ivo part. 3. tit. 11. cap. 10. panorm.*

CAPUT V.

Si lapsus ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ, dum pro reversionis spe, pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat, &c. Illud igitur præ omnibus studete, ut lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo revocare suadeat, ne hujusmodi non statuta, sed temporaliter dilata credatur esse vindicta. *Gregor. lib. 4. epist. 17. Constantio Episcopo Mediolanensi. Anselm. lib. 8. cap. 35. Ivo part. 3. tit. 11. cap. 13. panorm. & part. 6. c. 8. decret. Tarrac. lib. 6. cap. 106.*

CAPUT VI.

Postquam quemquam criminaliter abscedentem in locum, de quo lapsus est, nulla permittit

Dist. 50. c. 10.

Dist. 50. c. 10. Accedens, in med.

2. Pet. 2. d.

Psalm. 40.
Psalm. 76.

1. 9. 7. c. 4.

Dist. 50. c. 9.

Dist. 50. c. 1.

Dist. 50. c. 11.

ra-

ratio revocari, & ultra tres menses ecclesiam vacare Pontifice statuta sacrorum canonum non permittunt, ne cadente pastore dominicum gregem antiquus, quod absit, hostis insidiando dilaniet fraternitas vestra deprecationi eorum consentire, & in loco lapsi debet Episcopum ordinare. *Greg. lib. 6. epist. 39. Mariniano Episcopo Ravennati. Anselm. lib. 8. cap. 25.*

CAPUT VII.

Dist. 50. c. 3. Presbyterum, de quo nos fraternitas tua lateris presentium relatione consuluit, nulla ratione in sacro ordine post lapsum, aut permanere, aut revocari posse cognoscas. Circa quem tamen mitius agendum est, quia commissum facinus facili dicitur professione confessus. *Gregor. lib. 7. epist. 25. Sabiniano Episcopo. Ivo lib. 3. tit. 11. c. 14. Anselm. lib. 8. c. 26.*

CAPUT VIII.

Dist. 50. c. 16. Quia tua sanctitas hoc a nobis requisivit, ut sibi de sacerdotali officio post lapsum resurgendi auctoritatem scriberemus, dum se dicit de hoc canonum diversorum diversas legisse sententias, &c. A capite incipientes usque ad quartum altaris ministrum hanc formam servandam cognoscimus, ut sicut minorem major præcedit in honore, ita & in crimine, & quem major sequitur culpa, majori plectatur vindicta, quæ post pœnitentiam credatur esse fructuosa. Quid enim prodest triticum seminare, & fructum illius non colligere? aut domum construere, & non illic habitare? Post dignam igitur satisfactionem credimus posse rediri ad honorem dicente Propheta, *Numquid qui cadit non adiciet, ut resurgat? Et qui aversus est, non revertetur?* Et peccatori ait: *In quacumque die conversus ingemueris, tunc salvus eris, &c.* De hoc Propheta dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* De hoc peccantibus dicitur: *Peccator in quacumque die conversus ingemuerit, salvus erit: omnes iniquitates ejus oblivioni tradentur.* Si enim Redemptor noster, qui peccatores non perdere, sed justificare venit, in oblivione peccata delinquentium derelinquit, quis hominum condemnanda reservat, cum Apostolus dicat: *Si Deus justificat, quis est qui condemnet?* Ad fontem misericordiæ recurrentes, evangelii proferamus sententiam: *Gaudeo, inquit, super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.* Et ovem perditam, nonaginta novem non errantibus relictis, humero ad ovile reportandam quæsit. Si ovis perditam errans post inventionem ad ovile humero reportatur, cur post pœnitentiam ad ecclesiæ ministerium lapsus non revocetur? Sicut in Apocalypsi dicitur de ministro ecclesiæ: *Memento unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Quid enim est gravius, aut carnale delictum admittere, sine quo pauci inveniuntur, aut Dei filium jurejurando negare? In quo tamen ipsum beatum Petrum Apostolum Principem, ad cuius sacram corpus indigni sedemus, lapsum esse cognoscimus, sed post negationem pœnitentia secuta est, & post pœnitentiam misericordia da-

ta est, quia postea ab illo ab Apostolatu dejectus non est, qui ante quidem ipsum se negare prædixit. *Greg. epist. ad Secundin. inclus. lib. 7. registri epist. 53. Burch. lib. 19. cap. 43. Raban. de Pœnit. cap. 1. Ivo lib. 3. tit. 11. c. 15. panorm. & part. 6. cap. 85. decret.*

CAPUT IX.

Quicumque clerici ex Donatistis correcto concilio ad catholicam unitatem transire voluerint, secundam uniuscujusque Episcopi catholici voluntatem, atque consilium, qui in eodem loco gubernat ecclesiam, si hoc paci christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur, sicut prioribus ejusdem divisionis temporibus factum esse manifestum est, &c. Non ut concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur, sed ut illud maneat circa eos, qui sic transire ad catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio procuretur. Per quos autem, vel omnimodo perfici, vel adjuvari manifestis fraternarum animarum lucris catholica unitas in locis, in quibus degunt, visa fuerit, non eis obsit, quod contra honores eorum, quamvis salus nulli interclusa sit, in transmarino concilio statutum est, id est, ut ordinati in parte Donati, si ad catholicam correcti transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis secundum transmarinum concilium, exceptis iis, per quos catholice unitati consulatur. *Afric. cap. 35. L. Carthag. cap. 69. G.*

CAPUT X.

Gaudentius Valerensis sedis Episcopus, &c. Utrum accepta pœnitentia liceret sibi præcepta sui ordinis contrectare mysteria, vel solita explere officia, per synodalia instructionis se maluit certificare responsa. Tunc collatis in unum de hujusmodi canonicis instrumentis, hoc sancta synodus definivit, ut reconciliatione præmissa soliti ordinis retentet officia. Si enim regulæ præcedentium patrum eos, qui pœnitentiam in discrimine mortis accipiunt, & nulla de se manifesta scelera confitentur, si adsit tamen in his, & talibus probitas morum, ad ecclesiasticos gradus pervenire permittunt, quanto magis, ut ii, qui in ipso sacerdotio constituit pœnitentiam accipiunt, a sui ordinis officio retrahantur, tantum si se ipsi mortalium criminum professione propria non notarunt: cum enim omnis sacerdos tunc sibi licitum sacrificare sciat, quando a malis actibus vacat, qua ratione qui pœnitentiæ remedium suscipit, quod datur in remissione peccati, a sacrificiis divinis se abigit? Pœnitentia enim ad hoc suscipitur, ut peccatum diluat, & peccati sordes * hominem iterare non sinat, &c. Etenim pœnitentia in remedio peccati accipitur, &c. Pœnitens enim abstinere a peccatis pariter, & negotiorum sæcularium tumultibus debet, non ab his, quæ sancta videntur, & summa, se abstrahere, quæ operantem plus expiant, quam commaculando deturpant, &c. Sancta synodus definivit, ut stante præcorum canonum sanctione, quicumque Pontificum, vel sacerdotum deinceps per manus impositionem pœnitentiæ donum exceperint, nec se mortalium criminum professione

* al. omni-
no.

notaverint, tenorem retentandi regiminis non omittant, sed per Metropolitanum, reconciliatione poenitentium more suscepta, solita expleant ordinis, vel cetera mysteriorum sibi credita sacramenta. *Tolet. XIII. cap. 10.*

CAPUT XI.

Ne cuilibet videatur onerosum, si sacerdos post lapsum digne poenitus ad pristinos redeat honores. *Hibern. sub Leone III. Vide in tit. De recipiendis peccatoribus, qui poen. agere volunt.*

TITULUS XXII.

PRESBYTERIS, ET DIACONIS, QUI PECCARUNT, NON IMPONANTUR MANUS.

CAPUT I.

Dist. 50. c. 69. Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut poenitentiam agere cuicumque non conceditur clericorum, ita, & post poenitentiam, ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipisci. *Syric. epist. 1. c. 14. Burch. lib. 19. c. 69. Ivo part. 6. c. 54. & part. 15. c. 63. decret. Anselm. lib. 7. c. 20.*

CAPUT II.

Dist. 50. c. 67. Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore, aut in diaconii gradu fuerint consecrati, pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant poenitendi, quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo.* Unde hujusmodi lapsus ad promerendam misericordiam Dei, privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio digna sit etiam fructuosa. *Leo ep. 90. c. 2. ad Rustic. Narbon. Burch. lib. 19. c. 71. Ivo part. 6. c. 67. decret. Anselm. lib. 11. c. 28. Casaraug. lib. 5. cap. 10.*

CAPUT III.

d. 50. c. 65. Confirmandum. Presbyteris, vel diaconis de crimine convictis, & a ministerio amotis manus non imponantur, ut poenitentibus, velut fidelibus laicis, neque ut rebaptizati revertantur ad clerum. *Carth. c. 27. G. Carth. V. c. 11. L. Raban. cap. 1. de Poenit. Capit. lib. 5. c. 66. Burch. lib. 19. cap. 72. Ivo part. 15. c. 85. decret. Anselm. lib. 11. c. 29.*

CAPUT IV.

d. 82. c. 5. Sacco indutus (presbyter, qui in fornicationem incidit) humo adhæreat, &c. in publicum non procedat, ne grex fidelium in eo scandalum patiatur, nec enim debet sacerdos publice poenitere, sicut laicus, &c. *Hibern. sub Leon. III. Casar. lib. 15. c. 41. Poenit. Rom. tit. 8. c. 6.*

TITULUS XXIII.

DE TEMPLIS, ET PRESBYTERIS OLIM AD SUSCIPENDOS POENITENTES CONSTITUTIS.

CAPUT I.

Marcellus fecit cœmeteria via Salaria, & xxv. titulos in urbe Roma constituit, quasi diceceses, propter baptismum, & poenitentiam multorum, qui convertebantur, ex paganiis, & propter sepulturas martyrum. *Damas. in Marcello.*

CAPUT II.

Simplicius constituit ad sanctum Petrum A-

postolum, & ad sanctum Paulum Apostolum, & ad sanctum Laurentium martyrem hebdomadas, ut presbyteri manerent ibi propter poenitentes, & baptismum. *Ex Pontif.*

TITULUS XXIV.

POENITENTIÆ QUÆDAM CLERICIS, ET MONACHIS PROPRIE CONSTITUTÆ.

CAPUT I.

Præsenti decreto statuimus, ut nisi a paucioribus, & inferioribus aliquid rationabile fuerit ostensum, appellatione remota, prævaleat semper, quod a majori, & saniori parte capituli fuerit constitutum. Nec constitutionem nostram impediatur, si forte aliquis ad conservandam ecclesiæ suæ consuetudinem, se juramento dicat astrictum, &c. Si quis autem hujusmodi consuetudines, quæ non ratione juvantur, nec sacris congruunt institutis, jurare præsumperit, donec congruam egerit poenitentiam, a dominici corporis perceptione fiat alienus. *Alex. III. in concil. Later. c. 16.*

CAPUT II.

Si accusatus Episcopus confiteatur, poenitentia * competens definiatur. *Apost. c. 74.*

CAPUT III.

De poenitentia presbyteri depositi, qui ausus fuit sacrificium offerre. *Greg. lib. 4. ep. 5. & 16.*

CAPUT IV.

Episcopi, qui eum, qui pervasor est, consecrant Episcopum, sex mensibus debent privari communionem corporis, & sanguinis Christi, & debent agere poenitentiam in monasterio, si non sua sponte, sed metu id fecerint, tempus poenitentiae abbreviandum est. *Greg. lib. 11. epist. 48. Anselm. lib. 3. c. 90.*

CAPUT V.

Si qui presbyteri, qui de laicis promoti fuerint, & antea criminalibus causis obvoluti, celantes peccatum suum, ordinati sunt, postmodum vero & manifestata est eorum iniqua actio, hos sacerdotali habitu privatos poenitentiae submitte. *Zachar. ep. 5. ante fin.*

CAPUT VI.

Si quis diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum acta legitima poenitentia post triennium accipere communionem. Quod si alius detexerit post quinquennium acta poenitentia accipere communionem laicam debere. *Elib. c. 76. vide Valent. Gallie c. 4.*

CAPUT VII.

Contumaces clerici, pro ut dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur, & si qui prioris gradus elati superbia, communionem fortasse contempserint, aut ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita ut cum eos poenitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum, dignitatemque recipiant. *Agath. cap. 2. Capit. lib. 7. c. 311. & in addit. 280. Ivo part. 6. cap. 366. decret.*

CA-

c. 1. de his qua major. part. eatip. ap. Gr. IX. & in 1. coll.

* poena vel multa.

2. q. 1. cap. In primis.

7.

d. 50. c. 39.

6. cap. 366. decret.

CAPUT VIII.

d. 50. c. 36.

De clericis, qui in obsessionis necessitate positi fuerint, id statutum est, ut qui altario ministrant, &c. ab omni humano sanguine, etiam hostili se abstineant. Quod si in hoc inciderint duobus annis tam officio, quam communione corporis Domini priventur, ita ut his duobus annis, vigiliis, jeuniis, orationibus, & elemosynis pro viribus, quas Dominus donaverit, expientur, &c. *Ilerd. c. 1.*

CAPUT IX.

17. 9. 4. Nullus, cap. 19.

Donec digne poeniteat, ab ecclesia segregetur clericus, qui servum, aut discipulum suum ad ecclesiam confugientem extraxerit, vel flagellaverit. *Ilerd. c. 8. Ivo lib. 2. tit. 7. c. 5. panorm. C. part. 3. c. 117. C. part. 6. c. 370. decret. Casar. lib. 7. c. 5.*

CAPUT X.

Nullus clericorum a subdiacono, & supra propriae miscetur uxori, &c. Quem si sciens Episcopus suus in hac utilitate permixtionis viventem, ad officium postea admitterit, & ipse Episcopus ad agendam poenitentiam tribus mensibus sit a suo officio sequestratus. *Aurelian. III. c. 2.*

CAPUT XI.

Quicumque minus, quam XII. psalmos ad matutinum dixerit, jejuset usque ad vesperam, panem cum aqua manducet, & non illi sit altera in illa die ulla refectio, & qui hoc facere contempserit, una hebdomada panem cum aqua manducet, & jejuset omni die usque ad vesperum. *Turon. II. c. 19.*

CAPUT XII.

Quotiescumque archipresbyter seu in viciniam manserit, seu ad villam suam ambulaverit, unus lector clericorum suorum, aut certus aliquis de numero clericorum cum illo ambulet, & in cella, ubi ille jacet, lectum habeat pro testimonio. &c. Si in hoc presbyter negligens inventus fuerit, quod non hoc sit implere contendat: xxx. diebus communione privetur, donec poenitentiam agat, & sic revertatur ad gratiam, &c. Illi vero archipresbyteri, qui talem cautelam super juniores suos habere noluerint, & non eos habuerint studio distringendi, ab Episcopo suo in civitate retrudantur in cellam, ibique mense integro panem cum aqua manducet, & poenitentiam agant pro sibi credito clero, &c. *Turon. II. c. 20.*

CAPUT XIII.

Si post hanc definitionem clericus cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, a seniore ita coerceatur, ut xxx. dierum inclusione detentus aqua tantum, & modico pane diebus singulis sustentetur. *Marisc. c. 5.*

CAPUT XIV.

Si monachus in monasterio adulterium commiserit, aut peculiare habere praesumpserit, aut fecerit, & hoc Abbas per se non emendaverit, non intimaverit, ad poenitentiam agendam in alio monasterio retrudatur. *Antif. c. 23.*

CAPUT XV.

Si quis Abbas mulierem in monasterio ingredi permiserit, aut festivitates aliquas ibi spectare praesceperit, tribus mensibus in aliquo monasterio

retrudatur pane, & aqua contentus. *Antifod. cap. 16.*

CAPUT XVI.

Clerici, qui in quacumque seditione arma volentes sumplerint, amisso ordinis sui gradu, in monasterium contradantur poenitentiae. *Tolet. IV. c. 44. Anselm. lib. 7. c. 187.*

CAPUT XVII.

Presbyteri, sive ceteri clerici, quibus major honoris locus apud eandem ecclesiam fuerit, cujus sacerdos obierit, si omni sollicitudine pro exequiis, aut jam mortui, aut continuo morituri Antistitis ad commendandum Episcopum tardi inveniantur, aut per quamcumque molestiam animi id negligere comprobentur, totius anni spatium ad poenitentiam in monasteriis deputentur. *Tolet. VII. c. 4. Trast. c. 14. Burch. lib. 1. cap. 216. Ivo part. 5. c. 330. decret.*

CAPUT XVIII.

Placuit huic sanctae synodo, ut quisquis ille Episcopus ad concilium venire distulerit, amotus illinc, excommunicationis agat tempus, ubi cum his, qui praesentes fuerint, elegerit Metropolitanus, cella vero, & res ad eum pertinentes, quousque ille sub poenitentia fuerit, instantia, & sollicitudine regantur Metropolitanus, quia ideo est hoc electum, ut dicat sub poenitentia, quod implere noluit voluntate recta. *Emerit. c. 7.*

CAPUT XIX.

Placuit huic sancto concilio, ut Metropolitanæ sedis auctoritate coacti uniuscujusque provinciae Pontifices, rectoresque ecclesiarum unum, eundemque in psallendo teneant modum, quem in Metropolitana sede cognoverint institutum, &c. Quisquis horum decretorum violator extiterit, sex mensibus communione privatus apud Metropolitanam sub poenitentiae censura permaneat corrigendus, &c. *Tolet. XI. c. 3.*

CAPUT XX.

Placuit, ut nullus alienum presbyterum, Abbatem, ministrum, sive subdiaconum, vel quemlibet clericum, seu etiam monachum fugientem, vagumque suscipiat, non ad fugam suadeat, non fugae latibulum praebat, non apud se habito, vel retento humanitatem impendat, non occasiones, quibus quasi se nesciente alibi lateat, turpi oppositione confingat, &c. Si hujus institutionis nostrae praevicator presbyter, diaconus, vel quilibet ex religiosis videatur haberi reddito eo cum rebus sibi debitis, quem suscepit, ipse solus apud eum anno integro sub poenitentiae censura deputatus tuebitor, cujus fugitivum suscepisse monstratur. *Tolet. XIII. c. 11.*

CAPUT XXI.

Si quis in collegio Canonicorum culpam criminalem admiserit, huic nulla danda est dilatio, quin aut sponte poenitentiam pro admisso crimine gerat, aut si id agere resultaverit, coram Episcopo deducatur, ut ab eo publica mulctetur poenitentia. *Aquisgr. c. 134.*

CAPUT XXII.

Unusquisque Episcoporum, non solum presbyterorum, verum etiam sequentium ordinum parochiae suae gradum amittentium vitam, &

con-

23. 9. 8. 6.

d. 12. c. 13. De his.

d. 28. c. 9.

conversationem, morumque emendationem tam per se, quam per ministros suos noverit, eosque canonicæ pœnitentiæ subdere non negligat. Juxta quod in Neocæsariensi concilio titulo 1. dicitur: „[Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & sub pœnitenta redigi “. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 35. Neocæsar. c. 1. Magunt. sub Arnulph. c. 19. Martin. Brachar. c. 27. Burch. lib. 2. c. 108. Ivo lib. 3. tit. 8. c. 8. panorm. & parr. 6. c. 163. decret.*

CAPUT XXIII.

Perventum est siquidem ad nos, quod contra patrum decreta, & totius Christianæ religionis consuetudinem, in monasteriis regularibus, laici in medio sacerdotum, & levitarum, ac cætorum religiosorum virorum, ut domini, & magistri resideant, & velut Abbates de illorum vita & conversatione decernant, eosque dijudicent, ac regimina animarum, ac divina eis secundum regulam, non solum sine præsentia, verum etiam sine conscientia Episcopi committant sacraria, & ita præsumptive doceant, qui noluerunt fieri discipuli veritatis, & saltu inordinato magistri fiant erroris, &c. Si quis hoc de cætero præsumpserit, & admonitus a tali præsumptione se corrigere noluerit, & idem, & qui einaverit, vel consenserit, a corpore Christi separetur, & sanguine. Qui autem de monachis per talem manum obedientiam regularem susceperit, gravioris culpæ vindicta puniatur. Quod si post quisquam illorum præsumpserit, judicio sancti Spiritus, præsentis decreti auctoritate anathematizetur. Si autem monachus contemnens gradum ecclesiasticum habuerit, eo privetur, & si non habuerit gradum, pane, & aqua contentus ergastulo diebus quadraginta retrudatur, & de ministerio indebito adepto ultionem canonicam, qualibet sæculari potestate prædictum honorem ecclesiasticum vult obtinere, ex hoc decreto sustineat. Episcopi vero, qui hæcenus tantam silentio consenserunt præsumptionis perniciem, durius arguantur. Et si deinceps istud sine vindicta dimiserint, aut agere in suis parochiis consenserint, tribus mensibus hoc synodali judicio a missarum solemnibus se abstineant, & suæ tantum ecclesiæ communionem contenti fiant. *Concil. Holoniense cap. 10. apud concil. Meldens.*

CAPUT XXIV.

Quidam diaconus, qui de sacrilegio confessus, & convictus fuit, pro misericordia in carcere poni jussus est interdicto ministerio, & ut pro eo omnes generaliter orarent, injunctum est. *Mertens. cap. 6.*

TITULUS XXV.

VARIA PŒNITENTIÆ.

CAPUT I.

Sanctissimus Patriarcha Ignarius dixit: „ Epytimia, quæ indicta sunt his, qui ceciderunt Episcopis, & presbyteris, & diaconis, & subdiaconis, ab hac sancta & universali synodo in audientiam omnium legantur “. Et accipiens Stephanus diaconus, & notarius legit:

„ Sit remedium, & salutem animæ ferens, & valde discretum epytimium sacerdotum, qui per multam consuetudinem ceciderunt, & negaverunt propria chirographa, quæ bene regulariter edita sunt ad spirituales conflictum, & unitatem sanctæ catholicæ ecclesiæ: si quidem carnibus vescuntur, abstinere se a carne, caseo, & ovo: hi vero, qui carnes non comederunt, abstinere a caseo & ovo, & piscibus quarta feria, & parasceve legumina, & olera cum oleo, & pauco vino, facereque genuflexiones quinquaginta per singulos dies, & dicere *Kyrie eleison* centies, & *Domine peccavi*, centies, & *Domine ignosce mihi peccatori*, centies. Recensereque sextum psalmum, & tricesimum septimum, & quinquagesimum. Hæc mando tibi custodire usque ad Christi natiuitatem. Non autem habeas potestatem ministrandi, nec agendi quoquo modo, quæ sacerdotum sunt. Et tunc in natalitiis magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi recipies sacerdotium tuum, & mecum eris sacerdotio fungens, & ministrans immortalis æterni Deo. *Synod. VIII. gener. actio. 2. in fine.*

CAPUT II.

Si ecclesia se alteri Episcopo junxerit, aut per se alterum Episcopum adduxerit, aut esse fecerit, vel desideraverit, per acerrimam pœnitentiam suo reconcilietur Episcopo, aut innupta permaneat. *Evarist. epist. 2. in princ. Burch. lib. 1. cap. 76. Ivo part. 5. cap. 182. decret. Anselm. lib. 6. cap. 102.*

CAPUT III.

Raptores, vel eos, qui seniores impetunt, sæculi leges interficiunt, sed nos misericordia præeunte sub infamiæ nota ad pœnitentiam recipimus. Ipsam quoque infamiæ, qua sunt aspersi, delere non possumus, sed animas eorum per pœnitentiam publicam & ecclesiæ satisfactionem sanare cupimus, quia manifesta peccata, non sunt occulta correctione purganda. *Callist. epist. 2. in med. Greg. lib. 12. epist. 31. registr. Isidor. lib. 3. de summo bono c. 46. apud Aquisgran. sub Ludov. Imper. c. 36. Ivo part. 9. c. 23. detr. Anselm. lib. 11. c. 21.*

CAPUT IV.

Hoc inter alia discrimina agi in partibus illis dixisti, quod quidam ex fidelibus ad immolandum paganis sua venundant mancipia &c. Eis, qui hoc perpetraverunt, similem homicidæ indices pœnitentiam. *Greg. II. ep. 8. in fin.*

CAPUT V.

Qui ingrediuntur ecclesiam, & audiunt sacras scripturas, non vero communicant oratione cum populo, aut averfantur susceptionem Eucharistiæ propter aliquam insolentiam, eiiciantur ab ecclesia, quoad confiteantur, & ostenderint fructus pœnitentiæ, & deprecentur veniam. *Antioch. c. 2. Mart. Bracar. cap. 84. Capitul. lib. 7. c. 176. in additis.*

CAPUT VI.

Quia totum diem (*loquitur de die passionis Dominicæ*) universalis ecclesia propter passionem Domini in mœrore, & abstinentia peragit, qui-

7. 9. 1. Si-
cut, cap. 11.2. 9. 4. c. 4.
Confanguineorum, in
fin.cap. 2. de pœ-
nitent. Greg.
IX. & in X.
coll.De conf. d. 2.
Si quis, c.
18.

quicumque in eo jejunium præter parvulos, senes, & languidos, ante per ætas indulgentiæ præces, perfolverit, a paschali gaudio depellatur. *Toletan. IV. cap. 7.*

CAPUT VII.

Qui in quadragesima carnes comedit absque inevitabili necessitate, atque fragilitate, & evidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis toto anno caribus abstineat, & die paschæ non communicet. *Toletan. VIII. cap. 9.*

CAPUT VIII.

Qui nullis habitis rebus propriis, aut in quocumque pervasores extiterint, &c. juxta quod præsumptuosus quisque extiterit, ita & poenitentia legibus subiacebit, id est, si in decem solidorum summam præsumptor esse convincitur, viginti dierum poenitentia satisfactione purgetur, ita ut semper geminata satisfactione poenitentia recompenset, &c. *Toletan. XI. cap. 5.*

CAPUT IX.

Si forte aut Abbatis, aut alia quælibet famulationalis post hanc definitionem in tantam audaciam proruperit, ut viduam, aut puellam virginem velare præsumat, congrua ab Episcopo suo correctione coerceatur, & poenitentia canonica, usque ad satisfactionem subdatur. *Paris. sub Ludov. & Lothar. lib. 1. cap. 43.*

CAPUT X.

Ut tanta inter nos largiente Domino charitas, & unitas teneatur, ut quoties aliqui in populis, quibus regendis præesse dignoscimur, adversus ecclesiam, & sacerdotalem auctoritatem contemptores, & rebelles existunt, tanta instantia invicem, & litteris, & verbis juvare studeamus, ut pondere ecclesiastici vigoris retrusi, & pressi, vel ad humilitatem poenitentia compellantur, aut si ab una ecclesia fuerint excommunicati, in nulla alia fallo, & furtive communicandi inveniant facultatem. *Valentin. sub Lothar. cap. 13.*

CAPUT XI.

Si quis post hanc hujus sancti concilii definitionem inventus fuerit corrupisse bannum ab Episcopis impositum, quadragesima dierum castigatione corripiatur, tantum in pane, sale, & aqua. *Tribur. cap. 8.*

CAPUT XII.

„ Quicumque alienigenam, hoc est aliena genti sceminam, in conjugium duxerit, velit, „ nolit, tenenda erit, nec ultra ab ea separanda, „ excepta fornicationis causa “ &c. Si quis post hæc hujus sancti concilii institutionem parvipendens, aliam duxerit, cujuscumque gentis sit, canonice arceatur, ut priorum poenitentia copuletur. *Tribur. cap. 39.*

TITULUS XXVI.

COMMUNIA DE PŒNITENTIA.

CAPUT I.

Si quis Episcopus, vel alius pontificalis dignitatis, monachorum vitam velit agere, & poenitentia locum implere perpetuo, non possit dignitatem pontificalem resumere: nam monachorum status humiliationis habet rationem, & disciplina, non doctrina, & prælationis, neque

aliorum pastor esse debet, sed pasci censetur. Quamobrem, ut dictum est, sancimus, ut nemo deinceps ex pontificali dignitate, ex pastoralis cura in ovium, & poenitentium locum se submittat. *Synod. IX. sub Joann. VIII. act. 5. c. 2. Ivo part. 7. c. 149. decr. Casar. lib. 9. c. 62.*

CAPUT II.

Nemo det poenitentiam, nisi quadragesima annorum petenti. *Silv. in syn. Rom. CCLXXXIV. Episcop. cap. 12.*

CAPUT III.

Curandum maxime, & omni cautela est providendum, ne quis fratrum, coepiscoporumque nostrorum, aut etiam presbyterorum in alterius civitate, vel diocesi poenitentem, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum, qui reconciliatum se esse dixerit sine Episcopi, vel presbyteri testimonio, & litteris, ad cujus pertinet parochiam, presbyter, aut Episcopus in civitate sufficiat. *Felix III. in syn. Rom. c. 6.*

CAPUT IV.

Sacerdos, aut quivis alius in ordinem ecclesiasticum proventus, si in eo scelere inveniatur, quo abiiciendus existat, depositus providentia Episcopi bene proviso constituatur, ubi peccata lugeat, & ulterius non committat. *Syn. Roman. sub Eugen. II. & Leone IV. c. 14.*

CAPUT V.

Ne tempore interdicti morientibus poenitentia negetur. *Callist. II. in conc. Rom. c. 11.*

CAPUT VI.

Tam juvenes, quam senes de his, & de omni conversatione sua, & conversione, & poenitentia valde esse sollicitos oportet, satisque agere, ut hæc condigne agant &c. Tum præterea declinare a consortiis inhonestis, & infidelibus, &c. Veram poenitudinem gerere præteritorum gestorum, aliquantulum etiam, si possibile est, per misericordias pauperum juvare poenitentiam: per hæc enim facilius venia dabitur, & indulgenti citius indulgebatur. Quod si proventus ætatis sit is, qui ad poenitentiam venit, eo magis gratias agere debet Deo, quod postquam finis est omnis impetus concupiscentia carnalis, scientia veritatis accepta, nulla ei imminet pugna certaminis, per quam insurgentes adversus animam reprimat corporis voluptates. Superest ergo ei, in agnitione veritatis, & misericordia operibus exerceri, ut afferat fructus dignos poenitentia. Nec putet, quia in temporis longitudine documentum conversionis ostenditur, & non in devotio-nis, ac propositi firmitate, Deo enim manifestæ sunt mentes, quia non temporum rationem colligit, sed animorum. Ipse enim probat, si quis agnita veritatis prædicatione non diffudit, neque tempus negligendo consumpsit, sed statim, & si dici potest, eodem momento præterita perhorrescens, futurorum desiderium coepit, & in amorem regni cælestis exarsit. Propter quod nemo vestrum ultra dissimulet, nec retro respiciat, sed ad evangelium regni Dei libenter accedat. Non dicat pauper, quia cum dives factus fuero, tunc convertar. Non requirit a te Deus pecuniam, sed animum misericordem, & piam mentem. Neque di-

Dist. 61. c. 7.

Luc. 12. dives conversionem suam differat, pro sollicitudine seculari, dum cogitat, quomodo dispenset abundantiam frugum. Neque dicat intra semetipsum. Quid faciam? ubi recondam fructus meos? Neque dicat animæ suæ: Habes multa bona reposita in annos multos, epulare, & lætare, nam dicitur ei: *Stulte hac nocte auferetur abs te anima tua, & quæ parasti, cujus erunt?* Itaque festinet ad pœnitentiam omnis ætas, omnis sexus, omnique conditio, ut vitam consequatur æternam. Juvenes quidem in eo grati sunt, quod in ipso impetu desideriorum cervices suas jugo subiiciunt disciplinæ. Senes & ipsi laudabiles, quia multi temporis consuetudinem, in qua male præventi sunt, pro Dei amore commutant. Nemo ergo differat, nemo cunctetur. Quæ enim causa cunctandi est ad bene agendum? Animus sibi male conscius, dum videtur sibi nullam pœnam pati, credit, quia non iudicet Dominus, cum abuti patientia Dei, & non intelligere parentis benignitatem, jam sit magna damnatio. Unde scriptum est: *Maledictus omnis, qui opus Domini negligenter agit. Clem. ep. 2. in med.*

Hier. 48. CAPUT VII.
De pœnitentibus vero, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo quinta feria ante pascha eis remittendum Romanæ ecclesiæ consuetudo demonstrat, &c. Sane, si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat. *Innoc. ep. 1. c. 7. Cap. lib. 5. c. 67. Casar. lib. 15. c. 27. Tarrac. lib. 4. c. 36.*

Dist. 95. Il- CAPUT VIII.
lud, c. 3. Pœnitentibus fundi non potest (*loquitur de extrema unctione*) quia genus est sacramenti, nam quibus reliqua sacramenta negantur, quo modo unum genus putatur posse concedi? *Innoc. epist. 1. cap. 8. Ivo part. 2. c. 75. decret. Anselm. lib. 11. cap. 14.*

de pœnit. d. CAPUT IX.
1. c. Aliud. Illicitorum veniam postulantem oportet, multis etiam licitis abstinere, dicente Apostolo: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Unde si pœnitens habeat causam, qua negligere non debeat, melius expetit ecclesiasticum, quam forense iudicium. *Leo epist. 90. c. 8. ad Rusticum Narb. Rab. c. 39. de pœnit. Anselm. lib. 11. cap. 133.*

de pœnit. d. CAPUT X.
5. c. 2. Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit, quia est honestus quæstus, & turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est etiam dispensanda pati, quam periculis negotiationis obstringi, quia difficile est inter ementis, vendentisque commercium non intervenire peccatum. *Leo ep. 90. c. 9. ad Rustic. Narbon. Episcop. Raban. c. 39. de pœnit. Burch. lib. 2. c. 128. & lib. 19. c. 95. Ivo part. 15. c. 107. decret. Anselm. lib. 11. c. 131. Casar. lib. 8. c. 80.*

16. q. 6. c. CAPUT XI.
5. De lapsis sacerdotibus, vel levitis, vel quolibet ex clero observare te volumus, ut in rebus

eorum nulla contaminatione misceris, sed pauperissima regularia monasteria require, quæ secundum Deum vivere sciuntur*, & in eisdem monasteriis ad pœnitentiam lapsos trade, ut res lapsorum in eodem loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur, quatenus ipsi ex rebus illorum subsidium habeant, qui de correctione eorum sollicitudinem gerunt; si vero parentes habuerint, eorum parentibus legitimis dentur, ita tamen, ut eorum stipendium, qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeat procurari. Si qui vero ex familia ecclesiastica sacerdotes, vel levitæ, vel monachi, vel clerici, vel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum ecclesiastico juri non subtrahi. Ad usum tamen suum accipiant, unde ad pœnitendum* subsistant, ne, si nudentur, locis, in quibus dati fuerint, onerosi sint. *Greg. lib. 1. ep. 42. Petro Subdiacono. Ivo part. 6. cap. 380. & part. 15. cap. 20. decret. Anselm. lib. 8. cap. 1. Casar. lib. 8. c. 67. Tarrac. lib. 1. c. 262.*

* sciunt.

* pœnitentiam.

CAPUT XII.
Manifesta peccata non sunt occulta correptione purganda. *Gregor. lib. 12. regist. & cap. 31. Felici Episc. Anselm. lib. 11. c. 21.*

De pœnit. & remiss. c. 1. apud Gr. IX. & in 1. coll.

CAPUT XIII.
Iudicium pœnitentiæ, quod postulatis, Episcopi nostri, quos in patriam vestram misimus, in scriptis secum utique deferent, aut certe Episcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc cum oportuerit, exhibebit. Nam sæculares tale quid habere non convenit, nimirum quibus per id quam judicandi ministerium nullum tribuitur. *Nicol. ad consult. Bulg. c. 75.*

CAPUT XIV.
Omnis, qui attulerit litteras confessorias, sublato nomine confessoris, eo quod sub hac nominis gloria partim concutiant simplices, communicatoriæ ei dandæ sunt litteræ. *Elib. c. 25.*

CAPUT XV.
De his, qui confessorum litteras offerunt, placuit, ut sublatis eis litteris, alias accipiant communicatorias. *Arelat. c. 9.*

CAPUT XVI.
Pœnitentiam conjugatis non nisi ex consensu danda. *Arelat. II. cap. 22. Burch. lib. 19. cap. 3. Ivo part. 8. cap. 280. & part. 15. cap. 14. & 123. decret.*

33. q. 4. c. ult.

CAPUT XVII.
Ut scenicis, atque histrionibus, cæterisque huiusmodi personis, vel apostaticis conversis, vel reversis ad Dominum gratia, vel reconciliatio non negetur. *Carthag. III. c. 35.*

CAPUT XVIII.
Qui Episcopus ordinandus est, antea examine- tur, &c. si pœnitentibus reconciliatis communi- cet, &c. *Carthag. IV. c. 1. Burch. lib. 1. c. 8. Ivo part. 5. c. 62. decret.*

d. 23. c. 2.

CAPUT XIX.
Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a sacerdotibus imponantur. *Carth. IV. c. 80.*

26. q. 7. c. 6. Sacerdos.

CAPUT XX.
Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant. *Carthag. IV. c. 82.*

26. q. 7. Sa- cerdos. c. 6.

CAPUT XXI.

26. 9. 6. Qui recedant. c. 7. §. 1. Pœnitentiam desiderantibus clericis non negandam. *Araus. c. 4.*

CAPUT XXII.

Pœnitentes viri tonsa capite, & religioso habitu utentes, jejniis, & obsecrationibus vitæ tempus peragant. *Barcin. c. 6.*

CAPUT XXIII.

Ut pœnitentes epulis non intersint, nec negotiis operam dent in datis, & acceptis, sed tantum in suis domibus vitam frugalem agere debeant. *Barcin. c. 7.*

CAPUT XXIV.

Pœnitentes sermonem Episcoporum audiant, & evangelia. *Valens. Hispan. c. 1.*

CAPUT XXV.

Diff. 81. c. 14. * his Si diaconus, vel presbyter pro reatu suo se ab altaris communionem sub pœnitentis professione submoverit, sic * quoque, si alii defuerint, & causa certæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare. *Aurel. c. 14. sive 12. Ivo part. 6. c. 368. & part. 15. c. 18. decret. Tarrac. lib. 6. c. 4.*

CAPUT XXVI.

Secundum concilia priscorum orthodoxorum decrevit fraternitas, ut quicumque fuerit culpabilis inventus clericus, aut honoratus de civitate, & ad monasterium fuerit deputatus, sic Abbas cum illo, qui dirigitur, agat, sicut ab Episcopo manifesta correctione fuerit ordinatum, aliter si Abbas facere elegerit, pro correptione tempus aliquod suspendatur, quia ob hanc causam dirigitur, ut emendet, non ut passim ferculis diversis saturetur. *Narbon. c. 6.*

CAPUT XXVII.

Quisquis per aliqua illicita ex membro Christi se fecit membrum diaboli, noverit se non in corpore Christi, sed in corpore esse diaboli. Proinde necesse est, ut corpori Christi, a quo actu diabolico separatus est, se incunctanter, dum tempus pœnitentiæ in promptu habetur, restituere non negligat. *Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 2.*

CAPUT XXVIII.

Cap. 67. Augustinus in libro Enchirid. „ Credantur „ (inquit) in quibusdam etiam hi, qui nomen „ Christi non relinquunt, & ejus lavacro in ec- „ clesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate, „ vel hæresi præciduntur, in quantilibet scele- „ ribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec „ elemosynis redimant, sed in eis usque ad hu- „ jus vitæ ultimum diem pertinacissime perseve- „ rent, salvi futuri per ignem, licet pro magni- „ tudine facinorum, flagitiorumque, diuturno, „ non tamen aeterno igne puniri. Sed qui hoc „ credunt, & tamen catholici sunt, humana „ quædam benevolentia mihi falli videntur, „ nam scriptura divina aliud consalta respon- „ det „, &c. His documentis perdocemur, quod „ indulta tempora pœnitentiæ in vanum non sint „ deducenda, & quod fides Christi bonis semper „ sit operibus exornanda. *Concil. Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 2. c. 10.*

CAPUT XXIX.

Illi scilicet, qui pro diversis erratis, vel quibus-
Tom. VI.

cumque piaculis pœnitentiæ jugo fuerint summissi, legitimo nullatenus matrimonio separentur, ne in fornicationis voragine demergantur, & dum ad alta sublevari sperantur, corruant in cœno. *Vormat. c. 37.*

CAPUT XXX.

Sancimus, & præcipimus, ut nullus comes aliquem pœnitentem ad placitum ire compellat, nec ipse veniat, ne forte dum jejunare, & orare, atque pro salute suæ animæ debet invigilare, vaniloquiis, & contentionibus cogatur laborare. *Tribur. cap. 35. in fin.*

CAPUT XXXI.

Et illud sub anathemate præceptum est, ut nullus presbyterorum cuiquam pœnitenti carinam * dividere præsumat, si infirmitas non inter-
** id est qua- dragesimam.*
venierit. *Salgunst. cap. 17. post Burch. decret. Ivo part. 15. cap. 183. decret.*

CAPUT XXXII.

Decretum est in eodem concilio, ut omnis pœnitens, dum carinam suam jejunat, de loco in locum non migret, sed ibi permaneat, ubi suam acceperit pœnitentiam, ut proprius sacerdos sibi præbeat testimonium: si autem ibi propter hostiles insidias jejunare non poterit, tuus sacerdos eum confratrum suorum alicui, ubi pacifice possit jejunare, diligentissime commendet. *Salgunst. cap. 19. post Burch. descr. & Ivo part. 15. c. 185. descr.*

CAPUT XXXIII.

Nullus Abbas, monachus, vel quilibet alius pœnitentias injungat, nisi quibus proprius Episcopus hanc curam dederit. *Pictav. c. 5.*

CAPUT XXXIV.

Fletus, seu luctus est extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredienti orare, ut pro se precantur. Auditio est intra portam in ferula, ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad catechumenos, etiam illinc egredi. Audiens enim, inquit, scripturas, & doctrinam eiiciatur, & precatione ne dignus censeatur. Subjectio autem, seu substratio est, ut intra templi portam stans cum catechumenis egrediatur. Congregatio, seu consistentia est, ut cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non egrediatur. Postremo est participatio sacramentorum. *Gregorius Taumaturgus c. 11. De iis, qui idolothyta comederunt.*

CAPUT XXXV.

Qui pœnitentiam agunt, aperte anathematizent nominantes Eudoxii, & Euzoii improbam fidem, ipsi enim illum deinceps creaturam improbe blasphemantes Arianæ sectæ præesse scripti sunt. *Athanas. epist. ad Rufinianum.*

CAPUT XXXVI.

Admonendi sunt fideles sanctæ Dei ecclesiæ, ut filios suos, & filias suas doceant Parentibus obedientiam exhibere, &c. Et hoc dicendum est eis, ut si illi genitili affectu parcere, velut injuriis filiorum, non has impune Dominus sinit, nisi forte digna pœnitentia exhibeat. *Theodulph. ad presbyt. Aurel. c. 33.*

CAPUT XXXVII.

Quod ad nos attinet, conscientiam nostram con-
Dist. 47. c. ult.
venit

venit semper dare operam, ne quis culpa nostra pereat. Si quis autem ultro, & crimine suo perierit, & poenitentiam agere, atque ad ecclesiam redire noluerit, nos in die iudicii inculpato futuros credimus, &c. *Cyprian. ep. 3. in med.*

CAPUT XXXVIII.

Præcipimus, & auctoritate nostra in iungimus omnibus Regni nostri Comitibus postquam ab Episcopis anathemate excommunicationis percelluntur, & tamen ad poenitentiam non inclinantur, ut ab ipsis comprehendantur, & ante

nos perferantur, ut qui divina iudicia non verentur, humana sententia feriuntur, &c. Si tam rebelles extiterint, ut comprehendentibus repugnare studuerint, & in tali temeritate interfecti fuerint, iudicio Episcoporum interfecto nullam imponatur poenitentia. *Arnulphus Imper. in concil. Triburiens. c. 3.*

De poenitentis vero, quæ singulis peccatis assignabatur, agemus in tertia Parte in libris De poenis peccatorum contra Deum, contra se, & contra proximum.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

De Extrema unctione, Funeribus, & Sepulturis.

TITULUS I.
DE EXTREMA UNCTIONE.

CAPUT I.

Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesie, & orent super eum: ungentes eum oleo in nomine Domini, oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei, &c. *Jacob. in ep. canon. c. 5. num. 14.*

CAPUT II.

De stimon. c. 8. Gr. IX. c. 7. eod. tit. in 2. coll.

Pro sepultura, chrisma, & olei sacri perceptione nulla cuiusquam pretii exactio intercedat, nec sub obtentu alicujus consuetudinis reatum suum aliquis tueatur, &c. *Alex. III. in concil. Turon. c. 6. post Later. conc. part. 2. c. 10.*

CAPUT III.

Consignationes sacri chrisma, & olei, vel quæque pro statu ecclesie gerit (*Formosus*) firma, & immutata omni tempore permanere Apostolica auctoritate sancimus. *Synod. Ravenn. sub Joann. IX.*

CAPUT IV.

Vasa altaris, & panni vel pallia sint nitida, & integra, & si fuerint vetustate, vel aliquo casu corrupta, religioso, & puro loco abscondantur, vel igne cremantur. Vetus chrisma, & oleum similiter. *Greg. VII. in concil. Roman. anno incerto, cap. 27.*

CAPUT V.

1. q. 3. c. ult.

Statuimus, ut si quis quodlibet sacramentum ecclesiasticum, ut puta chrisma, vel oleum sanctum, consecrationem altarium, vel ecclesiarum interveniente execrabili ardore avaritiæ, per pecuniam acquisivit, honore male acquisito careat, & empor, atque venditor, & interventor nota infamiæ percellantur. *Innoc. II. in synod. Rom. cap. 1. post Ivon. panorm.*

CAPUT VI.

Illud quoque adiacentes præcipimus, ut pro chrisma, olei, & sepulture acceptione nullum venditionis pretium exigatur. *Innoc. II. in conc. Roman. cap. 18. Eugenius cap. 3. in syn. Rhemens. c. 16.*

CAPUT VII.

Adjecit Cælestinus diaconus esse a dilectione tua positum illud, quod in Apostoli Jacobi epi-

stola conscriptum est: *Infirmatur quis in vobis, Jacob. 7. inducat presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & suscitabit illum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo chrisma perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus uti christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo*. Ceterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possant. Ceterum si Episcopus potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum, & benedicere & tangere chrisma, sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam poenitentibus illud infundi non potest, quia genus est sacramenti, nam quibus reliqua sacramenta negantur, quo modo unum genus putatur posse concedi? *Innoc. epist. 1. cap. 8. Vormatien. c. 72. Ivo part. 2. cap. 75. decret. Anselm. lib. 11. cap. 14.*

CAPUT VIII.

Sacerdos, uno præsentis clerico, & etiam solus potest infirmum inungere. *Alex. III. Carnotens. Episc. lib. 14. registr.*

CAPUT IX.

Scire te volumus duas esse species unctionis: *De sacra unctione. c. unic. in 1. coll. ap. Greg. IX.* exteriori, quæ materialis est, & visibilis, & interiori, quæ spiritualis est, & invisibilis, exteriori visibiliter inungitur corpus, interiori invisibiliter ungitur cor. De prima Jacobus Apostolus ait: *Infirmatur quis in vobis, inducat Jacob. 1. presbyteros ecclesie, & oret super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, &c.* unctio visibilis, & exterior signum est interioris, & invisibilis unctionis, &c. Ad exhibendum autem exteriori, & visibilem unctionem benedicuntur oleum, quod dicitur catechumenorum, vel infirmorum, &c. *Innoc. III. Patriarchæ CP.*

CAPUT X.

Unusquisque presbyter, qui in parochia est, Epi-